THEOLOGIA
SCHOLASTICO-DOGMATICA
JUXTA MENTEM
D. THOMÆ
AQUINATIS
AD USUM DISCIPULORUM
EJUSDEM ANGELICI PRÆCEPTORIS
ACCOMMODATA

PER F. VINCENTIUM LUDOVICUM GOTTI
Ordinis Prædicatorum, Sacræ Theologiæ Magistrum, Doctorem Collegiatum, & in Patriâ Bononiensi Universitate Controversiarum Fidei Publicum Professorem.

TOMUS I. IN PRIMAM PARTEM
De Prolegomenis, & Locis Theologicis.

Editio altera.





BONONIÆ MDCCXLVIII.
Ex Typographia Sancti THOMÆ AQUINATIS.
SUPERIORUM PERMISSU.

INCREATÆ ÆTERNÆ
OMNIUM CREATRICI
INCARNATÆ
HOMINUM REPARATICI
DIVINÆ SAPIENTIÆ



D tuæ Supremæ Majeſtatis Thronum, & Creationis, ac Redemtionis titulo,

omnia meā, me ipſum humillimè proſternere, ſumma Religionis eſt. Huic tamen generali debito (quod in omnibus aliis qualibuſcumque à me editis Operibus perſolvere curavi) ſpecialiorem rationem adfert hæc Theologia, quæ tota tua eſt. Tota, inquam, non ſolùm nomine, quia *ſermo de Te*, ſed ipsâ re. Hæc enim Te in Te meditatur, dùm Dei exiſtentiam, eſſentiam, attributa, tuæ omniſcientiæ profunda, tuæ voluntatis arcana, æternæ tuæ generationis abdita inacceſſa penetrare, quantum poteſt, conatur. Hæc Te in tuis operibus inveſtigat, dùm de Te omnium Creatore, hominum Redemtore, Auctore gratiæ, & gloriæ, ultimo omnium Fine (nam propter Te ipſum omnia operatus es) ſermonem inſtituit. Quid ni ergo ad Te, à quo exivit, ad quem ſpontè vadit, cujus ope compacta eſt, revertatur, & in Te, propter quem eſt, requieſcat? Hoc probè noſcens Thomas Aquinas, quem tuæ mentis fidelem Interpretem Eccleſiæ tuæ obtuliſti, & tuâ ſpeciali gratiâ mihi præelegiſti Magiſtrum, omnia ſua ſcripta ad Te non ſemel detulit, tuoque ſupremo, ac infallibili judicio examinanda præſentavit. Ne dedigneris ergo, ut Magiſtri

premens

premens veſtigia Diſcipulus ; Theologicum hunc curſum tibi ſiſtat venerabundus. Thomæ Magiſtri ſcripta comprobaſti, *Benè*, inquiens, *ſcripſiſti de me Thoma*. Mercedem pro labore exhibuiſti, *Quam ergo mercedem accipies?* Abſit, ut à Te id præſumam inter Thomæ Diſcipulos infimus. Spero tamen, fore, ut ea, quæ de Thomâ excerpſi, ab iis, quæ de meo adjunxi, ſecernens, quæ Thomæ ſunt, iterata commendatione excipias, quæ verò de meo adjunxi, miſericordi indulgentiâ non repellas. Opus certè, ut par erat, non implevi. Id, in quo veritatem ſum aſsecutus, totum tuum eſt; Id verò, in quo eam aſsequi non licuit, meum eſt: meum, inquam, non animo, & voluntate (quam, Tu ſcis, Tibi Primæ, ac Æternæ Veritati, tuæque Eccleſiæ ſui Paſtoris voce, quæ tua eſt, loquenti, ſubjeci, & ſubjiciam ſemper) ſed mentis debilitate, nimirum, non quia volui, ſed quia neſcivi, aut ſcire nequivi. Adſis ergo. Thomæ Doctrinam, ejuſque Scholam tuo ſupremo patrocinio ſuſcipe, fove, tuere, defende, tui luminis radio perfunde, ut quæ Magiſter docuit, intellectu conſpicere, & quæ egit, imitatione valeant ſemper compelere Diſcipu-

li. Mi-

li. Mihi verò Gratiam tuam clementer impartire, dùm vixero, ut tandem id, quod Thomas petiit in mercedem, mihi vertatur, in misericordiam, & gratiam, & ad æternam gloriam, ad Te ipsum nempe, valeam pervenire. Ità supplex humillimè deprecatur.

Fr. Vincentius Ludovicus Gotti
Ordinis Prædicatorum Sacerdos.



LECTORI



Eligiosæ Obedientiæ fœtum in hâc meâ Theologiâ tibi exhibeo, quisquis sis, amice Lector; Hinc cessabit admiratio, si quam fortè conceperis, cur post Theologicos cursus à Viris omnigenâ scientiâ præclarissimis adornatos, evulgatosque, in arenam ego prodire ausus fuerim. Scias ergo oportet hujus mihi demandati Operis consilium. Multi sanè, & quidem doctè elaborati, Theologici cursus apud Nostrates, sive prælo jam editi, sive manu exarati, in dies, Discipulorum, & nostris oculis subjiciuntur. Sed quorum non modica pars purè scholasticis quæstionibus, & metaphysicis subtilitatibus, ac tricis plus æquò indulgens, Juvenes penè jejunos dimittat in Veritatibus verè Theologicis, & solùm ad nauseam usque refertos disputationibus ad fidei negotium, aut Sacram Eruditionem minimè conducentibus, adeò, ut interrogati de Catholicâ Veritate adversus hæreticos, & de controversiis, quæ à Lutheranis, Calvinistis, Anabaptistis, Socinianis, & id genus hominibus Catholicos secernunt, nec controversiæ statum (ne dicam nomen) exponere norint, ac Theologicam metam attigisse sibi adulentur, etiamsi quid inter illos, & nos, seu quid illos invicem intersit, nec à limine conspexerint.

Verùm

Verùm utinam novum esset hoc infortunium! Utinam hoc præcavissent, animumque ad seria, veroque Theologo digna convertentes, magis, quàm Aristotelem Scripturam Sacram, Traditiones, Concilia, Patres consuluissent, in eisque exercitatos sese ostendissent Theologi quidam, qui cum Luthero negotium suscepere! Huic audacissimo Apostatæ ansam procul dubio præripuissent eos increpandi, subsannandi, nec non dicendi (tom. 1. in respons. ad Silvestr.) si apud Jure-Consultos proverbium recipitur: *Turpe est Juristam loqui sine textu:* Tu vide, quàm sit honorificum, Theologum (qui maximè omnium debet) loqui sine textu, quem Apostolus (*Ephes. 6.*) jubet calceatum esse pedibus in præparatione Evangelii; Et Episcopum potentem, non in syllogismis, & opinionibus hominum, sed in Doctrinâ sanâ, nimirum eâ, quam alibi inspiratam vocat. Hoc enim consilium si fuisset servatum, minus nunc Ecclesia haberet inutilium quæstionum, & opinionum, & plus Evangelii, & Christianæ veritatis. *Pudere debuisset Catholicos Theologos audire Lutherum tali reprehensione ipsis, eorumque Scholis insultantem, atque saniori consilio animum, ac mentem ad seria convertendo, apostatici nebulonis, ejusque gregalium impudentes cachinnos collatis manibus propulsare, opportunum fuisset. Verùm res in deterius ruit. Succedentibus seculis, quibus hæretica pestis non modicam Europæ partem invasit, Sacramenta majori ex parte sustulit, ab Eucharistiâ Christum ejecit, Sanctis Cultum, Sacris eorum, & Christi Imaginibus venerationem denegavit, ritus abolevit, Cælibatum, Jejunia exulare fecit, Romanum Episcopum eâ, quâ à Christo donatus semper viguit, auctoritate nudare tentavit, nec non antiquam veramque fidem falsis dogmatibus deturpavit, ementitâ jactantiâ nil aliud, quàm Sacram Scripturam in ore gestans, ejusque Sacros Textus in suos, pravosque sensus, vel repugnan-*

tem,

tem, detorquens: quis non putasset, tunc ad Scripturas, ad Traditiones, ad Concilia, ad Patres, ad Disciplinæ veteris studium Catholicis Theologis confugiendum fuisse, ut iisdem, quibus se triumphare existimabat, armis errorem obruerent, obstrepentis hæresis ora contunderent, simplicesque à deceptione liberarent? Ità sanè faciendum fuisse quisquis prudens existimabit. At non ità à plerisque factitatum est. Non defuere quidem, qui sancto pro Christi, ejusque fidei gloriâ zelo accensi, id pro dignitate præstiterint. Sed major Theologorum portio, Domitianum imitata, muscarum aucupio (inutilium dico, & purè metaphysicorum studio) occupata permansit, cùm hostes fuerant debellandi.

Absit tamen invidia verbo. Nec enim existimet quispiam, me Scholæ detrahere, dùm sacrorum dogmatum studium promoveo. Hoc fuit Lutheri genium, quod detestor. In Scholam tota hæreticorum rabies invehitur, cujus armis in dies ad mortem usque vulnerantur, & transfiguntur. Nec minima Scholæ auctoritas esse potest, quam parvi facere sine fidei discrimine nemo unquam potuit. Connexæ quippe sunt, ac fuere semper, post natam Scholam, Scholæ contemtus, ac hæresum pestes. Scholasticæ usum defendam, imò & necessitatem demonstrabo. Scholasticas disputationes nec S. Thomas omisit; cur eas omittet Discipulus? Integra veri Theologi messis est, nedum in doctrinâ sanâ exhortari; sed & eos, qui contradicunt arguere. Hoc autem sine Theologiâ argumentativâ, seu scholasticâ quomodo præstabit?

Jamque palam fieri incipiet præsentis Operis Idea. Cùm enim aliqui res dogmaticas purè dogmaticè tractaverint, plerique scholasticis purè scholasticè vacaverint, desiderari videbatur Opus utrumque conjungens, & dogmaticum, & scholasticum, quodque sic scholasticis vacaret, ut dogmatica non omitteret, sed illa istis amico fœdere copulans scholastica, quantum

fieri potest, dogmaticè, dogmatica verò scholastica methodo persolveret. Hoc mihi demandatum prosequi, quantum potero, conabor, omnemque à me detergere suspicionem, ne, dùm dogmatica propono, Scholæ quidquam me detrahere quis putet. Solùm hoc Lectorem meum moneo, eam me vocare Scholæ doctrinam, quæ Sacrarum Litterarum fundamentis constituta sit, non eam, quæ Sacris Litteris longum vale dixerit. Theologo quidem in famulatum philosophica interdum accersere S. Thomas non damnat: nec ego improbo. Eos solùm repudio, quos Theologos adscriptitios vocat Canus [lib. 8. Loc. Theol. c. 1.] qui quæstiones verè Theologicas, aut omittunt, aut aliis inutilibus toti vacant, aut si Theologica tractant, ea non Theologicè, sed vanis, invalidisque ratiunculis, magnum pondus, rebus gravissimis detrahentes absolvunt. Eos pariter probare non possum, nec debeo, qui quasi ad discordiam nati, tùm optimè se disseruisse putant, cùm contra alios dixerint, ut non tàm pro veritate certare, quàm Adversarios convincere velle videantur, & concertationibus, ac rixis totas chartas implentes, veritatem involvunt potiùs, quàm detegant.

Horum non paucos esse in Ecclesiâ hisce temporibus nemo non videt, ex Scholasticis nedum, sed ex iis, qui se venditant Dogmaticos, qui nempe in sui ingenii ostensionem, & pompam, novas doctrinarum merces ex suæ mentis officina exponere plus æquo satagentes, nec non critici nomine gloriantes, vel cuncta in dubium vocant, vel [quòd majus est] nihil, nisi novum, ac priscis Doctoribus, nec non venerabili antiquitati adversum, ac si omnes cæci fuerint, ipsi soli perspicaces, & occulati existant, suis scriptis evulgare gestiunt.

Utriusque generis vitium meus Candidatus evadet, si exactè custodierit Apostoli monitum, qui discipulos suos Timotheum, ac Titum sanis imbuens consiliis, Timotheo inquit (ep 2. c. 2. v. 3.) Stultas, & sine disciplinâ quæstiones devita, sciens, quia

gene-

generant lites: servum autem Domini non oportet litigare, sed mansuetum esse ad omnes, docibilem, patientem &c. *Tito autem (c. 3. v. 9.)* Stultas, *ait*, quæstiones, & genealogias, & contentiones, & pugnas legis devita; sunt enim inutiles, & vanæ. *Monita hæc religiosè servabit, si ad Magistrum suum S. Thomam sedulus adspiciat, qui suæ Summæ, ac Scriptis nullam quæstionem, imò & articulum interserit, qui non, vel aliquem errorem exterminet, vel alicujus utilitatis pro Ecclesiâ Sanctâ Dei existat; quod suis in annotationibus ad Summam Doctus æquè, ac Venerabilis Vir Fr: Seraphinus Capponi à Porrectâ ad oculum sigillatim ostendit. Qui insuper ingenio, animoque adeò docilem sese exhibet, tantaque veneratione Patres Veteresque prosequitur, ut in iis quoque, in queis reperit singulares, si nihil contrarium Ecclesia statuerit, eos non deserat penitùs, sed quæstionem problematicè absolvens, suum eis honorem servet, vel si ab Ecclesiæ sensu dissentire videantur, benigna interpretatione ad sanum, verumque sensum eos trahere conatur. Qui demum S. Augustini vestigia adeò fideliter premit, ut* Augustinum contractum *eum* Jansenius *nuncupaverit, & indivisa semper fuerit Augustinianæ, ac Thomisticæ doctrinæ fortuna, nec ullus à Thomâ unquam dissentire potuerit, quin dissenserit ab Augustino, nec Augustinum relinquere, quin & Thomam reliquerit.*

Hoc & ego religiosè persequi, meumque Candidatum ejusmodi genio imbuere, quantum potero conabor. In scholasticis quæstionibus, quas pertractare necesse fuerit, eas eligam, quas alicujus utilitatis fore dignoscam, cæteras vel omittens, vel calamo strictiori percurens. Controversias, quæ Catholicas Scholas dividunt, sic percensebo, ut meæ quidem Scholæ sententiam pro viribus tuear, sed contendendi, ac rixandi animo prorsùs deposito, cæterarum invidiam declinem. In dogmaticis porro, ac Fidem quomodolibet tangentibus totus ero, ut eis Studiosum pro

 me-

merito instructum reddam. Non latet, me difficillimam provinciam assumere, meisque viribus longè superiorem. Non latet, divisis utrimque studiis, quibusdam Scholasticæ in totum mancipatis, quibusdam Dogmaticæ unicè vacantibus, arduum fore, ut uniuscujusque partium votis satis faciam. Verùm si quis hujusce Operis ideam, Tyrones nimirum imbuendi, pacato animo revolvat, facilè acquiescet, si ea tantùm, quæ magis necessaria scitu, & captui incipientium accommodata sunt, me tradidisse contentus, ne labor in immensum abiret, pro uberiori rerum disquisitione ad Auctores, qui de singulis ex professo tractaverunt Lectorem plura desiderantem dimiserim. His expositum volui Candidato meo hujusce laboris consilium. Superest, ut, & ego, & ipse ad Deum confugientes, lumen ad recte in doctrinâ percurrendum, & Spiritum veritatis, qui Spiritus pacis est, non dissensionis, humiliter petamus; quod, Angelico nostro Præceptore è Cælis intercedente, nos obtenturos fore piè speramus. Vale



CATA-

CATALOGUS

Eorum, quæ hic Primus Tomus in Primam Partem pertractat.

TRACTATUS PRIMUS ISAGOGICUS.

QUÆSTIO PRIMA.

De existentiâ, necessitate, divisione &c. Theologiæ.

DUBIUM PRIMUM.

An existat Theologia, & an sit necessaria?

DUBIUM SECUNDUM.

De Theologiâ Positivâ, & Scholasticâ.

DUBIUM TERTIUM.

De utilitate utriusque Theologiæ, Positivæ, & Scholasticæ.

DUBIUM QUARTUM.

Quid sit, quidque requiratur, ut aliquid sit dogma fidei?

DUBIUM QUINTUM.

De variis errorum gradibus.

DUBIUM SEXTUM.

An omne dogma Catholicum sit Fidei dogma, & an omne Fidei dogma sit articulus Fidei?

QUÆSTIO SECUNDA.

De naturâ Theologiæ.

DUBIUM PRIMUM.

An Theologia sit verè Scientia?

DUBIUM SECUNDUM.

An nostra Theologia subalternetur scientiæ Dei, & Beatorum, & an maneat in Patriâ?

DUBIUM TERTIUM.

An nostra Theologia sit entitativè supernaturalis.

DUBIUM QUARTUM.

An Theologia nostra sit speculativa, an practica, an utrumque?

DU-

DUBIUM QUINTUM.

An Theologia sit certior, digniorque aliis scientiis; & an sit etiam Sapientia?

DUBIUM SEXTUM.

An Deus sit objectum Theologiæ.

DUBIUM SEPTIMUM.

An Theologia sit argumentativa?

QUÆSTIO TERTIA.

De Locis Theologicis.

DUBUIM PRIMUM.

Quid, & quotuplex sit Locus Theologicus?

DUBIUM SECUNDUM.

De Sacræ Scripturæ usu in argumentis Theologicis.

DUBIUM TERTIUM.

De Loco à Traditionibus.

DU.

DUBIUM QUARTUM.

De Loco ab Ecclesiâ.

DUBIUM QUINTUM.

De loco ab Auctoritate Conciliorum.

DUBIUM SEXTUM.

De Loco ab Auctoritate Summi Pontificis.

DUBIUM SEPTIMUM.

Locus ab auctoritate SS. Patrum.

DUBIUM OCTAVUM.

Locus ab auctoritate Theologorum Scholasticorum.

DUBIUM NONUM.

Locus ab auctoritate Juris Pontificii Doctorum.

DUBIUM DECIMUM.

Locus à rationis naturalis, & scientiarum naturalium, & Philosophorum auctoritate.

DUBIUM UNDECIMUM.

Locus ab Historiæ humanæ auctoritate.



NOS FR. THOMAS RIPOLL

SACRÆ THEOLOGIÆ PROFESSOR

Ac totius Ordinis Prædicatorum humilis Magister Generalis, & Servus.

HArum serie, nostrique auctoritate Officii licentiam concedimus Rev. Adm. P. Magistro Fr. Vincentio Ludovico Gotti Provinciæ nostræ utriusque Lombardiæ imprimendi cursum *Scholastico-Dogmaticum* ab eodem compositum; postquam fuerit revisum Opus, & approbatum ab A. A. R. R. P. P. Magistris Fr. Hieronymo Caravadossi, & Fr. Dominico Antonino Pazzaglia ejusdem Provinciæ; servatis etiam aliis de Jure servandis. In nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Amen. In quorum fidem &c.

Datum Romæ in Conventu nostro Sanctæ Mariæ super Minervam die 27. Julii 1726.

Fr. Thomas Ripoll
Magister Ordinis.

Loco ✠ Sigilli.

Registr. fol. 12.

Fr. Dominicus Ponsi
Mag. Exprov., *& Socius*.

Novo

NOvo cumulatus honore à Reverendiſſimo meo P. Generali Fr. Thoma Ripoll, poſt approbatum illud egregium Sacri Cœlibatus Defenſorium, ab A. R. P. Fr. Vincentio Ludovico Gotti de Bononia Sacr. Theologiæ in noſtra Provincia Magiſtro, ac in Patria Univerſitate publico Controverſiarum Fidei Profeſſore compoſitum, hoc aliud, in debitæ meæ obedientiæ Teſſarum, ejuſdem Auctoris inſigne Opus luſtrandum aſſumſi, cui titulus eſt: *Theologia Scholaſtico-Dogmatica, juxta mentem Divi Thomæ Aquinatis ad uſum Diſcipulorum ejuſdem Angelici Præceptoris accommodata* in plures Tomos diviſa.

In hoc à noſtra Schola exoptatiſſimo opere, comprehendente pro nunc, diſſertationes Polemicas, & Scholaſticas in Primam Partem Summæ Angelici Præceptoris: totum inveni, tùm ad Catholicæ Eccleſiæ, tùm ad Thomiſtæ Scholæ firmanda dogmata apprimè elaboratum. Quà parte Dogma Catholicum propugnat, nonniſi Divinarum Scripturarum, Sacrorum Conciliorum, probatorumque Patrum linguis loquitur; Quà parte verò Scholaſticas enucleare aggreditur difficultates, & præcipuè ſublimiores, De Scientia, De Voluntate Dei, De Prædeſtinatione, De Trinitate &c., nonniſi quàm DD. Auguſtini, & Thomæ calamo ſcribit, adeò, ut meritò dicere poſſim: Noſtrum Vincentium Ludovicum eſſe ſimul *Auguſtinum*, & *Thomam contractum*; Amboſque in hoc ſuo verè aureo Opere, tanquam rariſſimi pretii ſplendidiſſimas gemmas, mirâ arte tenere incluſos. Quamobrem hunc eruditiſſimum laborem, ad evidentem tùm Catholicæ Eccleſiæ, tùm Thomiſticæ noſtræ Scholæ utilitatem aſſumtum, publicâ luce digniſſimum cenſeo.

Dabam Bononiæ in Ædibus SS. Patriarchæ Noſtri Dominici idibus Auguſti 1727.

Fr. Petrus Hieronymus Caravadoſſi de Nicaa Sacræ Theologiæ Magiſter, & in Archigymnaſio Ord. Præd. actualis Baccalaureus Manu propriâ.

EXimium Opus, cui titulus, *Theologia Scholaſtico-Dogmatica juxta mentem D. Thomæ Aquinatis ad uſum Diſcipulorum ejuſdem Angelici Præceptoris accommodata*, ab Ad. R. P. Fr. Vincentio Ludovico Gotti Ordin. Prædic. S. Th. Mag. Doctor Colleg., & in Patria Bonon. Univerſitate publico Profeſſore in Primam Partem elaboratum, mei ſummâ animi voluptate attentè perlegi; nec quidquam datum eſt reperire (ſive Fidem ſpectes, ſive Mores) quod umbrâ vel reprehenſionis dignum videretur: quin potiùs ſapientiam, eruditionem, pietatem, modeſtiam omnia naſtus ſum redolere. In ipſo enim Divinorum Scientia ita Scholaſticæ partes agit, ut, adhuc hiſce temporibus ſibi adverſis, tædio neminem efficere valeat; quippe quæ vanis ſpeculationibus, ſuperfluiſque prætermiſſis quæſtionibus, neceſſaria dumtaxat omnino, veréque utilia pertractet. Dogmaticæ quoque adeò munia implet, ut penè ignores, an Studioſum magis delectet, quàm juvet. In utraque Auctor prolixitatem devitat, ne illâ nimium Tyrones defatigati plus legant, quàm diſcant, &, quantum patitur argumentum, unicè

nicè brevitati studet, sed mirum in modum perspicuitati fœderatæ, quòd difficiliora cuilibet, minùs etsi perspicaci ingenio, plana statim fiant, captuque facilia. Verùm (quod negotium facessit) doctrinam undequaque sanam tradit; Scripturis, Traditionibus, Conciliis firmatam; Patrum testimoniis roboratam; nec unquam solidis rationibus destitutam, præsertim ab Ecclesiæ luminibus Augustino, & Thoma plerumque mutuatis: Quorum sicut ubique vestigia fidelissimè premit, ità eorumdem sinceram assequi mentem potissimùm curat. Idcirco non vererer dicere, Discipulo adaptari posse, quod de Sancto Præceptore scriptum est: *Stylus brevis, grata facundia: celsa, clara, firma sententia*. Hic demum habent Juvenes, unde non nominis, sed re Theologi evadant, veræque Thomisticæ scholæ reipsâ sectatores fiant: Fides arma reperit, quibus se ab omni genere hostium tueatur: Hæresis quæ argumenta meritò pertimescat. Dignum ergo Opus, quod in communem utilitatem Typis manetur, ego infrascriptus existimo. Atque utinam jampridem in lucem prodiisset! & numerosiores Doctrinæ suæ Angelicus Magister amatores sortitus esset.

Ità est Fr. Dominicus Antoninus Pazzaglia de Bononia S. Theol. Mag. Ord. Prædic.

Vidit D. Aurelius Castanea Clericus Regularis Sancti Pauli, & in Ecclesia Metropolitana S. Petri Bononiæ Pœnitentiarius pro SS. D. N. BENEDICTO Papa XIV. Bononiæ Archiepiscopo.

Die 5. Decembris 1747.

REIMPRIMATUR.

Fr. Seraphinus Maria Maccarinelli Vicarius Generalis Sancti Officii Bononiæ.

TRACTATUS PRIMUS ISAGOGICUS.

QUÆSTIO I.

De existentia, necessitate, divisione &c. Theologia.



Consueverunt Artis alicujus, vel Scientiæ Tractatores, priusquàm ad Artis, vel Scientiæ secretiora penetralia tyrones suos introducant, illis, velut in atrio, & vestibulo, artis, vel scientiæ naturam, proprietates, methodum, nobilitatem, utilitatem, necessitatem, cæterasque dotes exponere; quò ad illius existimationem, desiderium, atque amorem excitati, eam alacriores ingrediantur. Hoc vel maximè à me præstandum esse, cui ad Sacram Theologiam, artem artium, scientiam scientiarum juvenes instituere, ac præparare in munere contigit, nemo non videt.

Solent etiam, ne omni doctrinæ vento circumferantur, eis Doctorem aliquem præfigere, cujus vestigia prementes, ea, quæ salebrosa, & aspera occurrent, tuto pede valeant superare. Hunc ego Tyronibus meis propono, de cujus veritate doctrinæ nefas est suspicari, D. Thomam scilicet Aquinatem, Angelicum, fidumque Divinorum Oraculorum Interpretem, à cujus mente, nec ad latum unguem recedam; libertate tamen servatà in iis, de quibus non est explorata S. Doctoris mens, quod verius, aut verosimilius videbitur, opinandi.

Propositum meum in hoc opere mihi erit idem, quod sibi fuisse in sua summa adornanda, testatur S. Thomas in prologo ad eandem: nimirum, *ea qua ad Christianam Religionem pertinent, eo modo tradere, secundùm quod congruit eruditioni m.* Quia verò hujus doctrinæ novitios in iis, quæ à diversis scripta sunt plurimùm impediri consideravi. *Partim quidem propter multiplicationem inutilium quæstionum, articulorum, & argumentorum. Partim etiam, quia ea, quæ sunt necessaria talibus ad sciendum, non traduntur secundùm ordinem disciplina..... Partim, quia eorum frequens repetitio, & fastidium, & confusionem generabat in animis auditorum.* Idcircò quæstiones, articulos, & argumenta inutilia, vel penitùs omittam, vel si opus erit, aliqua dicere, sobriè pertractabo. Secundò ea, quæ maximè circa dogmata sparsim ab Auctoribus dicta sunt, suis disponam locis. Tertiò tandem à jam dictorum repetitione, quantum fieri poterit, abstinebo

DUBIUM I.

An existat Theologia, & an sit necessaria.

§. I.

Varia Theologia acceptiones.

I. Theologia, si nomen spectes, idem est, ac *Sermo de Deo*: est enim vox consurgens ex græco nomine *Theos*, latinè *Deus*, & Græco *Logos*, latinè *Sermo*. Quare quicumque Sermo de Deo, sive Sacer sit, sive Prophanus, sive de Deo vero, sive falso, sive serius, sive fabulosus, Theologiæ nomine insigniri potest. Et sub hac generali ratione, ait D. August. *l. 8. de Civit. Dei c. 1.*, Theologiæ nomine: *significari intelligimus de divinitate rationem, sive sermonem.*

II. Hinc & ipsi Pagani suam jactabant Theologiam, quæ de suis falsis diis sermonem habebat, quam referente D. Augustino *l. 6. de Civit. Dei c. 5.* in tria genera distinguebat Varro, in mythicam, seu fabularem, vel fabulosam, quâ utebantur Poetæ, maximè in Theatris, multa contrà dignitatem diis affingentes.

In physicam, seù naturalem, quâ utebantur Philosophi, naturam, ac genus deorum investigantes. Et in civilem, quâ utebantur Cives in Urbibus, maximè Sacerdotes, dùm, quos deos publicè colere, quibus Ritibus, quibus Sacrificiis deberet, populum erudiebant. *Prima* (dicebat Varro) *maximè accommodata est ad Theatrum; secunda ad Mundum; tertia ad Urbem*. Quasi quòd alii dii pertinerent ad Mundum, alii in Templis adorarentur, alii riderentur in Theatris, ut notat S. Augustin. ibi *cap. 6.* Meliùs ergo Varro dixisset, tres omnes illius species fabulosas esse. Triplicem hanc Theologiæ speciem reprobavit Apostolus *Rom. 1.* teste D. Thom. *ibid. lect. 7. in fin.* his verbis: *Videtur autem Apostolus triplicem Theologiam tangere Gentilium. Primò quidem civilem, quæ observabatur à Pontificibus in adoratione Idolorum in Templo; & quantum ad hoc dicit*: & mutaverunt gloriam incorruptibilis Dei. *Secundò Theo[illegible] fabularem, quam Poetæ tradebant [illegible] tris; & quantum ad hoc dicit*: [illegible] commutaverunt veritatem Dei in mendacium. *Tertiò Theologiam naturalem, quam observaverunt Philosophi in Mundo, partes Mundi colentes, & quantum ad hoc dicit*: & coluerunt, & servierunt Creaturæ potiùs, quàm Creatori.

III. Quamquam autem Sacrum T[illegible]logiæ nomen prophanaverint Ge[illegible], illud tamen in vero sensu usurpare veriti non sunt Sacri Doctores, ut de vero Deo cognitionem, sermonem, & tractationem exprime[illegible]. Quare Theologia dividi consuevit in naturalem, & supernaturalem. Supernaturalis in beatam, infusam, & acquisitam. Acquisita in positivam, & Scholasticam, & hæc utraque in moralem, polemicam, & mysticam.

IV. Naturalis Theologia dicitur Dei, rerumque divinarum scientia, quæ solo rationis lumine paritur; qualis est metaphysica in ea parte, quâ de Deo disserit; qualis & illa, quâ Philosophi *cum cognovissent Deum, non sicut Deum glorificaverunt*, ut ait Paulus *Rom. 1. 21.*, & hæc ex creaturis ascendit ad Deum, teste eodem Paulo *v. 20. Invisibilia ipsius* (Dei) *à creatura Mundi per ea, quæ facta sunt intellecta, conspiciuntur*.

V. Supernaturalis vocatur ea, quæ supernaturali lumine pariter, idque vel per lumen gloriæ, vel per infusionem, vel per discursum ex revelatis; unde in Beatam, infusam, & acquisitam dividitur.

VI. Beata, seu Beatorum propria dicitur, quâ Beati lumine gloriæ perfusi clarè, & intuitivè, seu, ut loquitur D. Paulus *1. Cor. 13. v. 12. non per speculum in enigmate, sed facie ad faciem. vident Deum sicuti est*.

VII. Infusa verò dicitur, quæ non nostro studio comparatur, sed à Deo per infusionem in nos descendit: qualis fuit illa, quâ divinitùs imbuti, & Spiritu Sancto afflati Christi Discipuli, ceperunt loqui magnalia Dei; quos ideò in Petro Apostolorum Principe D. Dionysius in suo de Divinis Nominibus libro, Theologos appellat, dicens: *Aderat, & Petrus, Supremum Decus, & antiquissimorum Theologorum culmen*. Huic addi posset lumen propheticum, quo Prophetæ sæpe multa de Deo, & rebus divinis loquitur, sed, quia istud non insidet menti Prophetæ per modum habitus, sed advenit per modum impressionis transe[illegible]s, ut docet D. Thom. 1. 2. q. 68. *art. 3. ad 3.*, & 2. 2. *qu. 171. art. 2.* [illegible] C., nec est virtus intellectualis, nec Theologica, ut docet D. Th. in 3. *dist. 23. qu. 2. art. 3. qu. 1. ad 4.*, ideo ad Theologiam, quæ est habitus, & virtus intellectualis, non pertinet.

VIII. Acquisita Theologia dicitur illa, quæ proprio labore, & studio comparatur per discursum, quo ex principiis revelatis, & creditis side divinâ, aliqua veritas concluditur. Qualis est ea, quâ, qui præditi sunt, vulgò dicuntur hodie Theologi, & de qua, quia Viatorum propriâ, erit nobis hìc potissimùm quæstio; quæque propriè loquendo nihil aliud est, quàm quædam ex principiis revelatis, & Fide Divinâ creditis discursiva scientia; Et hæc, ut dixi, dividitur in positivam, & scholasticam; & utraque in moralem, polemicam, & mysticam.

IX. Theologia acquisita positiva dicitur,

tur, dum discurrendo probat conclusiones suas per principia positiva; hoc est per principia, quæ non probantur, sed supponuntur, & creduntur, quia accepta à Verbo Divino scripto, vel tradito, nobisque per Ecclesiam proposito. Theologia namque nititur Verbo Dei tanquàm principio, quod teste Apostolo *Ephes. 2. 20. Est fundamentum Apostolorum, & Prophetarum*: præter quod *aliud nemo potest ponere 1. Cor. 3. 11.* Diciturque *positiva*, vel quia circà jus positivum divinum explicandum, exponendum, confirmandum tota versatur. Vel quia Positiones, & Theses statuit graviores fidei controversias, ac principes veritates concernentes, quibus fides roboretur, ac stabiliatur; ideoque dogmatica etiam dici solet, cum circa fidei dogmata versetur. Vel denique, quia non disputatoriâ, & regulis dialecticæ methodo accomodatâ, sed fusiori, positivo, & oratorio stylo.

X. Scholastica Theologia sic dicta, quia in Scholis traditur, & discitur, eadem quidem est, ac Positiva (ut dicetur) sed strictiori modo, & methodo Dialecticæ regulis accomodatiori, à Scholarum Magistris proponitur, ut validiùs possit Catholicus contra fidei hostes procedere, & eorum tela retundere. Estò autem Theologia Scholastica ex iisdem principiis procedat, ac positiva, interdum tamen suas conclusiones confirmat extraneis argumentis, utens scientiis inferioribus in obsequium sui, & quasi vocans ancillas ad arcem, ut Catholica fides extraneis etiam confirmata argumentis, faciliùs persuaderi possit iis, qui foris sunt, & cuilibet poscenti, de fide nostra ratio reddi possit. Cæterùm Scholastica Theologia, ait D. Th. *1. p. qu. 1 art. 8.* cum ex sibi propriis discurrit, nonminus, ac positiva, ex Verbo Dei procedit. Sed de his iterum.

XI. Utraque tum Positiva, tum Scholastica, Moralis dicitur, si regulas ad mores nostros informandos præscribat. Polemica verò, seu bellatrix, si de rebus controversis, maximè contra Infideles, eos arguendo, & contra eos pugnando pertractet. Mystica tandem, seu affectiva vocatur, dum affectus nostros movet, ac dirigit in Deum. Ut enim docet D. Th. ad *Heb. 5. l. 2.* aliæ scientiæ illuminant solùm intellectum, ut cognoscat verum; at Theologia non solùm illuminat mentem ad cognoscendum verum Divinum, sed etiam nutrit, & roborat animam movendo affectum, ut dirigatur ad amandum Deum hìc in via, donec illum tandem consequatur in Patria. His ergo positis, de existentia, & necessitate Theologiæ quæremus cum D. Thom. *1. p. qu. 1. art. 1.* primò in genere, deindè in specie; an scilicet præter Theologiam naturalem detur, & dari debeat Theologia supernaturalis, seu ex revelatis de Deo discurrens.

XII. Circa hoc noto primo, Veritates, quæ de Deo cognosci possunt, alias esse, quæ lumine naturalis rationis ex effectibus creatis investigari possunt: alias esse, quæ naturalis rationis lumen prorsùs excedunt.

Noto secundò, necessarium dici dupliciter: uno modo absolutè, & in se, alio modo ad finem aliquem consequendum; non enim absolutè necessarium est habere equum, vel navim, sed necessarius quidem est equus ad equitandum, navis ad navigandum, quia sine equo non possum equitare, nec sine navi navigare.

Noto tertiò, necessarium hoc modo sumtum, aliud esse necessarium necessitate præcepti, aliud necessitate medii, aliud necessitate medii, & etiam præcepti. Primo modo audire sacrum diebus festis necessarium est ad salutem, quia præceptum; secundo modo Baptismus parvulis necessarius est ad salutem; tertio modo idem Baptismus necessarius est adultis, quia hi sine Baptismo vel in re, vel in voto nequeunt salutem consequi, & insuper Divino Mandato tenentur eam per Baptismum procurare.

Noto quartò, necessarium ad finem posse dici dupliciter. Uno modo, itaut sine illo finis nullatenus haberi possit, sicut equitare non potest haberi sinè equo, & hoc vocant necessarium simpliciter: alio modo, itaut sinè illo finis quidem haberi possit, sed commodiùs habeatur cum illo; sicut itinerari possum quidem sine equo, aut rhedâ, eun-

do pedester; commodiùs tamen, & faciliùs itinerabor equo vectus, vel rhedâ: & hoc vocant necessarium secundum quid, seu ad benè, vel meliùs esse.

XIII. Noto quintò, necessarium modò explicatum posse dici tale, vel respectu alicujus totius communitatis tantum, vel etiam singulis illius communitatis. Sic communitati necessarium est aliquem esse fabrum, cęmentarium, medicum &c. necessarium tamen non est singulis esse fabros, cęmentarios, medicos &c. e contra manducare, bibere, ad vitam necessarium est, nedum toti communitati, sed etiam singulis illius communitatis. His ergo prænotatis quærimus, an Sacra Theologia necessaria sit ad cognoscendas veritates de Deo, nedum rationis lumen excedentes, sed etiam lumine naturali vestigabiles. Rursùs quâ necessitate; & demum, an singulis, an verò tantùm Reipublicæ Christianæ.

§. I I.

Necessitas Theologiæ ad cognoscendas res ex revelatis.

XIV. Dico primò. Præter philosophicas disciplinas necessaria est homini aliqua Sacra Doctrina, quæ ex revelatis procedat: ita D. Th. 1. *p. qu.* 1. *art.* 1., & probo. Necessariâ est homini doctrina, quâ possit cognoscere determinatè suum ultimum finem, ut possit ad illum determinatè tendere, ac sese, suasque actiones in illum dirigere: agens enim cognitione, & ratione præditum non potest finem determinatè intendere, nisi illum determinatè præcognoscat; quia nihil volitum, quin sit priùs cognitum; & si determinatè suum finem non cognosceret, in incertum scopum collimaret; sed ad cognoscendum determinatè suum ultimum finem necessaria est homini doctrina sacra procedens ex revelatis: ergo &c. minor probatur. Finis, ad quem homo ultimò ordinatur, est Deus clarè visus, seu beatitudo supernaturalis: sed hæc sine doctrinâ ex revelatis procedente, non potest ab homine cognosci, excedit enim comprehensionem naturalis luminis, & rationis, juxtà illud *Isaia* 64. *v.* 4. *A seculo non audierunt, neque auribus perceperunt: oculus non vidit, Deus absque te, quæ præparasti expectantibus te.* Quæ D. Paulus transferens in suam primam epistolam ad *Cor. c.* 2. *v.* 9., ait *sicut scriptum est: quod oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparavit Deus iis, qui diligunt illum:* Isaiam autem, & Paulum de supernaturali hominis beatitudine fuisse locutos testantur, nedum D. Tom. hic, in *cap.* 64. *Isaiæ*, & in *cap.* 2. *primæ ad Cor. lect.* 2. Sed etiam S. Cyprian. *epist.* 56. & S. Hieronym. in *cap.* 64. *Isaiæ* Ergo ad cognoscendum &c. necessaria est homini doctrina ex revelatis: quarè D. Paulus loco laudato, cum de Sapientia Dei dixisset: *quam nemo Principum hujus seculi cognovit:* subdit: *nobis autem revelavit Deus per Spiritum suum.*

Probatur secundò à posteriori. Quotquot ex Philosophis veteribus conati sunt hominis beatitudinem cognoscere, nedum non sunt eam assecuti, sed in turpissimos errores inciderunt; unde octo supra ducentos, & octoginta sibi invicem contrarios enumerat Marcus Varro. Quin Aristoteles ipse, Philosophorum Aquila, scopum hunc attingere nequivit. Agens enim de hominis ultima felicitate, nullibi docuit, Deum clarè videndum, ac intuitivè, esse ejus ultimum finem: imò *l.* 1. *Ethic. c.* 7. finem ultimum hominis constituit in cognitione substantiarum separatarum. Ubi enim *cap.* 5. & 6. varias retulisset, & rejecisset veterum Philosophorum circa hominis beatitudinem sententias, duplicem ipse statuit hominis felicitatem, Moralem, & Civilem; alteram Speculativam, & Contemplativam. Moralem, & Civilem 1. *Eth. cap.* 7. statuit in operatione secundùm optimam virtutum, quam ajebat esse prudentiam; ita ut hominem moraliter, ac civiliter beatum tunc existimaverit, cum sapienter, & ordinatè omnes suas actiones componeret. Speculativam autem, & Contemplativam 10. *Eth. cap.* 6. 7. & 8. in operatione omnium perfectissima collocavit, qualem censuit esse cognitionem Dei, ac substantiarum separatarum, abstractivam tamen, & discursivam. Signum est ergo, rationem naturalem non posse

posse nos manuducere ad notitiam veræ beatitudinis, ac proinde hanc debere hauriri ex Magisterio Divino docente nos per revelationem. Quare D. Justinus Martyr *cohort. 1. ad Græcos*, causam, cur Philosophi tantâ, circà divina, laboraverint ignorantiâ, cur inter se adeò discordes fuerint assignans, fuisse hanc dicit: *Quòd scilicet non à peritis discere voluerint, sed se ipsos humanæ mentis suæ solertiâ, cœlestia clarè pervidere posse confisi fuerint, cùm ne terrena quidem perspicere quiverint.* Ex quibus patet præsentem resolutionem procedere de necessitate simpliciter tali.

XV. Nec tamen hinc inferas, hominem fore deterioris conditionis, quàm cęteras creaturas, & intellectum fore imperfectiorem sensu. Cùm enim cæteræ creaturæ propriis, ac naturalibus viribus suos fines ultimos consequi possint, imò & consequantur, & solus homo finem suum ultimum nec consequi potest, imò nec propriis viribus cognoscere. Rursus cum sensus nullo egeat auxilio supernaturali, ut circa quælibet sua objecta feratur: oculus enim nativâ suâ activitate videre potest quodcumque visibile, solus intellectus viribus destitutus egebit supernaturali ope, ut cognoscat objectum suum principale, quod est Deus.

Non inquam, quia ut ait D. Thom. *1. sent. qu. 1. art. 1. ad 3.* hoc axioma: *Illud quod per se suam perfectionem consequi potest, nobilius est eo, quod per se consequi non potest, valet quidem in his, quæ acquirunt æqualem bonitatem pro fine, sed illud quod acquirit bonitatem perfectam, licèt pluribus auxiliis, & motibus, est nobilius eo, quod imperfectam bonitatem acquirit paucioribus, vel per se ipsum, sicut dicit Philosophus in 2. de Cœlo, & Mundo text. 3.* Homo autem respectu aliarum creaturarum ordinatur ad acquirendam nobiliorem perfectionem, nimirùm *ipsius Divinæ Gloriæ participationem, propter quam factus est*. Et ideo licèt ad illam nedum acquirendam, verum & cognoscendam, egeat pluribus auxiliis, & motibus, quam cæteræ creaturæ ad suos fines, non erit deterior, aut imperfectior illis. Hoc idem docet S. Doct. *1. 2. qu. 5. art. 5. ad 3.*, & *qu. 14. de veritate art. 10. ad 5.*, ubi ait: *Ad quintum dicendum, quod homo perfectior est aliis animalibus, nec tamen determinata sunt sibi ab ipsa natura, quæ sunt necessaria ad finem consequendum, sicut aliis animalibus propter duas rationes. Primò, quia homo ad altiorem finem ordinatur; & ideo etiamsi pluribus auxiliis indigeat ad ipsum consequendum, & sibi naturalia principia non sufficiant, nihilominùs perfectior erit. Secundò, quia hoc ipsum est in homine perfectionis, quia multiplices vias potest habere ad consequendum finem suum. Unde non poterat ei una via naturalis determinari, sicut aliis animalibus; sed loco omnium, quæ natura aliis animalibus providit, data est homini ratio, per quam, & necessaria hujus vitæ sibi parare potest, & disponere se ad recipienda auxilia divinitus futuræ vitæ.*

XVI. Eàdem ratione sensus non erit nobilior intellectu, quamvis sensus sibi sufficiat ad omnia sua objecta attingenda, intellectus autem non. Imò oppositum; ex quo enim sensus sibi sufficiat ad omnia objecta, infertur, eum esse determinatum ad certa quædam objecta intra lineam, & certum naturalem modum operandi contenta, & proinde ad ea limitatum, & restrictum. At ex quo intellectus sibi non sufficiat, sed egeat ope, & auxilio exteriori ad aliqua sua objecta, infertur, ejus sphæram non esse determinatam ad objecta sola naturalia, sed extendi etiam ad objecta, naturæ captum excedentia; & proindè, quod intellectus possit elvari ad majorem perfectionem recipiendam, quàm possit ipse producere, summa perfectio illi est. Indicium est enim, cum non perfici solum iis, quæ intra naturæ limites arctantur, sed protendi etiam ad ea, quæ supra naturam sunt, & aliquam excellentiorem perfectionem ad sui complementum exigere.

§. III.

Necessitat Theologia ad res naturali ratione vestigabiles.

XVII. Dico secundo. Ad cognoscendas etiam veritates illas, quę de-

de Deo possunt ratione humanâ investigari, necessaria est, aliqua Sacra, & revelata Doctrina. Ita D. Thom. 1. *p. qu.* 1. *art.* 1. his verbis: *Ad ea etiam, quæ de Deo ratione humanâ investigari possunt, necessarium fuit homines instrui revelatione divinâ; quia Veritas de Deo per rationem investigata, à paucis, & per longum tempus, & cum admixtione multorum errorum homini proveniret*.

XVIII. Ex his conficitur ratio probativa hujus asserti. Ad salutem cuilibet homini necessarium est, certò scire de Deo etiam veritates illas, quæ naturali lumine investigari possunt; sed absque doctrinâ revelatâ hujusmodi cognitionem assequerentur pauci, nec nisi post longum tempus, & cum admixtione multorum errorum: ergo &c. min. probat, & explicat D. Th. *lib.* 1. *contr. gentes cap.* 4. Et quidem pro prima parte: quia à veritatis contemplatione plurimi impediuntur: quidam propter hebetudinem ingenii, quâ sic sunt indispositi ad sciendum, ut nullo studio possent ad hoc pertingere, ut summum cognitionis gradum attingerent, qui in cognoscendo Deum consistit. Quidam necessitate rei familiaris, oportet enim ex hominibus plures esse, qui temporalia curent, & ferè totum vitæ suæ tempus in hoc exercitio insumant, qui certè ab otio contemplationis arcentur. Quidam tandem impediuntur pigritiâ. Ad cognitionem enim divinorum multa præcognoscere oportet ex Philosophia, quæ faciunt, ut nonnisi post longum studium, & laborem ad illam perveniri possit, quem quidem laborem pro amore scientiæ pauci subire volunt.

XIX. Pro secunda parte probat. Cùm enim ex dictis studium, & labor prærequiratur antequàm homo perveniat ad cognitionem de Deo, in tali opere multum temporis impendi necesse est. Cumque juventutis ætas, quâ diversis passionum motibus anima fluctuat, parum idonea sit quieti, quæ ad tàm altæ veritatis cognitionem acquirendam necessaria est, fieret ut homines ad veritatem divinorum non pervenirent, n[illegible] extrema ætate.

XX. Tertia simili[illegible] [illegible] eodem Angelico Magistro 1. *contra gentes c.* 4. sic explicatur: *Nam investigationi rationis humanæ plerumque falsitas admiscetur propter debilitatem intellectus nostri in judicando, & phantasmatum permixtionem. Et ideo apud multos in dubitatione remanerent ea, quæ sunt verissimè etiam demonstrata, dum vim demonstrationis ignorant: & præcipuè cum videant à diversis, qui sapientes dicuntur, diversa doceri. Inter multa etiam vera, quæ demonstrantur, immiscetur aliquando aliquod falsum, quod non demonstratur; sed aliqua probabili, vel sophisticâ ratione asseritur, quæ interdum demonstratio reputatur*. Unde ex Philosophis gentilibus, qui de Deum cognoverunt, alii futurorum scientiam ei negaverunt, alii omnium rerum Providentiam, & Gubernationem, alii in alios multiplices, & turpissimos errores lapsi sunt. Concludit D. Th., *& ideò oportuit per viam fidei fixâ certudine, ipsam veritatem de rebus divinis homini exhiberi. Salubriter ergo Divina providit Clementia, ut ea etiam, quæ ratio investigare potest, fide tenenda præciperet: ut sic omnes de facili possent divinæ cognitionis participes esse: & absque dubitatione, & errore; hinc est, quod Ephes.* 4. *dicitur*. Jam non ambuletis, sicut & gentes ambulant, in vanitate sensus sui, tenebris obscuratum habentes intellectum. *Et Isaiæ* 54. Ponam universos filios tuos doctos à Domino. Ita D. Th. 1. *contra gentes cap.* 4. laudato.

§. IV.

Quid nomine Theologiæ, seu Sacræ Doctrinæ intelligat D. Thomas.

XXI. Dubium hoc ex doctrina hactenus tradita statim emergit. Cùm enim sacra doctrina, quam necessariam dix[illegible]s, ad veritates, tùm excedentes [illegible] rationis, tum ad eas, quæ rati[illegible] lumine sunt vestigabiles, sit doctrina [illegible] Dei revelatione procedens, meritò du[illegible]atur, an sit doctrina immediatè revelata, qualis est doctrina fidei, an verò revelata tantum mediatè, idest procedens ex principiis revelatis ad alia dedu-

deducenda, qualis eſt doctrina propriè Theologica.

Videtur enim D. Thomas per Sac. Doctrinam intellexiſſe Fidem Theologicam, quia hanc dixit eſſe ad ſalutem neceſſariam, certum autem eſt ad ſalutem neceſſariam quidem eſſe Fidem, non verò Theologiam.

Videtur etiam intellexiſſe Theologiam condiſtinctam à Fide: nam de ea Sacra Doctrina, ut homini neceſſaria loquitur *art.* 1., de qua *art.* 2., dicit eſſe ſcientiam *art.* 3., eſſe unam ſcientiam *art.* 5., eſſe digniorem aliis ſcientiis *art.* 8., eſſe argumentativam: atqui fides neque ſcientia eſt, neque argumentativa; ergo ex ordine, & cohærentia doctrinæ, videtur D. Th. loqui etiam in 1. *art.* de Theologia ſub nomine Sacræ Doctrinę.

XXII. Cajetanus *in comment. art.* 1. dicit, Sacram Doctrinam neque ſumi pro fide, ut diſtinguitur contra Theologiam, nec pro Theologia, ut diſtinguitur contra fidem, ſed pro cognitione à Deo revelata, ſive formaliter, ſive virtualiter, abſtrahendo à ratione crediti, & ſciti, & de hac dicit eſſe neceſſariam ad ſalutem.

XXIII. Veroſimiliùs tamen videtur D. Thomam nomine Sacræ Doctrinæ intellexiſſe determinatè Theologiam. Id ſuadent nuper dicta, & ulteriùs, quia D. Thom. hoc *art.* 1, ad 2. hanc Sacram Doctrinam vocat Theologiam, eamque comparat cum aliis ſcientiis naturalibus, & diſtinguit ab eis. Item *art.* 2. Doctrinam [illegible]am vocat eam, quæ procedit ex principiis revelatis, quæ pro ſuis principiis habet articulos fidei *art.* 7. & 8., atqui ſola Theologia procedit ex principiis à Deo revelatis, habetque articulos Fidei pro ſuis principiis; ergo per Sacram Doctrinam intelligit Theologiam. Demum de ea Doctrina hìc loquitur, dum dicit eſſe neceſſariam, de qua in proœmio hujus quæſtionis dicit, ſe inveſtigaturum qualis ſit, & ad quæ ſe extendat; non inveſtigat autem in hac quæſtione de Sac. Doctrina abſtractè, & in genere, ſed de Theologia; ergo de hac loquitur, dum dicit eſſe neceſſariam præter philoſophicas diſciplinas.

XXIV. At dices: Sacra Doctrina, de qua loquitur D. Thom., eſt neceſſaria omnibus ad ſalutem; Theologia verò non eſt neceſſaria omnibus ad ſalutem, non enim omnes ſalvandi, Theologi eſſe debent, ſed fideles; ergo de fide, non de Theologia ſermo eſt, vel de doctrina abſtrahente à doctrina fidei, & Theologica.

Reſpondeo tamen negando minorem, aliud enim eſt Theologiam omnibus hominibus neceſſariam eſſe ad ſalutem, aliud neceſſarium eſſe omnes homines eſſe Theologos, ut ſalventur. Sicut aliud eſt dicere, omnibus hominibus neceſſaria eſt medicina, ut ſanentur, & aliud eſt omnibus hominibus ut ſanentur neceſſarium eſt, quod ſint medici. Sicut ergo verum eſt, cuilibet homini eſſe neceſſariam medicinam ut ſanetur, abſque eo, quod quilibet ſit medicus: ita verum erit omnibus, ſeu cuilibet homini eſſe neceſſariam Theologiam ad ſalutem, etſi non quilibet homo ſit Theologus.

Cur autem cuilibet homini ad ſalutem, ultra fidem, neceſſaria ſit Theologia oſtendo ex Doctrina D. Thom. 2. 2. *qu.* 6. *art.* 1. Fides etenim eſt quidem fundamentum ſalutis, ſed ad fidem concipiendam duo requiruntur: unum quod homini proponantur ea, quæ ipſi credenda ſunt; alterum, quod homo aſſentiatur iis, quæ ſibi per fidem propoſita ſunt ut credenda. Licèt autem ad talem aſſenſum homo principaliter inclinetur à Deo interiùs movente per gratiam, Deus tamen viâ ordinariâ utitur miniſterio alicujus exteriùs inducentis ad fidem; Puta vel miraculi viſi, vel hominis prædicantis, & perſuadentis fidem, *Rom.* 10. *v.* 14. *quomodo credent ei, quem non audierunt, quomodo autem audient ſinè Prædicante?* ex quibus infert Paulus *v.* 17. *Ergo fides eſt ex auditu*. Si ergo viâ ordinariâ nemo poteſt credere niſi audiat, nec audire ſinè prædicante, & inſtruente ipſum de credendis, cuilibet homini ad fidem gignendam, & nutriendam neceſſaria erit inſtructio, perſuaſio, & prędicatio; hæc autem habetur ope Theologiæ, unde D. Th. laudatus ad primum dicit: *quod per ſcientiam gignitur fides, & nutritur per modum exterioris perſuaſionis, quæ fit ab aliqua ſcientia*, &

hoc

hoc ait exponens dictum D. Augustini *lib. 14. de Trinitate c. 1.*, qui rerum divinarum scientiæ hoc tribuit, *quo fides saluberrima, qua ad veram beatitudinem ducit gignitur, nutritur, defenditur, roboratur, quâ scientiâ non pollent fideles plurimi, quamvis polleant ipsâ fide plurimùm. Aliud enim est scire tantummodo, quid homo credere debeat propter adipiscendam vitam beatam, qua nonnisi æterna est, aliud autem scire quemadmodum hoc ipsum, & piis opituletur, & contra impios defendatur, quam proprio appellare vocabulo scientiam videtur Apostolus.* Hinc licèt multi consequantur salutem, qui Theologi non sunt, non tamen sinè adjumento Theologiæ, quæ in eis fidem gignat, nutriat, ac conservet. Quod verum est etiam de iis, qui de fide instruuntur a parentibus idiotis, rusticis, ita ut nullos alios doctos viros de fide exponentes audiant. Nam licet parentes illi rudes, ac idiotæ absolutè Theologi non sint, in tali tamen instructione, quâ filios docent de vera credulitate, idest quid credere debeant, quomodo se gerere pro adipiscenda beatitudine, quidve fugere, aliquid de vera Theologia participant.

XXV. Ex hactenus dictis infertur, quòd licèt cuilibet homini necessarium non sit, quòd verè, & propriè Theologus sit, & Theologiam calleat, necessarium tamen est Ecclesiæ Christi, seu collectioni fidelium, ut aliqui in ea Theologi sint. In omni enim republica benè ordinata necessarium est esse aliquos, qui doceant, dirigant, & instruant de sequendis, ac de fugiendis admoneant. Quod maximè in Republica Christiana verificatur. Si enim nulli essent Theologi, quomodo staret fides; quis eam tueretur ab hæresibus, eam, ac fideles subvertere à veritate conantibus? Propterea Theologiam fidei hostes quovis tempore dicteriis, scommatibus, maledictis insecuti sunt, ut eam à Catholicis exulare prorsus contingat, quò factos inermes expugnari faciliùs possint; Philistæos imitantes, qui ut legitur *1. Reg. 13. v. 19.* ut Israelitas funditus profligarent, fraude effecerant, ne faber ferrarius inveniretur in omni Terra Israel, aut ullus qui faceret gladium, & lanceam. Adeo ut cum venisset dies prælii non sit inventus ensis, & lancea in manu totius populi, qui erat cum Saule, & Jonatha.

DUBIUM II.

De Theologia Positiva, & Scholastica.

§. I.

Quod nam sit inter utramque discrimen?

I. DIco primò. Utraque Theologia Positiva, & Scholastica est una, eademque essentialiter, solo accidentali quodam modo procedendi diversa. Probo primam partem. Utraque enim habet idem objectum, Deum nempe sub ratione Deitatis cognoscendum, per discursum. Utraque eadem principia agnoscit, easdemque fidei assertiones, sive scriptas, sive traditas, ex quibus suas conclusiones elicit. Utraque non hæret solis Scripturis Sacris proferendis, sed etiam colligit, & adjicit indubias Ecclesiæ traditiones, evoluit Ecclesiasticam Historiam, Decreta Conciliorum scrutatur, Commentaria SS. PP. inquirit, ut ex eis latentem Catholicam Veritatem detegat, & aperiat. Utraque eodem modo acquiritur, nempe non per infusionem, sed humanis actibus, & discursu. Rursus aquisitâ positivâ, nulla est difficultas formalis ad acquirendam scholasticam, aut e contra: quia nova difficultas formalis solum contingit in scientiis, in quibus principia, & lumen diversa sunt, quod in Theologia Positiva, & Scholastica non accidit; utraque enim procedit sub iisdem principiis, & lumine eodem, nempe virtualis revelationis.

II. Confirmatur hæc eadem pars. Magister sententiarum, qui, ut adversarii autumant, primus Theologiam ad methodum scholasticam tradidit, novam non condidit Theologiam, sed eam, quam SS. PP. ex Verbo Dei scripto, vel tradito libris consignaverant, solùm sub nova methodo, & forma scholis accommodatiori proposuit, quam D. Thomas, Scotus, cæterique Theologi posteà secuti sunt.

sunt. Ergo transitus Theologiæ à merè positiva ad scholasticam merè accidentalis est. Quod magis urgetur. Nam omnes artes successu temporis accuratiori, ac subtiliori ingenio exercitæ sunt, quàm ab antiquis quondam exercerentur: quia tamen eadem semper principia fuerunt, idemque objectum, eædam essentialiter sunt Artes antiquorum, ac modernorum. Ergo à pari.

III. Ex dictis eruitur probatio secundæ partis. Estò enim utraque sub eisdem principiis, & lumine de suo objecto discurrat; Positiva tamen oratorio modo, Scholastica Philosophico, & ordinatiori: ideoque scholastica exactior est, & accuratior in suadendis veritatibus, quia strictiori formâ, & ordine syllogistico illas proponit, vim illationis detegit, & contraria sophismata dissolvit. Adde, Scholasticam plerumque Philosophiæ naturalis auxilium, & lumen petere, nedum ut hæreticorum argumenta, & infedelium cæterorum contra fidei articulos vibrata retundat naturali etiam, ac philosophico ratiocinio, sed etiam, ut fidei dogmata suadeat esse credenda, hoc etiam motivo, quod rationi naturali, & momentis philosophicis non sint contraria.

IV. Contra tamen objicies primò. Multi sunt, qui benè Theologizant Positivè, qui tamen non benè Theologizant Scholasticè; nesciunt captiosas hæreticorum artes detegere, eorum sophysmata solvere, eosque falsitatis arguere: ergo Theologia Scholastica addit novam difficultatem, & consequenter novum habitum supra Positivam.

Respondo distinguo antecedens. Qui tamen non benè &c. difficultate orta ex carentia principiorum, quibus Theologicè proceditur; nego antecedens: orta ex defectu artis syllogisticæ, & formæ arguendi; conc. antecedens: & distinguo consequens, novam difficultatem tollendam per habitum dialecticæ; concedo consequentiam, tollendam per novum habitum Theologiæ; nego consequentiam. Si enim quis perfectus Theologus positivus nesciat perfectè scholasticè discurrere, hoc non est, quia ad benè scholasticè theologizandum requirantur diversa principia theologica, quæ illi desint; sed quia non benè callet regulas rectè argumentandi, atque sophismata eludendi. Verùm hæc difficultas vincenda est, non per novum habitum Theologicum, sed per habitum Dialecticæ, ad quem spectat Theologum methodo, & formâ arguendi informare: hæc enim difficultas non ex objecto, sed ex subjecto malè disposito oriretur. Sicut esset ei, qui gladium habens acutum, ex imperitia artis gladiatoriæ nesciret eo uti ad hostem feriendum.

V. Objicies secundò. Theologia Positiva non est argumentativa. Scholastica vero tota argumentationibus intenta, ac litigiis plena; ergo essentialiter differt à Positiva.

Respondeo negando antecedens pro prima parte. Si enim Theologia Positiva argumentativa non esset, nec esset Theologia, quæ essentialiter est habitus, quo ex principiis revelatis deduci possunt, & cognosci conclusiones. Neque à fide differret, cum Theologia viatorum in hoc differat à Fide, quod Fides res à Deo revelatas sinè discursu credit; Theologia verò ex revelatis, vel circa revelata discurrit. Quare D. Thom. 1. p. qu. 1. art. 8., ait quod Theologia *non argumentatur ad sua principia probanda, quæ sunt articuli fidei, sed ex eis procedit ad aliquid ostendendum: sicut Apostolus 1. Cor. 15. ex Resurrectione Christi argumentatur ad resurrectionem communem probandam.*

Imò prosequitur D. Thom. Theologia non solùm argumentatur ostendendo alia ex suis principiis, verùm argumentativè etiam aliquandò procedit circa sua principia, vel ea explicando, vel ea defendendo. Sicut enim licèt *inferiores scientiæ, nec probent sua principia, nec contra negantem principia disputent, sed hoc relinquunt superiori scientiæ: suprema verò inter eas, scilicet metaphysica disputat contra negantem sua principia, si adversarius aliquid concedit, si autem nihil concedit, non potest cum eo disputare, potest tamen solvere rationes ipsius.* Sic *Sacra Scriptura* (vel ut veriùs in MSS. Codice) *Doctrina cum non habeat superiorem, disputat cum negante*

sua principia, argumentando quidem, si adversarius aliquid concedat eorum, quæ per divinam revelationem habentur: sicut per auctoritates Sacræ Doctrinæ disputamus contra hæreticos, & per unum articulum contra negantes alium. Si verò adversarius nihil credat eorum, quæ divinitus revelantur, non remanet amplius via ad probandum articulos fidei per rationes, sed ad solvendum rationes, si quas inducit contra fidem. Cùm enim fides infallibili veritati innitatur, impossibile autem sit de vero demonstrari contrarium, manifestum est, probationes, quæ contra fidem inducuntur non esse demonstrationes, sed solubilia argumenta. Hęc D. Thom.: quæ in re Theologica præ oculis habenda sunt.

VI. Objicies tertio. Theologia Scholastica ex principiis naturalibus procedit, & discurrit: Positiva autem ex revelatis, & solâ fide creditis argumentationes conficit: ergo ista differt essentialiter ab illa.

Respondeo dist. antecedens ex naturalibus principiis tanquam ex propriis, & necessariò; nego antecedens, tanquam ex extraneis, & probabiliter; conc. antecedens. Responsio hęc est D. Thom. 1. *p. qu. 1. art. 8. ad 2.* ubi docet, *quod argumentari ex auctoritate est maximè proprium hujus doctrinæ, eo quòd principia hujus doctrinæ per revelationem habentur. Et sic oportet quòd credatur auctoritati eorum, quibus revelatio facta est. Nec hoc derogat dignitati hujus doctrinæ; nam, licèt locus ab auctoritate, quæ fundatur super ratione humana sit infirmissimus; locus tamen ab auctoritate, quæ fundatur super revelatione divina est efficacissimus. Utitur tamen Sacra Doctrina etiam ratione humanâ: non quidem ad probandam fidem (quia per hoc tolleretur meritum fidei) sed ad manifestandum aliqua alia, quæ traduntur in hac doctrina.*

Cum igitur gratia non tollat naturam, sed perficiat, oportet, quod naturalis ratio subserviat fidei, sicut & naturalis inclinatio voluntatis obsequitur charitati. Unde & Apostolus dicit 2. Cor. 10. In captivitatem redigentes omnem intellectum in obsequium Christi. *Et inde est, quod etiam auctoritatibus Philosophorum Sacra Doctrina utitur, ubi per rationem naturalem veritatem cognoscere potuerunt, sicut Paulus act. 17. inducit verbum Arati, dicens:* Sicut & quidam poetarum vestrorum dixerunt, Genus Dei sumus. *Sed tamen Sac. Doctrina hujusmodi auctoritatibus utitur, quasi extraneis argumentis, & probabilibus. Auctoritatibus autem canonicæ scripturæ utitur propriè ex necessitate argumentando. Auctoritatibus autem aliorum Doctorum Ecclesiæ, quasi arguendo ex propriis, sed probabiliter. Innititur enim fides nostra revelationi Apostolis, & Prophetis factæ, qui canonicos libros scripserunt, non autem revelationi, si qua fuit aliis Doctoribus facta. Unde dicit Augustinus in epist. ad Hieronymum (olim. 19. nunc verò 82.)* Solis eis scripturarum libris, qui canonici appellantur didici hunc timorem, honoremque deferre, ut nullum auctorem eorum in scribendo erraſſe aliquid firmissimè credam. Alios autem ità lego, ut quantâlibet sanctitate, doctrinâque prępolleant, non ideò verum putem, quod ipsi ità senserunt, vel scripserunt. Hæc D. Thomas.

VII. Sed inquies. Si rationes naturales sunt à Theologo extraneæ, & solùm probabiliter suadent: cur tantus labor à Scholasticis assumitur in iis congerendis? Quorsum libri contra Gentiles rationibus naturalibus pleni? aut ergo hi non tradunt veram Theologiam, aut in extraneis nimis morati sunt.

Respond.; veritates, de quibus agit Theologia, quasdam esse, quæ alio lumine, quàm divinæ revelationis cognosci nequeunt, ut est Mysterium Trinitatis, Incarnationis &c., & ad has probandas rationes naturales congerere, ineptia esset. Utilis tamen est naturalis ratio (etsi non ad eas probandas) ad ostendendum eas non esse impossibiles, nec lumini naturalis rationis contrarias: quod fit, ut ait D. Thomas supra laudatus, solvendo argumenta, quæ ex ratione naturali in contrarium adduci possunt. Quasdam verò esse veritates, de quibus Theologia secundariò procedit, quę licèt sint à Deo revelatæ, & ut tales a Theologia considerentur, adhuc tamèn ratione naturali demonstrari possunt, ut sunt

Deum

Deum esse, esse unum, infinitum, immortalem, omnium provisorem &c., & ad illas contra Paganos stabiliendas ratio naturalis non est penitus extranea, nec tantùm probabiliter, sed demonstrativè concludit. Sancti ergo Doctores, qui ingenio speculativo præditi fuere, rationes philosophicas conati sunt afferre, vel ut ostenderent, ea quæ fidei sunt, rationi naturali non esse contraria, sicque Fidem Catholicam ab irrisione, & contemtu gentilium liberarent. Vel ut ea, quæ fides dictat, & etiam ratio naturalis evincit, duplici viâ ostenderent: & hâc regulâ usus est D. Thomas, maximè in libris contragentes.

VIII. Hoc pro veritate dixi: non tamen animum habens tuendi abusum, qui inter Scholasticos irrepsit, nimirum intrudendi in suam Theologiam quamplures quæstiones purè metaphysicales, nihil fidei veritatem, sed solùm humani acumen ingenii ostendentes. Hos enim à vera Theologia rejiciendos esse censeo, & in his non se gerere ut Theologos, sed ut Philosophos sustineo, ut inferiùs dicam.

§. II.

Antiquitas utriusque Theologiæ.

IX. Dico primo. Theologia generaliter sumta prout importat cognitionem de Deo, rebusque divinis habitam per discursum ex articulis revelatis est mundo coæva. Hanc enim fuisse infusam Adamo docet D. Thom. 1. *p. qu.* 94. *art.* 3., ait enim, *eum de supernaturalibus tantam cognitionem accepisse, quanta erat necessaria ad gubernationem vitæ humanæ secundùm statum illum*. Eam postea habuisse reliquos SS. Patriarchas, & Prophetas propriis actibus aquisitam, non est probatu difficile; cum eam haberent articulorum fidei notitiam, ut illos possent filiis, ac nepotibus, quantum necessitas postulabat, explicare, & ex iis conclusiones, sive ad Sacrificium Deo soli offerendum, sive ad mores in vera pietate formandos, & opera ad finem supernaturalem ordinanda pertinentes deducere. Antequam tamen doctrina revelata esset scripto tradita per Moysem, ac Prophetas, de credendis pro illo tempore instruebantur internâ revelatione Sancti illi Viri, quam deinde cæteris communicabant; & ex revelatis docebant eos ad alia discurrere.

X. Dico secundo. Hæc Theologia quâ ab initio Mundi homines imbuti fuerunt, dici potest Theologia Positiva. Quovis enim tempore necessaria fuit hominibus doctrina aliqua, quæ de inspiratis, ac revelatis à Deo discurreret, ea exponendo, ex illis alia inferendo, ac ab impugnatoribus ea tuendo; hic autem Theologiæ Positivę character proprius est, quę, ut vidimus, tota versatur, in rerum revelatarum explanatione, ut fideles instruat, mysteria referet, & ex iis alia inferat, & doceat: eam propterea Tertullianus *lib. de Præscipt. cap.* 14. *scripturarum exercitationem* appellat. Sed de hoc infra dicetur, ubi de Theologiæ Positivæ utilitate, ac necessitate sermo erit.

XI. Dico tertio. Quovis etiam tempore fuit aliqualis usus Theologiæ, quam hodie Scholasticam vocant. Nota, me hìc non sumere Theologiam Scholasticam juxta exactam, & accuratam methodum, quâ traditur, & discitur in Scholis hodie; sed eam sumere, prout est Theologia ex revelatis à Deo discurrens, & disputans, abstrahendo à tali, vel tali methodo. Ita cum Annato *in apparat. ad Theolog. Positiv. lib.* 1. *artic.* 3. & probo. Quovis tempore fuit necessaria aliqua fidelium quoad res credendas instructio; & necessarii semper fuerunt aliqui parati ad satisfaciendum omni poscenti rationem; & non tantùm ad solum exhortandum in doctrina sana, quod Theologi positivi munus est, sed etiam ad arguendum eos, qui contradicunt: atqui hoc fieri non poterat, nisi aliquali servatâ methodo, & regulis boni discursus, & argumentationis, quod Theologiam Scholasticam aliqualiter sapit, quæ nil aliud est quàm methodica, & argumentativa res divinas tractandi via; ergo quovis tempore &c.

XII. Confirmo. Certum est, primos primorum temporum Patriarchas, & Primarios populi ante Christum rectores habuisse

buisse fidei nostræ, saltem quoad generaliora mysteria, & præcipua capita, & præcipuè de ultimo supernaturali fine consequendo per gratiam Mediatoris, cognitionem aliquam acceptam per fidem, quâ solâ placebant Deo. ut testatur Paulus ad *Heb. cap. 11.*, & *v. 6.*, ait *sinè autem fide impossibile est placere Deo.* Certum pariter est, eos, cum pollerent ingenio, ac eruditione summâ, vitâque fruerentur multò longiori nostrâ, potuisse per discursum conclusiones varias deducere, easque suo modo probare, & contra impugnantes, oppositas solvendo rationes defendere; & denique hæc omnia tradidisse, ac explicasse aliis, filiis videlicet, posteris, & populis.

Atqui credibile non est, hæc omnia eos fecisse confusè, inordinatè, absque ulla methodo, & arte discurrendi Dialecticè; si enim ordinem aliquem, & methodum, regulasque servasse credimus in tradendis mechanicis, ac naturalibus disciplinis: cur non servassent in Divinis, Supernaturalibus, & Theologicis? Iste autem ordo, quædam præformatio fuit istius, qui strictiori, & exactiori methodo successu temporis in scholas invectus est.

XIII. Clarius id apparet in Novo Testamento exemplo Christi, Apostolorum, & Patrum, qui persępè aliquâ argumenti, & discurrendi formâ usi sunt. Christus porrò *Matth. 22. v. 42.*, ut suam probet divinitatem, & se Dei, non tantùm Davidis, filium naturalem esse, ex illo *Psalm. 109. Dixit Dominus Domino meo*, sic concludit: *Si ergo David vocat eum* (Christum) *Dominum, quomodo filius ejus est?* quasi diceret: qui à Davide vocatur *Dominus*, filius ejus purè non est, & purus homo: Christus à Davide vocatur Dominus; ergo Christus non solius Davidis, sed etiam filius Dei est, non purus Homo, sed Deus simul, & Homo.

Secundò *Matt. 22. v. 20.* ut concludat, Cęsari solvendum esse tributum, ostensâ sibi in numismate impressâ Imagine Cæsaris, quærit à Judæis *Cujus est imago hęc?* & respondentibus illis, Cęsaris esse, intulit: *reddite ergo quę sunt Cęsaris Cęsari.* Nonne hoc idem fuit, ac dicere: quæ Cæsaris sunt, Cæsari reddenda sunt: numisma hoc gerens imaginem Cæsaris, Cæsaris est; ergo Cæsari reddendum est.

Tertiò, ut Pharisæis probet matrimonium esse indissolubile, ex illo *Genes. 2. v. 24. propter hoc .... & adhærebit uxori suæ, & erunt duo in carne una*, concludit *Matth. 19. v. 6. Quod ergo Deus conjunxit, homo non separet.* Hoc in forma arguendi idem est: quod Deus conjunxit homo separare non potest: Deus conjunxit virum cum uxore: ergo homo virum ab uxore separare non potest.

Quartò *Luc. 20. v. 38.* contra Saducæos probat animæ immortalitatem hoc ratiocinio: Deus *Exodi 3.* dicitur: Deus Abraham, Deus Isaac, Deus Jacob: sed Deus non est Deus mortuorum, sed viventium: ergo Abraham, Isaac, & Jacob adhuc vivunt; sed non vivunt secundùm corpus; ergo vivunt secundùm animam; ergo anima est immortalis. Rursus cum vivere sit totius suppositi ex anima, & corpore constituti, si Deus est Deus vivorum, concludit, Abraham &c., vel adhuc vivere etiam secundùm corpus, vel aliquando victuros; sed non primum, ergo secundum; ergo aliquando Abraham &c. resurgent; ergo resurrectio aliquando futura est.

XIV. D. Paulus item sub aliqua Scholasticæ Theologiæ forma locutus est, 1. *Rom. 11. v. 5.*, & *6.*, dum sic ait electio ad fidem ex gratia est: *Reliquię secundùm electionem gratię salvę factę sunt:* sed quod ex gratia est, ex operibus non est, *alioquin gratia, jam non est gratia*; ergo electio ad fidem ex operibus non est.

Secundò *1. Cor. 12. v. 12.* ut probet, non habere idem Donum à Deo, nec omnes esse debere Doctores, arguit sic: omnes, qui baptizati sumus in uno spiritu, sumus in Christo, sicut membra in uno Corpore: sed non omnia membra ejusdem corporis eundem actum habent: *Si enim totum corpus oculus, ubi auditus? si totum auditus, ubi odoratus?* ergo non omnes habemus à Deo idem Donum, non omnes Doctores &c.

Tertiò *1. Cor. 15. 12.* ex resurrectione Christi ad generalem mortuorum resurre-

furrectionem difcurrit fic: *Si refurrectio mortuorum non eft, neque Chriftus refurrexit*, conceditis quod Chriftus refurrexit, *fi enim Chriftus non refurrexit, inanis eft prædicatio noftra, inanis eft fides veftra*. Ergo concedere debitis, dari refurrectionem mortuorum.

XV. SS. etiam PP. antiquiores aliqualem Scholafticæ Theologiæ ufum habuiffe teftatur S. Hieronym. *in Cathal. Script. Ecclef.*, dum S. Marci temporibus Alexandriæ Scholas Theologicas afferit, & in eis poft Clementem Alexandrium, Originem Clementis difcipulum docuiffe notat *ep. 64. ad Pammach.*, & *Oceanum* datâ. Videri poffunt Sancti Juftini pro Chriftianis apologia. Clementis Alexandrini ftromata; Eufebii demonftratio, & præparatio Evangelica; SS. Athanafii, & Hilarii Pictavienfis in Arianos fcripta; Hieronymus contra Helvidium, Jovinianum, & Vigilantium. Auguftini certamina contra Academicos, Manichęos, Donatiftas, Pelagianos, & paffim ubique deprehendetur aliquale Theologiæ Scholafticę prćludium, & argumenta nedum ex fcripturis, fed ex Philofophis, ex ratione exacto ratiocinio deducta.

XVI. Sed dices primò. Communis Doctorum confenfus eft, Theologiam Scholafticam ortum fuum habuiffe à Sancto Joan. Damafceno circa annum Chrifti 800.: augmentum verò fuum à Petro Lombardo fententiarum Magiftro circa annum 1160., & hodiernæ perfectionis ftatum, & ufum à S. Thoma Doctore Angelico circa ann. 1260.; ergo ante Damafcenum nullus erat Scholafticæ ufus.

Refpondeo hęc folum evincere ante Damafcenum, Petrum Lombardum, & D. Thomam non fuiffe Theologiam Scholafticam fub methodo adeo accurata, & ftricta, fub qua modò in Scholis verfatur; non verò ante illos non fuiffe aliquam, five perfectam, five imperfectam; accuratam, vel non accuratam; fcriptam, vel non fcriptam; methodicam, & argumentativam res divinas tractandi viam; oppofitum enim oftendi.

XVII. Fateor enim prioribus Ecclefię fęculis pofitivam fuiffe maximè frequentatam, & Patres oratorio, ut plurimum more potiùs, quàm fcholaftico proceffiffe. Nemo tamen ibit inficias, ipfos, dum rem preffiùs agerent contra hęreticos, aliofque infideles, ftrictam methodum arguendi, quâ utuntur modo Scholaftici, aliqualiter ufurpaffe.

Cur autem antiquiores Pofitivum theologizandi modum frequentiùs ufurpaverint, ratio effe poteft; quia Theologia Pofitiva accommodatior erat Philofophiæ Platonicæ, quæ tunc in ufu erat. Hęc enim allegoriis, & oratorio difcurfu plurimùm utitur; cum Scholaftica Ariftotelicam, quæ per analyfim, & prefforem fyllogizandi modum procedit, imitetur. Voluit autem Deus juftis de caufis, ut nafcentis Ecclefiæ filiis Platonica potius Philofophia deferviret. Primò, quia hic philofophandi, & ratiocinandi modus frequentior erat apud Judæos, & Gentiles, quorum errores expugnandi erant, ut iifdem armis, quibus fe tuebantur vincerentur. Secundò, quia Platonica Philofophia magis docilis erat, & aperta, ideòque magis idonea ad infinuandas Fidei Veritates, & fuadenda Divina Myfteria. Tertiò, quia cum Plato circa divina contemplanda totus fit, & plurimas Fidei Veritates, & nonnulla Myfteria ab Hebræis in Ægypto didicerit, eaque fuis fcriptis inferuerit: longè accommodatior videbatur ejus philofophia ad ea fuadenda Philofophis, & Doctoribus Paganis, quàm Ariftotelica, quæ circa naturalia tota occupatur, & vix res divinas fcrutatur, ac inveftigat. Denique, quia Philofophia Platonica, cum parabolis, & allegoriis plurimum vigeret, & illuftraretur, hifce involucris fupernaturalis Divinæ Veritatis radios temperabat, & ad captum fidelium adhuc infirmiorum, veluti lac parvulis propinabat, & infidelibus ipfis multa etiam abfcondebat, quibus apertè fibi expofitis, fcandalum potius, quàm fidem concepiffent. Hinc etiam factum exiftimo, ut Primi Patres abftinuerint, à redigendis in fummas Theologicas Chriftianis Veritatibus; & variis de eis formandis queftionibus; ne & infidelibus abdita myfteria patefacerent, & talibus quæftionibus fidelium debilem adhuc fidem turbarent. Neceffum ergo

ergo fuit, ut allegoria præcederet analysin, & ut novâ semper accedente veritatum manifestatione, Catholica Fides in plano statueretur.

XVIII. Verùm ubi omnibus suis partibus solidè constitit Christiana Fides, ac Divinæ Veritates satis superque fuerunt evulgatæ, & in Sanctorum Patrum scriptis hìc, illìcque sparsim disseminatæ, & ab illas impugnantibus, pro ut sese obtulit occasio hæresum insurgentium, solidis argumentis defensatæ: Tunc ad faciliorem illarum intelligentiam, & promtiorem earumdem defensionem, oportuit, ut Theologi Catholicas Veritates in unum colligerent corpus, certum, ac methodicum in ordinem redigerent; & quæ PP. antiquiores spatsim, & oratorio modo comprobarant, ac defensarant, ad strictiorem Aristotelicam philosophandi methodum reformarent: tum ut nitidiùs Evangelicæ Veritates elucesserent: tum, ut hæreticorum technæ, & sophismata faciliùs apparerent, & solvi possent. Quod tamen non tulit, quin in veterum scriptis aliqua hujus methodi semina deprehenderentur, quæ hâc novâ methodo accuratiùs exculta, majori luce perfusa in lucem prodierunt: hinc Sententiarum Magister, novi methodi Instaurator, ex scriptura, & PP. monumentis omnes ferè suas probationes firmat, & contraria solvit argumenta.

XIX. Objicies secundò. Theologia argumentativa, & consequenter scholastica reprobatur à SS. Ecclesiæ Patribus, maximè à Sancto Ambrosio *l. 1. de fide c. 5.* dicente, *removenda sunt argumenta, ubi quæritur fides, & credimus piscatoribus, non dialecticis.* Et à S. Leone Magno *serm. 7. de natal. Dom.* pariter inclamante. *Abigatur procul terrenarum caligo rationum, & ab illuminata fidei oculo mundana sapientia fumus abscedat.* Ergo apud Sanct. Patres. nullus probatus viguit Scholasticæ Theologiæ usus.

Respondeo negando anteced., quod non probant allati textus. Ambrosius enim, & Leo non loquuntur de Theologia, quæ scientia est, sed de fide; solum contendentes, argumenta, & humana ratiocinia eo sensu esse removenda, & abigenda, ut eis non nitatur fides nostra, nec potius rationi naturali, quàm divinæ credat auctoritati. Hoc vitio certè non peccat Theologia scholastica, & argumentativa; nam dum utitur argumentis, & discursu à ratione naturali, non eis utitur ad probanda ea, quæ fidei sunt; sed vel ad ea explicanda, vel ad ea defendenda, ostendendo scilicet, ea non esse rationi naturali contraria; vel denique ad manifestanda alia, quæ in hac doctrina traduntur, ut supra diximus ex D. Thom. *1. p. q. 1. ar. 8.*, & præcipuè ad 2., ex quo ostendimus, Theologiam uti principiis naturalibus, non per se, & tanquam propriis, sed per accidens, & tanquam extraneis, & quasi ex abundantiâ, ut fidei hostes cognoscant veritatibus, quas ipsa dictat, etiam Philosophicas rationes deservire, & famulari.

XX. Nec poterant Veteres Patres damnare arguendi modum, quo ipsi persæpe usi sunt, dum contra Ethnicos, & Atheos (qui nullâ aliâ, quàm discursu naturali, convinci possunt viâ) pugnandi data fuit occasio, vel etiam contra hæreticos, qui Mysteria Fidei philosophicis argumentis quatere conati sunt; ut Calvinistæ modò impugnant realem Corporis Christi præsentiam ex impossibilitate unius corporis simul existendi in pluribus locis, & quidem modo inextenso, & indivisibili, quorum Philosophica argumenta diluere non posset Theologus, nisi ad philosophica principia recurrendo. Ita propterea processerunt Sanctus Justinus in Apolog. pro Christianis. S. Clemens Alexand. in suis stromatum libris. S. Gregorius Nazianzenus, & S. Cyrillus dum ageret contra Julianum Apostatam. S. Gregorius Thaumaturg. ad Tatianum celebrem scripsit sermonem de anima, sic ab eo rogatus, nullis scripturæ testimoniis, sed solis argumentis, ac philosophicis demonstrationibus usus: *Jussisti* (inquit) *præstantissime Tatiane, ut cum efficacibus argumentis, sive demonstrationibus sermonem, atque disputationem de Anima tibi conscriptam mitterem, eâque in re nullis scripturarum uterer testimoniis.* Magnus itidem Athanasius (teste Gregor. Nazianz. orat. in laudem Athan.)

Athan.) contra Arianos persæpè pugnavit, nedum scripturis, sed etiam philosophicis rationibus, *ut probabilibus argumentis, atque ad persuadendum accommodatis*. Sed quid plura? S. Paulus ut probaret, in Ecclesia non omnes debere esse doctores 1. *Cor.* 15., nonne id persuadere conatus fuit exemplo membrorum, quæ non omnia in corpore idem officium habent? *Rom.* 9. 21. Deum pro sua voluntate aliquos prædestinare, alios non, persuadet exemplo figuli, in cujus potestate est facere aliud vas in honorem, aliud in contumeliam; & ut ait D. Thom. *cit. artic.* 8. *ad* 2., *art.* 17. inducit auctoritatem Arati Poetæ, ut ostendat Athenienfibus, Divinitatem inesse non posse auro, aut argento, aut cuilibet sculptili. Sicut ergo idem Paulus omnibus omnia factus, Hebræus Hebræis erat, & Paganis Paganus, ut omnes lucrifaceret: ita Theologus interdum fiat necesse est Philosophus Philosophis, ut istos facilius, ac luculentiùs lucretur, ac devincat. *Exhibenda enim cuique sunt, quæ conveniunt, & familiaria sunt, ut per propria veniat ad fidem veritatis* (inquit Melchior Canus.)

XXI. Neque dicas, Paulum ipsum *ad Colofs. cap* 2. *v.* 8. monere eos: *videte, ne quis vos decipiat per Philosophiam, & inanem fallaciam*.

Nam Paulus ibi non monet Colossenses, ut caveant à Philosophia, quando hæc inducitur ad confirmanda fidei dogmata, uti eam inducunt Theologi, & ipse eam induxit, ut nuper dicebamus: sed monet eos, cæterosque fideles, ut caveant à Philosophia, quando inducitur contra fidei dogmata: tunc enim vera Philosophia non est, *sed inanis fallacia*, quia verum non est contrarium vero. Unde ait: *videte ne quis vos decipiat per Philosophiam, & inanem fallaciam, secundùm traditionem hominum, secundùm elementa Mundi, & non secundùm Christum*. Loquitur ergo de Philosophia, quæ Doctrinę Christi contraria est.

DUBIUM III.

De utilitate utriusque Theologiæ, Positivæ, & Scholasticæ.

§. I.

Utilitas Theologiæ Positivæ.

I. Dico primò. Theologia positiva Ecclesiæ Dei semper fuit utilis, imò necessaria. Huic asserto maximam lucem afferunt, quę hactenus dicta sunt, maximè *Dub.* 1. §. 2. magis autem suadetur. Primò ex necessitate, quam semper habuit Ecclesia, ut in ea essent Doctores, qui Sacras Scripturas populo exponerent, illarum verum sensum aperirent, falsas interpretationes, atque hæreticorum fallacias detegerent, ac dissiparent: atqui hoc indicat necessitatem Theologiæ Positivæ, cujus hoc officium est: ergo &c. minor ex dictis apparet. Major verò probatur ex S. Paulo, tum ad *Ephes.* 4. 12. ubi dicit: Deum suâ erga Ecclesiam providentiâ ei varios dedisse Ministros, maximè verò *Doctores ..... in opus ministerii, in ædificationem Corporis Christi*. Et hoc ideo *v.* 14. *Ut jam non simus parvuli fluctuantes, & circumferamur omni vento Doctrinę in nequitia hominum, in astutia ad circumventionem erroris*. Hinc ad *Titum* 1. *v.* 9. dicit, oportere, *Episcopum esse amplectentem eum, qui secundùm doctrinam est, fidelem sermonem, ut potens sit exhortari in doctrina sana, & eos, qui contradicunt arguere. Sunt enim multi etiam inobedientes, vaniloqui, & seductores, maximè, qui de circumcisione sunt, quos oportet redargui: qui universas domos subvertunt, docentes, quæ non oportet, &c.*

II. Secundò probatur: hęretici Scripturas Sacras pravum in sensum detorquent, ut suis erroribus patrocinari videantur, & sic decipiant infirmos. Ita Tertullianus *lib. de præscription. cap.* 14. *Scripturas obtendunt, & hâc suâ audaciâ, statim quosdam movent; in ipso verò congressu, firmos quidem fatigant, infirmos capiunt, medios cum scrupulo dimittunt*,

mittunt, & c. 39. *Nec periclitor dicere, ipsas quoque Scripturas, sic esse ex Dei voluntate dispositas, ut hæreticis materias subministrarent; cum legam*: oportet hæreses esse, *quæ sine scripturis esse non possunt*. Idem sentit Origenes *lib. 3. de principiis c. 11.* Hilarius *lib. 2. de Trinit.*, & S. Augustin. *tract. 18. super Joan.* his verbis: *Neque enim nata sunt hæreses, & quędam dogmata perversitatis illaqueantia animas, & in profundum præcipitantia nisi dum scriptura bona, intelliguntur non benè, & quod in eis non benè intelligitur, etiam temerè, & audacter asseritur*. Sed quid plura? Inspicite proximis seculis exortas hæreses, easque videbitis de scripturis gloriantes, & ad Scripturas malè intellectas, atque in suorum patrocinium errorum adductas, provocantes Catholicos. Necessum ergo fuit, & est, ut sint aliqui Catholici Doctores, qui genuinum Scripturæ sensum aperiant, & detegant insidias, quas fidelibus, ex depravato Sacræ Scripturæ sensu, struunt hæretici.

Hinc verę Ecclesię praxis quovis seculo fuit instituere Scholas, in quibus Theologia Positiva publicè traderetur. Hanc celeberrimam Alexandriæ olim fuisse refert Eusebius *lib. 5. histor. Eccles. cap. 10. Per idem tempus Fidelium Scholæ præerat vir doctrinæ causâ celeberrimus nomine Pantanus, quippe jam à priscis temporibus Sacrarum Litterarum Schola in ea Civitate fuerat instituta, quæ quidem nostrâ adhuc ætate perseverat, & ab hominibus, tum eloquentiâ, tum Divinarum Litterarum studio instructissimis obtineri dicitur*.

III. Tertiò probatur, Scripturæ Sacræ sensum adeo profundum, ac reconditum habent, totque, ac tantas difficultates in eo assequendo occurrunt, ut summâ opus sit eruditione, summoque studio ad eas exponendas, ac interpretandas, proindeque necesse est, ut aliqui huic expositioni, ac explanationi totam dent operam: atqui hoc fit ope Theologiæ Positivæ; ergo &c. Minor patet. Major, quam negant recentiores hæretici; prob. ex D. Petro *epist. 2. cap. 3. v. 16.*, qui de Pauli epistolis, cæterisque scripturis: *In quibus* (inquit) *sunt quædam difficilia intellectu, quæ indocti, & instabiles depravant, sicut & ceteras scripturas ad suam ipsorum perditionem*. Idipsum pene omnes SS. PP. testantur. Origines *l. 7. contr. Celsum: Alii* (inquit) *quoque cordati viri scrutando Scripturam, intellectum ejus invenire potuerunt; licèt re vera sit multis locis obscura*. Ambros. *epist. 44. Mare est Divina Scriptura habens in se sensus profundos, altitudinem Propheticorum ænigmatum*. Sanctus Augustinus *lib. 12. conf. c. 14.*, & *lib. 2. de Doctr. Christ. c. 4.* loquens de Scripturarum lectione, ait: *Sed multis, & multiplicibus obscuritatibus, & ambiguitatibus decipiuntur, qui temerè legunt aliud pro alio sentientes; quibusdam autem locis, quid vel falsò suspicentur, non inveniunt; ita obscurè quædam dicta, densissimam caliginem obducunt*. Cujus obscuritatis rationem reddens: *Quod totum* (ait) *provisum divinitus esse non dubito, ad edomandam labore superbiam, & intellectum à fastidio revocandum, cui facilè investigata plerumque vilescunt*. Augustino concinit S. Gregor. *homil. 6. in Ezech.* videndus.

Verùm hæc SS. PP. doctrina hereticis recentioribus non placet, qui Sacram Scripturam Sole meridiano clariorem esse venditant. Unusque pro cunctis Calvinus *lib. 1. inst. c. 7. §. 2.* ait: *Non obscuriorem veritatis suæ sensum ultrò Scriptura præsefert, quàm coloris sui res alba, aut nigra, saporis suaves, & amaræ*.

IV. Quare contra illam objiciunt 1. *Psalm. 18.* dicitur: *Præceptum Domini lucidum illuminans oculos*. *Prov. 6. mandatum lucerna est, & lex lux*. 2. *Petri 1. v. 19. habemus firmiorem propheticum sermonem, cui benè facitis attendentes tanquam lucernæ lucenti in caliginoso loco*. Ergo Scriptura nedum non est obscura, imò ipsa lux, lucerna est, quæ alias veritates illuminat, & patefacit. Ergo si Theologia Positiva ob id statuitur, ut Sac. Scripturæ obscuritates, & ambiguitates solvat, superfluè statuitur.

V. Quæro primò ab adversariis: si Sacra Scriptura tota lux est, adeoque clara, & illuminans alia; Ideoque superfluit Theologia Positiva, quæ illam explicet.

plicet. Cur ipsi insudant in edendis Sac. Scripturæ commentariis, & interpretationibus? cur ipsi Universitates, Scholasque publicas habent, pro Theologiæ studio? cur denique in assignando vero sensu Scripturæ adeo inter se discordes sunt, ut nullâ viâ conciliari potuerint, quod contigit in assignando vero sensu istius propositionis *hoc est Corpus meum?*

VI. Secundò respondeo, Prophetam, & Sanctum Petrum non loqui de Sacra Scriptura, quoad omnem sui partem, ita ut in omni sui parte sit aperta, & clara, sed solùm quoad aliquam, & maximè quoad Præcepta Decalogi, quæ rationi naturali adeo sunt conformia, ut cuilibet ratione utenti per se pateant, ideòque dicit David: *Præceptum Domini lucidum: Mandatum lucerna est, & lex lux*, dicit Salamon. S. Petrus etiam loquitur, non de quocumque prophetico sermone, sed de prophetico sermone, de Christo, & Lege Evangelica, qui quidem clarè adeo lucet, ut non nisi obcæcatis non appareat. Cæterum ipse Petrus, ut nuper dicebamus, multa difficilia in epistolis Pauli, sicut & in cæteris scripturis adesse fatetur. Neque David ipse hoc negabat, dum, & in lege aliqua latentia observans, ajebat *Psalm.* 118. *Da mihi intellectum, & scrutabor legem tuam: revela oculos meos, & considerabo mirabilia de lege tua.......... Illumina super servum tuum, & doce me justificationes tuas*. Ad quæ respiciens Sanctus Hieronym. *ep. ad Paulinum: si tantus* (inquit) *Propheta tenebras ignorantiæ confitetur, quâ nos putas parvulos, & penè lactentes inscitiæ nocte circumdari? Hoc autem velamen non solùm in facie Moysis, sed & in Evangeliis, & Apostolis positum est.... nisi aperta fuerint universa, quæ scripta sunt ab eo, qui habet clavem David, qui aperit, & nemo claudit, claudit, & nemo aperit, nullo alio reserante pandentur*.

VII. Inquiunt tamen: Scripturæ Sanctæ non sunt intellectu difficiles, nisi superbis, & malitiâ excæcatis, dicente Paulo 2. *Cor.* 4. *v.* 3.: *Si opertum est Evangelium nostrum, in iis, qui pereunt, est opertum*.

At non vident, Paulum ibi non loqui de Sacra Scriptura, sed de Evangelio à se prædicatio, subdit enim, *non enim nosmetipsos prædicamus, sed Jesum Christum Dominum nostrum*; Quod certè opertum erat iis, qui ex malitia, & mentis excæcatione illud repellebant? Falsum pariter est, quòd solis superbis Sacra Scriptura sit obscura, & difficilis. Non enim superbus erat David, qui tamen à Deo petebat Scripturarum, & legis intelligentiam. Superbus non erat Eunuchus ille Reginæ Candacis *actor.* 8., qui dum legeret Isaiam Prophetam, & nihil intelligens, eguit, ut Philippus ei explicaret. Intelligentia ergo, & interpretatio Scripturarum donum Dei est, nimirum *interpretatio sermonum, vel donum scientiæ*, sed hoc nunquid omnibus datur? Paulum audio dicentem, aliis dari, aliis non. 1. *Cor.* 12. *v.* 7. *alii quidem sermo Sapientiæ: alii autem sermo Scientiæ... alii interpretatio sermonum. Nunquid omnes doctores? nunquid omnes interpretantur? ibid. v.* 30., *& ad Ephes.* 4. *v.* 11. *posuit Deus, alios autem Pastores, & Doctores*. Non omnibus ergo adest intelligentia, & interpretatio Scripturarum, sed quibus dat spiritus, *dividens singulis prout vult*. Et quidem valdè miror, quòd continentiam, quia Donum Dei est, non omnibus etiam humiliter petentibus certò dari Protestantes velint, Scripturarum autem intelligentiam, & interpretationem, etiamsi donum Dei sit, omnibus adesse contendant, & contra Apostolum velint, omnes esse doctores, omnes interpretari, habere omnes donum Scientiæ.

VIII. Objiciunt secundò. Si Sacra Scriptura aliquibus tenebris offundatur, eas tamen non ab homine exteriùs explicante, sed à Deo interiùs docente esse dissipandas. Donum autem cuique fideli adesse, donando lumen ad veritatis cognitionem, juxta illud *Isaia* 54 *v.* 13. *Ponam universos filios tuos doctos à Domino*; & *Jeremia* 31. *v.* 33. 34 *dabo legem meam in cordibus eorum, & in corde eorum scribam eam: non docebit ultra vir proximum suum, dicens, cognosce Dominum; omnes enim scient me à minimo eorum, usque ad maximum*. Un-

de 1. *Joan. c. 2. v. 27.* Inquit Joannes ad fideles scribens: *Non necesse habetis, ut aliquis doceat vos, sed sicut unctio ejus docet vos de omnibus.*

IX. Retorqueo argumentum: si fideles omnes immediatè docentur à Domino, & non est necesse, ut aliquis eos doceat; Cur dicit Paulus laudatis locis, in Ecclesia aliquos esse debere Doctores? Cur ipse tot epistolas scripsit, cæterique Apostoli, ut Ecclesias, quas fundaverant, erudirent? Cur Patres tot, tantaque scripserunt, homilias, sermones, tractatus ediderunt, ut instruerent populos? Cur Protestantes ipsi, Prædicantes, & Ministros alunt, & Catechismos ediderunt? hæc omnia superflua sunt, si fideles omnes docentur à Domino, si necesse non habent, ut aliquis doceat illos. Dicendum ergo, Deum quidem fideles suos lumine perfundere, sed sicut Ecclesiam visibiliter regit per Pastores; ita fideles visibiliter instrui vult per Doctores, ita tamen, ut eorum exteriori doctrinæ cooperetur ipse suâ internâ illustratione, si obicem non inveniat.

X. Respondeo ergo Isaiam, & Jeremiam statuere differentiam inter doctrinam Legis Mosaicæ, & Evangelicę, quòd, ubi illa tradita fuit per homines, ista tradenda erat immediatè per ipsummet filium Dei, quod & expressit Sanctus Paulus *ad Hebr. 1. multifariam, multisque modis olim Deus loquens Patribus in Prophetis; novissimè diebus istis locutus est nobis in filio.* Quo fit, ut Christiani omnes dicantur *Theodidacti*, hoc est à Deo edocti, vel immediatè, ut Apostoli, cæterique, qui Christum audierunt, vel mediatè saltem, ut cæteri fideles.

Vel dico, prælaudatos vates, ut exponunt Chrysostom. Theophil., & OEcumenius in *cap. 8. ad Hebr.*, & Sanct. August. *de gratia Christi c. 12.* solùm indicare, quòd tanta futura sit facilitas & gratia Legis Evangelicæ, ut non sit opus magno labore ad discenda necessaria ad salutem; & tanta erit Spiritus Sancti illustratio, & tam obvius ejusdem impulsus ad credendum, sperandum, & amandum, ut externa fidei prædicatio, comparata ad internam illam vocationem, parùm, & quasi nihil esse videatur.

Vel dico Prophetas prælusisse illi mirando illapsui, quo in die Pentecostes Apostoli, aliique Ecclesiæ nascentis filii erudiebantur, quibus cum baptismo Spiritus Sanctus, & cum eo dona scientiæ, prophetiæ, genera linguarum &c. divinitus infundebantur, itaut idiotæ quique, & rudes in momento sapientissimi evaderent.

Sanct. autem Joannes ibi solùm innuit, fideles, ad quos scribebat, & jam docuerat, per ea sola, quæ didicerant, fidem tueri, ac servare posse contra quamcumque aliam perversam Pseudo Apostolorum doctrinam, Spiritus Sancti internâ auxiliante gratiâ. Unde præmiserat *hæc scripsi vobis de his, qui seducunt vos. Et vos unctionem, quam accepistis ab eo, maneat in vobis*, ac si diceret: contra seductores nil aliud facite, nisi servate fidem, quam edocti estis.

§. II.

Utilitas Theologiæ Scholasticæ.

XI. Non loquemur de Theologia Scholastica, prout dicit aliqualem methodum, strictioremque discurrendi modum: hanc enim quovis seculo in usu aliqualiter fuisse supra ostendimus præcedenti dubio §. 2. loquentes de utriusque Theologiæ antiquitate. Sed loquemur de Theologia Scholastica, prout in Scholas Catholicas invecta fuit, redigens nimirùm in summam, & methodum accuratam, & strictam tractatus, & quęstiones Theologicas, easque tractans modo formaliori, & dialecticæ regulis accommodatiori.

XII. Dico secundò. Theologia Scholastica utilis est Ecclesiæ, imò & necessaria, sic, ut non plenè sufficiat Positiva, sed utraque requiratur. Id probat ipsum Theologi officium. Oportet enim inprimis, Theologum, sicut & Episcopum, *non solum amplecti eum, qui secundùm doctrinam est, fidelem sermonem, ut potens sit exhortari in doctrina sana*, sed etiam *eos, qui contradicunt arguere*, & rationem reddit Sanctus Paulus ad *Tit. 1. v. 11. sunt enim multi etiam inobedientes,*

dientes, & docentes, quæ non oportet, infideles quippe multi, Judæi, Hæretici. Secundò juxta Sancti Petri monitum *ep. 1. cap. 3. v. 16. Paratus esse debet ad satisfaciendum omni poscenti rationem de ea, quæ est in nobis, spe.* Denique ex *Sap. 8. v. 8. debet scire versutias sermonum, & dissolutiones argumentorum.* Atqui cum sola Theologia Positiva esto possit amplecti fidelem sermonem, & exhortari in doctrina sana, non tamen (saltem ita prompte, ac expedite) eos, qui contradicunt arguere, satisfacere omni poscenti rationem, scire versutias sermonum, & dissolutiones argumentorum sine Scholastica posset, quæ decet accuratè argumentari, fallacias detegere, ac versutias sermonum, easque dissolvere: ergo &c.

Theologus ergo positivus Scholasticâ penitus destitutus, esset veluti miles habens arma, carens verò arte, & dexteritate ea tractandi. Sicut ergo militi ars, & peritia tractandi arma, & eludendi hostium insidias necessaria est, ita Theologo peritia arguendi, & hostium argumenta eludendi: hoc autem ipsi præstat Theologia Scholastica. Propterea vel ipsos SS. PP. dum hæreticorum technas dissolverent, ad aliqualem Scholasticæ usum recurrisse supra ostendimus.

XIII. Secundò probat. Theologia Ecclesiæ utilis, ut ait D. August. *lib. 14. de Trinit. cap. 1.*, debet fidem gignerè, nutrire, defendere, roborare: atqui hoc totum Scholastica præstat: fidem namque gignit, dum declarans, & explicans Scripturam Sacram, objectaque revelata proponit, dispositivè fidem in corde generat: *fides enim ex auditu, auditus autem* per Verbum Christi. *Rom. 10. 17.* Fidem nutrit; rationes enim, & similitudines, motiva, & exempla, quibus Theologi Scholastici fidei articulos elucidant, & credibilem demonstrant, fovent fidem, eam nutriunt, & augent. Fidem defendit dum hæreticorum falsa ratiocinia, & malè philosophantium technas, & sophismata detegens, ac dissolvens, fidei suam lucem restituit. Fidem tandem roborat, dum Theologicis discursibus ostendit, fidei articulos non esse contra, licèt sint supra rationem naturalem: imò plerumque demonstrat, eos esse naturalibus principiis conformes, quo intellectus, inclinatur, ut eis firmiorem, ac tenaciorem præbeat assensum, ex quo fides maximà roboratur, & firmatur.

XIV. Theologiæ Scholasticæ utilitatem probat ulterius illius toto litterario in orbe usus. Eam omnes Academiæ excolunt, ac profitentur. Eam commendat Ecclesia: Concilium enim Lateranense IV. magnificè laudat, & approbat Petri Lombardi Scholasticam docendi methodum, damnat e contra ejus impugnatorem Abbatem Joachimum. Concilium insuper Viennense tanti fecit Scholasticos Theologos, ut in quæstione de baptismi parvulorum effectu, majorem sui temporis Scholasticorum partem sequendam esse decreverit. Varii Summi Pontifices eam probavere in S. Thoma Doctore Angelico, cujus summam Theologicam summis laudibus extulerunt, intes quos Urbanus IV., Innocentius VI., Joan. XXII., sicut Innoc. IV., & Alexander IV., quorum unus Alexandro Alensi mandavit, ut summam Theologicam conscriberet alter verò jam conscriptam suo diplomate approbavit.

Et jure quidem merito: sicut enim nemo rationis compos vituperandum existimaret, qui scientiam aliquam ante perturbatam, inordinatam, indigestam ordinaret, in partes distribueret, omnia suis locis antea dispersa collocaret, multis etiam quæstionibus augeret, ac strictiori, & accuratiori methodo ea pertractaret, quâ ratione nemo damnat, imo quilibet laudat Aristotelem, qui hoc præstitit in Philosophia: sic tantùm abest, ut convicitiis digni sint Theologi Scholastici, imò potiùs summam laudem apud omnes mereantur, quòd hoc idem in Theologicis peregerint, ordinando videlicet in unam summam, ea quæ in SS. PP. erant dispersa, novâ methodo ea donando, pluribusque augendo quæstionibus, fidei mysteria mirè illustrantibus, ea indagando, expendendo, excutiendo, & ab impugnationibus liberando.

XV. Soli propterea Theologos Scholasticos odio habent hæretici, eosque impudenter convitiis onerant. Eorum

Scholas *Cainitica castra* vocat Wicleffus: *Conventus idolatriæ, & impietatis scholas* Calvinus: *Antichristi Lupanaria* Lutherus. Scholasticam Theologiam *prophanam* Melanchton, *negotium* verò *perambulans in tenebris* vocitat Kemnitius. Uno verbo quotquot invenere Theologiæ Scholasticæ libros publico tradidere rogo Wittembergenses anno 1520., sperantes, ut olim Pagani Sacr. Codicibus combustis Religionem Christianam extinguere, sic illi, Scholasticâ extinctâ, Catholicam Fidem defensoribus vacuam funditùs evertere. Non desunt tamen aliqui Catholici, qui zelotæ, sed non secundùm scientiam, scholasticam plus nimio deprimentes, soli positivæ, quasi sufficienti vacandum tyronibus suis suadent.

XVI. Contra eam ergo objiciunt primò. Scholastica longè abest à veterum Theologorum dicendi gravitate, & peritiâ: graviùs siquidem illi tractabant Divina Mysteria, quia nihil, nisi auctoritate Scripturæ, aut Conciliorum definitionibus, vel Priorum Patrum sententiis dijudicabant. Formulas autem istas syllogisticas imbecilium muscipulas, vel ignorabant, vel tanquam inutiles aversabantur, & respuebant. Theologi verò Scholastici, omissis omnibus præfatis, quæ fideles maximè decent, quæcumque ad rationis trutinam, dialecticasque regulas examinant. Insuper eorum stylus incultus est, & verba duriora, ac barbara, *materialiter, formaliter, reduplicativè, specificativè, metaphysicè, entitas, proprietas personalis, quidditas, ratio formalis &c.*, imò nonnunquam solecismis gloriantur, ut cum agentes de Sacramentis dicunt, ea causare gratiam *ex opere operato*.

XVII. Respondeo negando antecedens. Cùm enim Theologia Scholastica, ut diximus, non differat essentialiter à Positiva, iisdem utitur principiis, ac Positiva, & à doctrina antiquorum Patrum in hoc solùm discrepat, quòd, quæ illi fusiori, & oratorio stylo, ad vulgi intelligentiam accommodatiori, integris libris, ac voluminibus disputarunt: hæc brevi, & strictiori dialectico dicendi modo procedit, identidem ad rationes naturales recurrens, non per se, & tanquam intraneas, sed ut extraneas modo supra à D. Thom. 1. *p. quæst.* 1. *art.* 8. *in corp.*, *& ad* 2. explicato. Quòd si aliqui Scholastici relictâ Scripturâ, & Concil., & PP. auctoritate, plus æquo ad rationes naturales confugiunt, non Theologiæ, sed Theologorum vitium est, qui Metaphysicos potiùs se ostendunt, quàm Theologos.

Voces autem illæ, cæteròquin barbaræ, mirè explicant, tolluntque æquivocationem, quæ circa Divina Mysteria orta est aliquando, & oriri posset, unicoque verbo id exprimunt, quod SS. PP. multorum verborum circumlocutione expresserunt. Ideòque omnium consensu receptæ sunt, & factæ idioma Theologicum; unde qui illis alias substituere vellet, id tentaret, quod vir, qui receptum in aliquo Regno idioma, mutare conaretur. Neque currandum est, si ad clarius exprimendam veritatem interdum à grammaticæ regulis discedatur. D. Augustinus *serm.* 3. *in Psal.* 36. non curavit dicere *fenerat* pro *feneratur*, & ut populus meliùs caperet, admittere barbarismum. *Feneratur quidem* (inquit) *latinè dicitur, & qui dat mutuum, & qui accipit: Planiùs autem hoc dicitur, si dicamus* fenerat. *Quid ad nos quid Grammatici velint? Meliùs in barbarismo nostro vos intelligitis, quàm in nostra disertitudine vos deserti eritis*.

His addo. Si ob incultum stylum scholastica despicienda est, despicienda etiam erit Sacra Scriptura, quæ simplici, & inculto modo procedit. Sub rudi pallio sæpè latet eruditus Philosophus, & montes magis asperi, & inculti interdum auri venas abscondunt. Veritas, præsertim divina, verborum lænociniis non indiget, ut fulgeat. Satius est sermone facili, & vulgari, & vocabulis rudioribus illam exprimere, quàm affectatâ elegantiâ eam offuscare.

XVIII. At inquies præcitati Scholasticorum termini veritates magis offuscant, dum populo incogniti sunt. Insuper novi sunt: novitas autem in Ecclesia vitanda est.

Sed respondeo, quamlibet disciplinam suos

suos habere terminos aliis incognitos, & pro docentium arbitratu excogitatos. Notos quidem solis illius disciplinæ professoribus, sed qui strictiùs, & pleniùs rei ideam exprimunt. Quid ni ergo Theologiæ hoc concedi poterit? Novitas autem, si in dogmate sit, metuenda certè est, nec audienda; ut Vincentius Lirinensis *in suo commonit. à capite 24.* Non tamen novitas methodi doctrinæ, maximè si clarior sit, ac facilior. Imò ad hoc Lirinensis *cap. 22.* Theologum adhortatur, dum super illa verba Pauli *1. ad Timoth. 6. v. 20. O Timothee, depositum custodi, devitans prophanas vocum novitates*, ait, *ò Timothee, ò Sacerdos, ò Tractator, ò Doctor, si te divinum munus idoneum fecerit ingenio, exercitatione, doctrinâ, esto spiritalis tabernaculi Beseleel, pratiosas divini dogmatis gemmas exculpe, fideliter coapta, adorna sapienter, adjice splendorem, gratiam, venustatem. Intelligatur, te exponente, illustriùs, quod ante obscuriùs credebatur. Per te posteritas intellectum gratuletur, quod ante vetustas non intellectum venerabatur. Eadem tamen, quæ didicisti doce; ut CUM DICAS NOVE, NON DICAS NOVA.* Eâdem ergo ratione quâ ad exprimenda mysteria nomina Incarnationis, consubstantialis, transubstantiationis, & similia inventa sunt, *novè* quidem exprimentia, sed non *nova*; Sic à Scholasticis novę voces repertæ, ut clariùs exprimerent ea, quæ obscuriora videbantur, & fraudulentas hæreticorum insidias meliùs detegerent.

XIX. Objiciunt secundò. Theologia Scholastica plura tractat scitu non necessaria, & ad salutem superflua; ergo inutilis est.

Si respondeas, Theologiam Scholasticam plura quidem tractare, quæ non sunt necessaria scitu populis, idiotis, ac mulierculis, quarum est in Ecclesia tacere; non tamen quæ non sint necessaria scitu Doctoribus, & Pastoribus, quorum est alios in Lege Domini erudire, parvulis panem frangere, & eos, qui contradicunt arguere, & omni poscenti rationem satisfacere. Illos enim multa scire decet, aliis scitu non necessaria, quia licèt ad salutem non conducant, conducunt tamen ad profundiorem aliquarum veritatum intelligentiam, quæ valdè juvant ad Fidei Mysteria adversùs oppugnatores tuenda, ipsoque Theologos promtos, & faciles reddunt ad explananda parvulis pertinentia ad fidem. Et de istis cum agit Scholastica, non proinde superflua dicenda est, alioquin superflua dicenda esset Scriptura Sacra, dum agit de Corvo Elię, de Cane Tobiæ, de Asina Balaam, ac de aliis historiis, quæ scitu non necessaria populis, & ad salutem spectantia non sunt. Quod tamen nullus dixerit.

XX. Urgebis, Scholastici plerumque vanis, & inutilibus quæstionibus merè Philosophicis, quæ nec ad fidei illustrationem conferunt Tyrones suos diutiùs detinent: ergo saltem ex hac parte superflua est. Quia hinc rixæ, diffidia, contentiones interminabiles, quibus inutiliter prorsùs teritur tempus, oriuntur, & propter has, quæstiones ad fidem necessariæ omittuntur.

Dicam absque metu: hoc non Theologiæ Scholasticæ, sed aliquorum Theologorum vitio vertendum esse. Theologia enim Scholastica suo Professori præscribit res fidei, vel fidem quomodocumque spectantes accuratè, & exactè tractare ex ipsius fidei principiis, nempe Verbo Dei scripto, & tradito, Conciliis SS. PP., & ex iis per legitimum discursum conclusiones inferendo, advocando identidem in præsidium, & famulatum rationem naturalem. Quod maximè confert ad mysteriorum elucidationem, hæresum extirpationem, & fidelium instructionem. Nam, ut egregiè ait noster Melchior Canus *lib. 9. cap. 4. Rationem si à Theologia submoveas, Theologia ipsa, & rem amittit, & nomen.* Itaque citato libro distinguit triplex Theologorum genus. *Unum eorum, qui usque adeo argumentis à ratione ductis addixerunt se, ut sive disputent, sive scribant, Scripturam Sacram, Sanctorumque Patrum libros ne legisse quidem videantur: Qui parum illis dissimiles sunt*, quos Euseb. *lib. 5. histor. Eccl. c. ultimo commemorat, in tantum stultitia prolapsos, ut si quis sermonem de Scripturis proposuisset, illi*

illi è contrario proponerent utrum ille sermo, de quo agebatur, conjunctum an separatum genus syllogismi faceret: de quibus rursum Eusebius: Derelinquentes, ait, Sanctas Scripturas Dei, geometriam tractant &c.; Ac fuisse olim nonnullos, qui rationem auctoritati praferentes, rem Theologicam syllogismis absolverint, Augustinus in epist. ad Dioscorum 56. [nunc 118.], *Bernardus quoque ep. 189., testes locupletissimi sunt. Hoc verò seculo fuisse etiam in Academiis multos, qui omnem fermè Theologiæ disputationem sophisticis, ineptisque rationibus transegerint, utinam ipsi non fuissemus experti. Egit autem diabolus, quod sine lacrymis nonqueo dicere, ut, quo tempore adversùs ingruentes ex Germania hæreses, oportebat Schola Theologos optimis esse armis instructos, eo nulla prorsus haberent, nisi arundines longas, arma videlicet levia puerorum. Ita irrisi sunt à plerisque &c.* hucusque Canus *citato libro cap. 1.*, ubi plura eruditè accumulat à studioso legenda.

Aliter autem error illorum est (prosequitur *cap. 2.*) *qui solis Sacrarum Litterarum testimoniis, aut interdum scriptorum veterum omnia definiunt, ab argumentis natura haud aliter abhorrentes, quàm si essent Theologiæ adversa, & inimica.* In hoc errore (inquit *cap. 3.*) fuit Lutherus, *qui non modò asseruit, Philosophiam esse Theologo inutilem, & noxiam, verùm etiam omnes speculativas disciplinas errores esse*, & infra: *Erunt enim ii, si ita res procedit, optimi, præstantissimique Theologi, qui plurima loca memoriâ tenuerint, & quod Jurisperitis objicitur, qui Elenchi fuerint librorum, & indices. Id quod in Germania regnante Luthero accidit, ut sutores, qui novum testamentum memoriæ mandarunt; magni, & praclari Theologi haberentur: atque adeo mulierculæ, quoniam Evangelia, & Paulinas epistolas memoriter recitare poterant, omnium Academiarum Theologos ad disputandum provocarent, auderentque viris concurrere, non virgines, sed mulieres corruptissimæ.*

Concludit ergo Canus laudatus *c. 4.* Theologum debere divina quidem callere, sed philosophicam ratiocinandi formam non ignorare. Theologus enim, seu Christianæ Doctrinæ Professor, duabus quasi debet indutus esse personis. Unâ communi, ex eo quod homo, & rationis particeps est, alterâ propriâ, unde Theologica argumenta expectantur. Cumque nec humanarum rerum intelligentia divinarum cognitioni obsit, sed eam potius juvet, illique inserviat; nec divinarum cognitio humanarum intelligentiam extinguat, quia gratia non tollit naturam, sed perficit, nec natura gratiam repellit, sed suscipit; hinc nec Sacra Theologia humanam rationem abjiciet, nec ratio humana Theologiam, & neutram debebit in alterius propria functione Theologus rejicere. Ita verum à falsis Theologis secernit Auctor laudatissimus.

XXI. Quoad rixas, contentionesque, ac dissidia, quæ inter Theologos fervent, ac scholas dividunt. Dico in primis, ista non concernere fidei veritates, in quibus Theologi cujuscumque scholæ unius labii sunt, & sermonum eorumdem. Vel ergo sunt circa modum Fidei Veritates explicandi, vel circa quæstiones à Fidei Veritatibus prorsus extraneas, & vanas, atque Theologiæ fini inutiles. Si primi generis, nihil officiunt; sunt enim velut diversæ viæ, quibus ad eumdem terminum pervenitur. Imò varietas ista opinionum plurimum juvat ad magis illustrandam veritatem. Dum enim quisque suas partes tuetur, & conquisitis undequaque rationibus, suam sententiam firmare, omnique eruditionis genere excolere nititur, infiniti scientiarum Thesauri in Ecclesiæ decus, & ornamentum cumulantur: Interimque Catholica Veritas stat veluti regina circumamicta varietate. Si autem secundi generis sint, eas Theologia non probat, sed Doctores in vanis quæstionibus operam, ac tempus terentes, ut Theologos respicere dedignatur.

XXII. Miror tamen, eur tantâ fronte hæretici Theologorum nostratum culpare audeant dissensiones. Quis enim nescit, quantis rixis, quàmque infensis contentionibus Protestantes hæretici invicem pugnent? Ex unica Lutheri schola prodiere statim *Anabaptista*, *Confessionista*, *Sacramentaris*, qui in diversas Se-

ctas

ctas postea divisi, mirum est, in quot frusta Lutheranam hæresim conciderint. Neque enim in levioribus tantùm, sed & in præcipuis fidei articulis invicem dissident, ita ut sibi invicem hæretici nomen communicent. Hæreticos sacramentarios vocat Lutherus: Sacramentarii, è contra, Lutherum, *plenum os diabolis habere reponunt*. Quodque incostantiæ caput est, una eademque Secta in fidei articulis sibi ipsi non constat; quos ante credebat, posteà discredens, adeo ut Georgius Saxoniæ Dux à Catholicis rogatus, quid ibi crederent Lutherani, respondent: *Quid nunc credant, scio: quid sequenti anno credituri sint, ignoro*. Illisque aptari possit, quod de Arianis scripsit Hilarius *lib. 2. ad Constantium*. *Periculosum nobis, atque miserabile est, tot nunc fides existere, quot voluntates: & tot nobis doctrinas esse, quot mores... dum, aut ità fides scribuntur, ut volumur, aut ità esse, ut volumus, intelliguntur... sic plurima cæperunt esse fides, ne ulla sit..... annuas, atque menstruas, de Deo fides decernimus &c.*

XXIII. Objiciunt tertiò aliqui, quibus tota Theologia sita esse videtur in historica factorum narratione. (Hi enim, per hoc. quòd sciant, quo anno celebratum sit hoc, vel illud Concilium, quæ hæresis in illo damnata, memoriterque sciant aliquos Scripturæ textus, Theologos eximios apud vulgus se venditare solent) Sic omnes hæreses à Philosophis, & Scholasticis inventæ sunt: unde Philosophi à Tertulliano hæreticorum Patriarchæ vocantur. Ergo Scholastica odibilis est.

XXIV. Et confirmant: Apostoli non habuerunt Philosophiam, neque Dialecticam, qui tamen fuerunt veri Theologi: ergo Philosophia, & Dialectica non est Theologo necessaria, aliàs Spiritus Sanctus, qui Apostolos docuit omnem Veritatem, has etiam disciplinas docuisset. Quare Socrates *lib. 1. hist. cap. 8.* refert, quòd cum Dialectici quidam in Concilio Niceno suis argutationibus omnia turbarent, *multique verborum suavitate allicerentur, laicus quidam ex confessorum numero, recto, ac simplici præditus sensu, cum Dialecticis congreditur, hisque illos verbis compellavit. Christus, & Apostoli non artem nobis Dialecticam, nec inanem versutiam tradiderunt, sed apertam, ac simplicem sententiam, quæ fide, bonisque actibus custoditur. Quæ cum dixisset, omnes, qui aderant, admiratione perculsi, ei assenserunt. Dialectici verò simplici sermone veritatis audito, posthac æquiore animo conquievere.* Et Sanct. Augustin. *lib. 1. de actis contra Felicem Manichæum*, qui gloriabatur, Manichæum docuisse initium, medium, & finem, & quomodo, vel quare factus sit Mundus, de cursu Solis, & Lunæ, aliisque rebus Physicis, respondit: *Non legitur in Evangelio, Dominum dixisse, mitto vobis Paraclitum, qui vos doceat de cursu Solis, & Lunæ. Christianos enim facere volebat, non Mathematicos. Sufficit autem, ut homines de his rebus, quantum in schola didicerunt noverint, propter humanos usus.* Ad usum igitur Theologiæ dialectica, vel humana ratio nihil Catholico proderit.

XXV. Respondeo retorquendo argumentum: nulla hæresis fuit, quam Scholastici viri Scholastico gladio non debellarint, & in dies non debellent; ergo scholastica necessaria est. Abusus ergo Scholasticæ nimium Philosophicis, & Dialecticis adhærendo, & vanis ratiunculis fidem metiendo hæreses invexit; ergone propter hoc damnanda erit scholastica, quæ non ex ratione naturali fidem metiens, ac regulans, sed potiùs rationem naturalem fidei ancillari faciens, hæreses debellat? Damnandus est abusus, laudandus usus. Nulla hæresis fuit, quæ ex Sacræ Scripturæ abusu non prodierit; Diabolus ipse, ut Christum deciperet, ad Scripturas confugit. *Scriptum est enim, quia Angelis suis mandavit de te*. Ergone Scriptura Sacra odibilis est, noxia est? Fallitur, vel fallere vult ita arguens, fallaciâ *non causa pro causa*.

XXVI. Ad confirmat. respondeo ex laudato Cano *lib. 9. loc. Theol. cap. 9.* Primò retorquendo Argumentum: Apostoli, nec fuerunt grammatici, nec eloquentes; Apostoli hæreticis Philosophis, Tyrannisque evincendis nullo studio, sed repentè, ex tempore sapientissimè loquebantur, implentes in seipsis Christi promissum,

Matt.

Matt. 10. v. 19. Nolite cogitare quomodo, aut quid loquamini, dabitur enim vobis in illa hora quid loquamini; ergo si exemplum Apostolorum placet, Theologus non oportebit, ut grammaticam calleat, ut eloquentiam profiteatur, nec Theologiæ studium amplectatur; nihil consultò, & cogitatò meditatum, & præparatum inferat, quia sic fecerunt Apostoli. Quod si hoc non valet, & temerariè quis ita discurreret, cur temerè non loquuntur, qui dicunt, Apostoli Philosophiæ operam non dederunt; ergo neque illi dare operam debent Theologi Christiani. Apostoli ergo, speciali Spiritus Sancti suggerentis dono, Theologi facti sunt, non humano labore, & studio; nos autem per discursum, studium, ac laborem Theologiam comparamus, & proinde, ut res divinas attingamus, ut eas doceamus, ut ab impugnatoribus liberemus, ut satisfaciamus omni poscenti rationem, è rebus naturalibus ad divinas ratiocinari sæpè indigemus, non quidem dialecticâ arte veritates fidei probando, ut dialectici in Concilio Niceno tentarunt, sed ostendendo veritates fidei Dialecticæ, & Philosophię verę principiis non adversari, solvendo rationes oppositas. Qua in re audiendus est Clemens Alexandrinus, *lib. 1. stromat. pag. 319.*, ubi docet, quod Philosophia, & Dialectica sunt cooperatrices, & adjutrices veritati inquirendæ sicut: *visus, & auditus, & vox confert ad veritatem, mens autem est, quæ appositè, & naturaliter cognoscit... Perspicuitas itaque opem fert ad tradendam veritatem: & Dialectica, ne prosternamur ab hæresibus, quæ faciunt incursiones. Et est quidem per se perfecta, & nullius indiga Servatoris doctrina, cum sit Dei virtus, & sapientia. Accedens autem græca Philosophia, non veritatem facit potentiorem, sed debilem adversùs eam efficit sophisticam argumentationem, & propulsans dolosas adversùs veritatem insidias, dicta est vinea apta sapes, & vallus. Et quę est quidem ex fide veritas, tanquam panis necessaria est ad vivendum. Quæ autem præcedit disciplina, est obsonio similis, & bellariis; desinente verò cœnâ, suavis placentula, ut ait Pindarus Thebanus.* Hanc regulam non servabant, nec dialectici relati à Socrate, qui dialecticis quibusdam paralogismis Filii divinitatem probare conabantur, quare benè illos arguit laicus ille. Mysteria enim Verbo Dei revelanti credenda sunt, non ratiunculis suadenda. Eâdem ratione Felicem Manichæum reprehendit D. Augustin., quid enim ad Fidem Christianam pertinet scire medium, initium, & finem, cursum Solis, & Lunæ? neuter tamen negat, Doctorem Christianum Philosophicis, & Dialecticis instructum esse debere, ut ostendat Philosophiam non contrariari fidei, & sophisticas rationes in contrarium valeat dissipare.

Porrò, ut de mente S. Aug. omnis dubitatio tollatur, præstat, ipsum audire *lib. 1. contra Cresconium cap. 13.* Hæreticus iste Donatista carpebat S. Doctorem, quod Dialecticus esset. Hunc ergo ita redarguit. *Quid est aliud Dialectica, quàm peritia disputandi? quod ideò aperiendum putavi, quia etiam ipsam mihi objicere voluisti, quasi Christiana non congruat veritati, & ideò me Doctores vestri velut hominem Dialecticum, meritò fugiendum potiùs, & cavendum, quàm refellendum, revincendumque censuerint. Quod eùm tibi non persuaserint, nam te adversum nos, etiam scribendo, disputare non piguit; tu tamen in me dialecticam criminatus es, quò falleres imperitos, illosque laudares, qui disputando mecum congredi noluerant. Sed tu videlicet non dialecticâ uteris, cum contra nos scribis? Ut quid te ergo in tantum disputandi periculum projecisti, cum disputare non noveris? aut si nosti, cur dialecticam criminaris, ita vel temerarius, vel ingratus; ut aut imperitiam, quâ vinceris, non refranes, aut doctrinam, quâ juvaris accuses? Inspicio sermonem tuum, istum ipsum, quem ad me scripsisti, video, te quadam copiosè, ornatè quę explicare, hoc est eloquenter, quadam verò subtiliter argutèque disserere, hoc est dialecticè, & tamen eloquentiam, dialecticamque reprehendis. Si noxia sunt, quare hoc facis? si non sunt, cur arguis?* Ita Donatistam urgebat Augustinus. Ita quoque urgeri potest Lutheranus, aut Calvinista, Theologiam Scholasticam damnans, quâ ipse utitur: *Si noxia sunt, quare hoc facis? si non sunt, cur arguis?*

Et

Et c. 14. postquam ostendit, Dialecticam graecè dici artem disputatoriam, sicut Grammaticam artem literatoriam, & dialecticum latinè dici disputatorem, sicut Grammaticum latinè litteratum, sic ad Cresconium convertitur: *Puto jam quòd Apostolum disputatorem non neges, etiamsi Dialecticum neges. Improbare ergo in vocabulo graeo, quod approbare cogeris in latino, quid est aliud, quam indoctis pratentare fallaciam, doctis facere injuriam? Aut si, & disputatorem Apostolum negas, qui tam assiduè, tam egregiè disputabat, nec graecè nosti, nec latinè: vel quod est credibilius, & in verbo graeco fallis eos, qui graecè nesciunt, & in latino, qui nec latinè sciunt. Quid enim est, non dico imperitius, neque enim tu ista non nosti, sed omnino fallacius, quàm, cum audias, & legas tam multos, multiplicesque sermones Apostoli asserentes veritatem, convincentes falsitatem, negare, quod soleat disputare, cum hoc fieri, nisi disputando, non possit?*

DUBIUM IV.

Quid sit, quidque requiratur, ut aliquid sit dogma Fidei.

§. I.

Resolvitur dubium.

I. VIro Theologo necessarium maximè est nosse distinguere inter ea, quae fidei sunt, & fide tenenda; ea, quę fidei sunt, non tamen fide tenenda; & ea, quae nec fidei sunt, nec fide tenenda. Noto itaque, non esse idem, aliquid esse de fide, & esse ut de fide tenendum. Esto enim omnia, quae de fide tenenda sunt, de fide sint, non tamen omnia, quae secundùm se de fide sunt, infertur, ea esse de fide tenenda. Nam ut aliquid in se de fide sit, seu ad fidem pertineat, sufficit, ut à Deo revelatum sit; ut verò de fide sit quoad nos, seu ut tanquam de fide, & à Deo revelatum credere teneamur, requiritur insuper, ut nobis certò constet à Deo revelatum esse, & tanquam revelatum nobis proponatur, non enim omnis revelatio statim acceptanda est, nec omni spiritui credendum, monente Joanne *epist. 1. cap. 4. v. 1. nolite omni spiritui credere, sed probate spiritus, si ex Deo sint, quoniam multi Pseudo-prophetae exierunt in mundum*. Ut ergo Theologiae candidatus in promtu habeat tutam aliquam regulam pro discernendis verè à falsò revelatis.

II. Dico primò, illud omne, & solum est de Fide Divina in se, quod est revelatum in Dei Verbo. Haec regula traditur à D. Paulo *Roman. 10. v. 17. fides est ex auditu, auditus autem per Verbum Christi, seu Dei*: ergo id omne, & solum est de fide in se, quod est revelatum, & contentum in Verbo Dei; sicut illud omne, & solum ad fidem humanam pertinere dicimus, quod verbo hominis revelatum est. Quia verò (ut suo loco dicetur) verbum aliud est scriptum, aliud non scriptum, sed traditum; ideò illud omne, & solum de Fide Divina est, quod est revelatum per Verbum Dei scriptum, vel traditum.

III. Dico secundò. Ut aliqua veritas tenenda à nobis sit tanquam de fide, & ut à Deo revelata, requiritur ulteriùs, ut ab Ecclesia Catholica sit omnibus proposita tanquam à Deo revelata, & ut Fide Divinâ credenda. Sicut enim ut lex, aut mandatum Regis obliget subditos ad ejus observantiam, non sufficit, ut sit à Rege latum, sed requiritur, ut sit omnibus propositum, & intimatum publicâ formâ, ut sic voluntas Regis omnibus certò sit nota: Ita, ut praeceptum de credendo aliquid, ut à Deo revelatum, obliget omnes, debet omnibus proponi, & intimari, illud esse à Deo dictum, ut nemo de hoc dubitare queat: Atqui hanc certitudinem habere non possumus, nisi per Ecclesiam Catholicam nobis proponentem veritatem illam, ut à Deo revelatam, & ita esse affirmantem; Cùm enim Deus per se ipsum id non faciat, non enim loquitur immediatè nobis, sicut olim loquebatur Patriarchis, Prophetis, & Apostolis, nobis aliud testimonium irrefragabile non superest in re dubia, praeter dictum Ecclesiae Catholicae, cujus judicium in discernendo

nendo Dei Verbo ab omnibus verè fidelibus ut irrefragabile habitum semper fuit; est enim, teste Paulo 1. *Timoth.* 3. *v.* 4. *Columna, & firmamentum veritatis*, & de qua sola dixit Christus *Matth.* 16. *v.* 18., *& porta inferi non prævalebunt adversùs eam*; & rursus *cap.* 18. *v.* 17. *qui Ecclesiam non audierit, sit tibi velut Ethnicus, & Publicanus*. Hinc celebris D. Augustini sententia lib. contra epistolam fundamenti cap. 5. *Ego verò Evangelio non crederem, nisi me Catholica Ecclesia commoveret auctoritas*, & lib. 4. de Baptismo contra Donatistas cap. 16. Statutis duobus hominibus, qui versentur in errore Photini, quorum unus sciat, errorem illum esse contra fidem, & ab Ecclesia damnatum; alter vero existimet, dogma Photini esse Catholicam Fidem, ait: *Istum nondum hæreticum dico, nisi manifestatâ sibi doctrinâ Catholica Eidei resistere maluerit, & illud quod tenebat elegerit.... Itaque in hoc, sola falsa opinio, in illo etiam divisio corrigenda est*.

IV. Confirmatur: cum, ut supra dixi, non omnia, quæ in Verbo Dei continentur, sint expressè, & clarè revelata, sed aliqua implicitè, & perobscurè; ut teneamur ea credere, dari debet Doctor infallibilis, qui ea explicet, atque revelata à non revelatis secernat, ne, ut ait Apostolus ad Eph. 4. v. 14. *simus parvuli fluctuantes, & circumferamur omni vento doctrina in nequitia hominum, in astutia ad circumventionem erroris*; aliàs Deus defuisset Ecclesiæ in necessariis: hic autem Doctor, cui infallibilitas in Verbo Dei explicando promissa sit, alius esse nequit, quàm Ecclesia.; ergo &c. Maj. patet exemplo hæreticorum Ecclesiæ magisterium rejicientium, soloque spiritu privato (ut ajunt) regi volentium; hi enim quot in Sectas, & errores divisi sunt? Testis pro omnibus una sit Anglia, in qua ferè tot Sectæ dominantur, quot familiæ, ne dicam, quot capita.

V. Sed instabis cont. prim. assertum. Qui veritatem aliquam in Scriptura revelatam negaret, eo ipso hæreticus esset; ergo eo ipso, quòd aliquid in Scriptura revelatum sit, absque ulla Ecclesiæ propopositione est de fide tenendum.

Respondeo primò nego antec. cum D. August. nuper relato *lib.* 4. *de Baptismo cap.* 16., qui non audet pronunciare hæreticum, qui sequeretur errorem Photini, *nisi manifestatâ sibi doctrinâ Catholica Veritatis resistere maluerit*, & qui *lib. con. epist. fundam c.* 5. dicit, se non crediturum Evangelio, nisi Ecclesiæ Catholicæ eum commoveret auctoritas. Quod adeo verum est, ut ideò Evangeliis Matthei, Marci, Lucæ, & Joannis credamus; & è contra non credamus Evangeliis Petri, Andreę, Bartholomæi, & Thomę, quia ad hoc nos commovet Ecclesię Catholicæ auctoritas proponentis, ut Dei Verbum illa, ista verò reprobantis.

VI. Respondeo secundò dist. antec.: si haberet animum permanendi in suo errore, quamvis Catholica Ecclesia contrarium illi manifestaret, concedo antec. si absque tali animo illud negaret, nego antecedens. Responsio est D. Thom. 2. 2. *quæst.* 11. *artic.* 2. *ad* 3. citantis D. August. *epist.* 16. *si qui sententiam suam quamvis falsam, atque perversam, nullâ pertinaci animositate defendunt, quærunt autem totâ solicitudine veritatem, corrigi parati, cum invenerint, nequàquam sunt inter hæreticos deputandi*. Hucusque Augustinus, *quia scilicet* (subjungit D. Thom.) *non habent electionem contradicentem Ecclesia Doctrina*.

VII. Objicies cont. secundum assertum. Ecclesia non potest facere de fide, quod de fide non est; ergo esse aliquid fide tenendum non dependet ab Ecclesia, sed unicè à divina revelatione.

Respondeo disting. consequens: non dependet ab Ecclesia, ut à causa faciente, ut fit de fide; conc. consequ., ut à signo ostendente; illud esse de fide, & habendum ut tale; nego consequentiam. Sicut sigillum non facit, diploma esse Regiâ manu exaratum, vel Regio verbo dictatum, sed solùm est signum ostendens, & testificans, illud esse à Rege scriptum, aut dictatum: ita Ecclesia tuo judicio non facit, aliquod esse dictatum, aut revelatum à Deo, sed est signum testificans illud esse à Deo revelatum, quod antea ut tale non habebatur. Hinc ait D. Thom. 2. 2. *qu.* 1. *art* 7., quod licèt

licèt plura expressè credantur à nobis, quæ ab antiquis non credebantur, attamen articuli Fidei non creverunt quantùm ad substantiam: *sed quantùm ad explicationem crevit numerus articulorum, quia quædam explicitè cognita sunt à posterioribus, quæ à prioribus non cognoscebantur explicitè*.

Propterea neque sequitur, fore hæreticum, non qui resistit Dei Verbo, sed qui resistit Ecclesiæ judicio. Non inquam, nam qui resistit Ecclesiæ judicio, ideò hæreticus est, quia resistens Ecclesiæ judicio, resistit Dei Verbo, Ecclesiæ judicium commendanti *Matth. 18. v. 17.*, *qui Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus, & Publicanus*.

VIII. Sed urgebis palmarem hæreticorum instantiam: Si credendum Scripturæ propter Ecclesiam, & rursùm Ecclesiæ propter Scripturam, volvitur circulo vitioso fides nostra.

Respondetur negando antecedens: Circulatio enim, quę ut argumentationis vitium ponitur à Dialecticis, tunc contingit, quando unum probatur per aliud, & vicissim, in eodem genere causæ; non verò quando contingit in diverso causę genere, sicut in præsenti. Credimus enim Ecclesię propter Scripturam, ly *propter* dicente causam à priori, cur Ecclesiæ credamus: Credimus autem Scripturæ propter Ecclesiam, ly *propter* dicente signum à posteriori ostensivum, quia si Ecclesia dicit, hoc esse revelatum, signum est hoc esse revelatum, ideòque ut tale credendum.

Addo: quod sicut nullum est vitium, quòd duo testes, vel duo Prophetæ se mutuò ostendant, & commendent, sicut Christus ostendit, & commendat Joannem, & Joannes ostendit, & commendat Christum; ita vitium non est, quod credamus Ecclesiæ propter commendationem Scripturæ, & Scripturæ propter testimonium Ecclesiæ; verum enim utriusque testimonium est, & utrumque à Deo venit.

XI. Peto demum ab adversariis: Quare credunt Evangelium, quod præfert nomen S. Matthæi, esse revera S. Matthæi, aliosque Sac. Scripturæ libros esse Divinam Scripturam? Respondebunt, quia Ecclesia Catholica illos semper judicavit tales. Peto rursus: quare credunt judicium Ecclesiæ hâc in re esse certum? non aliter respondere poterunt, nisi, quia illud esse tale adtestatur Scriptura. Ecce ergo & ipsi credunt Scripturæ propter Ecclesiam, & rursùm Ecclesiæ propter Scripturam. Fortiùs. Peto à Theologo Protestante: quare credis, sensum, quem Sacræ Scripturę affingis, esse verum, legitimum, & à Spiritu Sancto intentum? Respondebis: quia spiritus privatus, qui cuique fideli præstò est, ita dijudicat, & mihi dictat. Iterum peto. Quare credis, hunc spiritum tibi adesse, & certò dijudicare? Respondebis: quia Scriptura hoc mihi adtestatur. En ergo tu credis Scripturæ propter spiritum privatum, & rursus spiritui privato propter Scripturam.

§. II.

Quibus notis dogma fidei discernatur.

X. Respondetur. Aliquid dogma fidei dici potest, vel immediatè, quia nimirùm in Verbo Dei scripto, vel tradito continetur; vel mediatè, quia ex Verbo Dei hujusmodi necessariò infertur, & colligitur; tale enim genus conclusionum, quæ cum rebus fidei necessariò colliguntur, saltem mediatè ad fidem pertinere dicendum est: Cùm hæc sit natura connexorum, ut si superius concesseris, concedas, & inferius necesse sit; in bona enim consequentia non potest dari antecedens verum, & consequens falsum: etsi negaveris inferius illatum, superius etiam, ex quo infertur, negare cogeris.

XI. Ex iis, quæ in Verbo Dei continentur, aliqua continentur adeo clarè, ut de iis nemo sanus dubitare queat, neque de sensu Sacræ Scripturæ ambigere. Alia verò, esto in Scriptura sint, ea tamen non ita apertè, quin de sensu Scripturæ dubitari possit. Insuper ex iis, quæ ex principiis fidei nascuntur, alia sunt, quæ ex solis principiis fidei inferuntur. Alia, ad quæ inferenda non fides sola sine externarum disciplinarum adjutorio concurrit, sed ascitis, aut uno principio, aut pluribus lumine naturæ cognitis; & hæc, licèt non eodem gradu, ad fidem tamen spectare dicenda sunt,

quasi fidei appendices: nec ita adhærent fidei, ut sine illis fides omnino stare non possit, quare si quis in illis errat, egrotare facit fidem, non perire. His stantibus, quæ notat Mag. Cano *loc. Theol. l. 12. c. 6.*

XII. Quantùm ad ea, quæ in Verbo Dei scripto, vel tradito adeo clarè, & perspicuè continentur, ut à nullo, nisi negante Sacræ Scripturæ auctoritatem, negari possint, ut de vero Scripturæ sensu dubitari, ut sunt Christi Nativitas, Passio, Mors, Resurrectio, Ascensus in Cęlum, cæteraque in Symbolo Apostolorum contenta, nulla regula præscribenda est, cum per se pateat, immediatè ad fidem, imò ad fidei fundamenta pertinere. Quantum verò ad alia.

XIII. Dicò primò. Cùm Scripturę Divinæ sensus fuerit obscurus, ille sensus, quem ei Catholica Ecclesia dederit, & præfixerit, habendus erit ut germanus, ac legitimus sensus Scripturę, & ex isto conclusiones suas poterit Theologus certò deducere. Constat ex dictis §. praecedenti. Si enim Ecclesia Catholica habet certissimum jus discernendi Verbum Dei à verbis hominum, separando libros divinos à non divinis, habebit quoque idem jus, ut in Verbo Dei, separet, & discernat sensum Dei à sensu hominum; ne dicamus Ecclesię concessam fuisse Scripturam, ut olim Ptolomeo Regi Ægypti, vel ut nunc Hebræis, qui habent verba, non sensum; unde *Scriniarii* Sacrorum Codicum lepidè vocantur ab Augustino *lib. 12. contra Faustum cap. 23. Capsarii, in psal. 40. n. 14., & librarii*, unde *in psal. 56. n. 9. Codicem, inquit, portat Judaus, unde credat Christianus. Librarii nostri facti sunt, quemodo solent servi post dominos codices ferre, ut illi portando deficiant, illi legendo proficiant.* Vel ut hæretici, qui verba Scripturę habent, eaque jactant, sed non schsum, dicente D. Hieron. in *cap. 1. ad Galat. nec putemus, in verbis Scripturarum esse Evangelium, sed in sensu: non in superficie, sed in medulla, non in sermonum foliis, sed in radice rationis.* Ambas igitur res Christi Eccalesia custodit, semperque custodiet, & verbum, & spiritum verbi, spiritum, inquam, veritatis promissum à Christo, *Joan. 14. v. 16. & 17.*, qui suggerat illi omnia, qui doceat illam omnem veritatem, & cum illa maneat in æternum, quo aperiatur illi sensus, ut intelligat Scripturas. Neque enim pręfata verba ad Apostolos solos dixit Christus, sed in Apostolis toti Ecclesiæ, ut scilicet spiritus ex Apostolis transiret ad Ecclesiam, quam propagabant. Quod si spiritus iste certus intelligendi Scripturas datus Apostolis ad Ecclesiam non transivit, si nullus modò est certus Judex de verò sensu Scripturarum, quęnam forma Reipublicæ stultior esset? Nullus enim dissidiorum finis, nulla esset ineundę concordiæ via, nullus fidelium consensus, nulla fidei unitas. Rùrsùs si Apostoli non sensum Evangelicæ doctrinæ, sed verba tantùm tradidissent, quomodo docuissent omnes gentes servare quæcumque fuerant illis à Christo Domino commendata? Qualis enim Evangelii prædicatio, qualisve Doctrina absque iutelligentia? qualis certè puerorum, aut psittacorum est, qui sine mente dant, accipiuntque sonum. Ergo Apostoli verum Evangelii sensum tradiderunt. At Apostolicæ traditionis testis, & custos nemo fidelior est, quàm Ecelesia: ergo &c.

XIV. Dico secundò. Ecclesiæ Catholicæ nomine, non modò fidelium omnium cętus; verùm etiam, & pręcipuè, veniunt Ecclesiæ Pastores, & Doctores in Concilio congregati. Assertio hæc suo loco probabitur, dum ostendetur Concilium OEcumenicum in definitionibus circa fi„ dem errare non posse. = *Pro tyronum „ verò notitia in præsens sic ostendo.* D. „ *Paulus ad Ephes.* 4. docet, quod Ec„ clesiæ Christus *ipse dedit quosdam qui„ dem Apostolos, quosdam autem Prophe„ tas, alios verò Evangelistas, alios au„ tem Pastores, & Doctores ad consum„ mationem Sanctorum in opus ministerii, „ in ædificationem Corporis Christi, do„ nec occurramus omnes in unitatem fi„ dei, & agnitionis filii Dei in virum „ perfectum, in mensuram ætatis plenitu„ dinis Christi, ut jam non simus parvu„ li fluctuantes, & circumferamur omni „ vento doctrina, in nequitia hominum, „ in malitia ad circumventionem erroris:* „ super quæ verba dicit S. Hieronym.

„ (*in*

„ (*in cap. 4. ad Ephes.*) *nec verò putandum, quod ficut in fuperioribus tribus, alios dixit effe Apoftolos, alios Prophetas, alios Evangeliftas; ita & in Paftoribus, & Magiftris, officia diverfa pofuerit. Non enim ait, alios autem Paftores, & alios Magiftros, fed alios Paftores, & Magiftros, ut qui Paftor eft, effe debeat, & Magifter. Nec in Ecclefiis, quamvis Sanctus fit, Paftoris fibi nomen affumere, nifi poffit docere, quos pafcit. Vel certè aliter; ut unus, atque idem præfes Ecclefiæ fit Paftor, & Doctor, Paftor ovium, Magifter hominum*. Pofuit ergo Chriftus in Ecclefia Paftores, qui fimul effent Doctores, ut pafcerent gregem doctrina in ædificationem Ecclefiæ, ne fimus fluctuantes parvuli, & circumferamur omni vento doctrinæ, ne circumveniamur errore. Si autem omnes fimul ifti à Dei verbo recederent, vel recedere poffent, quales pofuiffet Doctores? quomodo effent in ædificationem? Nonne poft eorum judicium, fi falli, & fallere poffet, effemus meritò adhuc fluctuantes? = Dico fic: fi nullum Ecclefiæ fuæ Paftorem, ac Doctorem daret Chriftus, fine dubio ovile fuum Paftor bonus defereret: atqui multò meliùs Ecclefiæ eft, nullos habere, quàm habere errantes; ergo fi Paftores, & Doctores ad unum omnes in errorem caderent, oves fuas Chriftus vel maximè deftituiffet.

XV. Confirmo hoc: vel populus fidelis tenetur acceptare fenfum, quem Concilium OEcumenicum præfigit Sacræ Scripturæ, vel poteft etiam rejicere. Si tenetur acceptare, jam errante Concilio errabit & populus. Si verò rejicere poteft, cur in illo rejiciendo errare populus non poteft? quod fi non. Quis erit fpiritus infallibilis affiftens populo, & non affiftens Paftoribus? Hoc effet, Paftores regi, ac inftrui à populo, non populum à paftoribus. Si vero & populus errare poteft, quænam ftultior Reipublicæ forma, in qua omnes cæci? nonne de Ecclefia repeti poffet, quod Chriftus de Pharifæis *Matth. 15. 14. Cæci funt, & duces cæcorum, cæcus autem, fi cæco ducatum præftet, ambo in foveam cadunt?* Effet equidem Scriptura. Verùm fcriptura nec fentit, neque intelligit, nec de fe ipfa judicium ferre poteft. Quid ergo, fi nullus ejus intelligentiam, & fenfum certò abfque timore erroris affequi poffet?

XVI. Obfervandum tamen eft, ex iis, quæ in univerfalibus Conciliis proponuntur, id folùm tenendum effe de fide, quod eft definitionis objectum, non verò definitionis motivum, neque alia, quæ à Patribus in Conciliis, vel dicta, vel laudata; neque rationes, quæ adducuntur, neque ea, quæ ad explicandum afferuntur; imò nec verba fingula, quibus definitio exprimitur, nifi de verbo ipfo decretum fiat. Et ratio eft, quia in decretis Conciliorum, id folum tenendum de fide eft, quod a Concilio proponitur, ut à Deo revelatum in Scriptura. Quare dum in Concilio Florentino definitum fuit, Spiritum Sanctum etiam à Filio procedere, non per hoc cenferi debet, definitum, & de fide, motivum inter alia ibi adductum, nempe, quod ex fola proceffione unius ab alia habeatur realis diftinctio inter Divinas Perfonas: Et propterea fententia Scoti afferentis, quòd etfi Spiritus Sanctus à Filio non procederet, adhùc ab illo realiter diftingueretur, contraria fidei non eft. Similiter, dum in II. Niceno Concilio definitum eft, Angelos poffe pingi, non proindè cenferi debet, definitum fuiffe motivum à Jo: Theffalonicenfi ibi *act.* 5. allegatum ex Bafilio, Athanafio, & Methodio, quia nimirum Angeli non fint *omnino incorporales*, quin imò oppofitum cenfuit Concilium *act.* 4. in fua confeffione, ubi vocat Angelos, Sanctos, & *incorporales*, quique hodie Angelos affereret, non omninò incorporales effe, temerariè faltem loqueretur. Neque timendum, definitionem Ecclefiæ falfam effe, licèt motivum ab aliquo pro definitione adddúctum falfum fit. Nam Ecclefia, dum aliquid definit tanquam de fide, non innititur rationi humanæ, vel fcientifico difcurfui, fed unicè divinæ revelationi, in qua dignofcenda certè à Spiritu Sancto regitur.

XVII. Hinc ad particularia defcendendo refolvi poteft primò: Hominem formaliter juftificari juftitiâ fibi inhærente, non

non autem eâ justitiâ, quâ Deus justus est, tenendum esse de fide, quia hoc expressè definivit Ecclesia Catholica in Tridentino *seß. 6. can.* 11. Quòd verò hæc justitia inhærens si habitus in specie qualitatis, esto sit sententia omnium ferè Theologorum, & hoc nomine à Concilio Viennensi commendetur, quod ipsam ut probabiliorem elegit, si aliquis contrarium opinaretur, temerariè quidem, non autem hæreticè loqueretur; cùm hoc nec à Tridentino, nec ab ullo generali Concilio fuerit unquam definitum.

XVIII. Secundò, Christi Corpus esse verè, realiter, & substantialiter præsens in Eucharistia sub speciebus panis, & Sanguinem sub speciebus vini, Fides Catholica est, quia id expressè definitum est ab universali Ecclesia in Tridentino *seß.* 13. *can.* 1. Quòd autem species illæ vera, & physica accidentia sint, licèt sit sententia omnium ferè Theologorum, approbata in Concilio Coloniensi, & etiam in Constantiensi laudata, de Fide Catholica non est, quia in nullo generali Concilio definita; Verum quidem est, sine notâ, ac censurâ negari non posse. Similiter, quòd Christus in Eucharistia sit sedens, vel stans, longus, latus, sicut erat in Cruce, nedum de fide non est, sed omninò falsum, quia Christus ibi est sacramentaliter, non secundum modum naturalem: esse autem sedentem, vel stantem sunt affectiones, quæ solùm conveniunt corpori, habenti modum existendi naturalem.

XIX. Tertiò, dari, seu existere Purgatorium, animasque ibi detentas fidelium precibus juvari, fidei dogma est, sancitum in Tridentino *seß.* 25. Quòd autem in Purgatorio ignis sit, quòd sit unius, ejusdemque speciei cum nostro, in quo loco sit determinatè, & quanto tempore duraturus, fidei dogma non est, quia nullibi definitum fuit; imò in Concilio Florentino Græci expressè negabant ignem in Purgatorio: & tamen Concilium *seß. ultimâ* definit, Purgatorium esse, nullâ factâ mentione ignis. Porrò, quia sententia asserens ignem in Purgatorio, est omnium Theologorum, imò D. Gregorii *lib.* 4. *Dialogorum cap.* 29., & D. Augustini *l.* 21. *de Civit. Dei c.* 26., & Scriptura sæpè nomine ignis exprimit Purgatorium, ideò opinio negans temeritatis censurâ non caret.

XX. Quartò, bonum, & utile esse, Sanctos cum Christo in Cœlo regnantes invocare, de fide est definitum, videlicet in Tridentino *seß.* 25., quòd autem Sancti audiant preces orantium in terris, licèt videatur necessariò sequi ex aliquo de fide, nimirùm ex eo, quod bonum sit, Sanctos invocare, attamen formaliter, & expressè de fide non est, quia Tridentinum licèt non ignoraverit, id etiam à Protestantibus negari, adhuc tamen hoc expressè non definivit.

Hæc, & alia similia facilè inferre poterit Theologiæ candidatus, habens semper præ oculis, nihil esse posse immediatè de fide, quod non fuerit ab Ecclesia universali expressè propositum, ut revelatum in Verbo Dei.

XXI. Dico tertiò: si Sedes Apostolica aliquem Scripturæ sensum præfinierit, ille idem Veritas Catholica, verusque Scripturæ sensus censendus est. Fundatur hæc assertio in celebri illa conclusione: Sedem Apostolicam in fidei judicio labi non posse, quam suo loco statuemus, contra quosdam, etsi Catholicos, perperam contra mussitantes. Quid enim claves habet Petrus, nisi ut librum clausum aperiat? quid quòd adversus hanc Petram ne portæ quidem Inferi prævalere queant? quid quòd pro Petro oravit Christus, ne deficeret fides ipsius, quo fratrum vacillantem, nutantemque fidem confirmaret? Porrò ad Sedem Apostolicam, Romanam dico, omnium Ecclesiarum Episcopi quovis seculo in fidei causis provocarunt, ab illius ore fideles, fidei semper oracula petiere, illius judicium Catholici omnes in religionis controversiis expectarunt.

Si ergo clarior legis interpres nullus est, quàm perpetuus Ecclesiæ usus, Ecclesia verò pro habendo vero, ac legitimo Scripturæ sensu, non ad Antiochenum, Alexandrinum, Constantinopolitanum, aut alium quemcumque Orbis Episcopum, sed ad Romanum Episcopum semper recurrit; qui dubitet, hunc esse, quem fidum Verbi Dei interpretem, & in

& in quæstionibus fidei Judicem, ac Magistrum, post Petrum, Christus reliquit? Certè aut hic est, aut nullus est: ideòque, qui Romanum Pontificem in fidei controversiis judicem negant, nullum alium ponunt.

XXII. Neque timendum est, ne Judex iste, dum Judicem universalem se gerit, proponendo universali Ecclesiæ sensum Scripturæ, & aliquid, ut à Deo revelatum, omnes partes agat, quas agere debet, ut certum judicium proferat. Quidquid enim sit de ipso, dum suam privatam opinionem profert, vel quasi prætcriens loquitur, dum tamen constanti judicio, fixoque decreto, ut Judex, Pastor, & Doctor aliquid toti Ecclesiæ tenendum, tanquam revelatum proponit, anathemate feriens, qui contradixerit, adeò certum est, ipsum nec falli, nec fallere, ut oppositum timere, idem sit, ac de divino Christi promisso formidare. Quemadmodum enim si Christus Petro dixisset: *ego rogavi pro te, ne deficiat caritas tua;* certò certiùs intelligeretur, diligentiam, curam, vigilias, preces, cæteraque auxilia opportuna Petro impetrasse, quæ sunt ad caritatis conservationem necessaria: ita cum dixit: *ègo rogavi pro te, ne deficiat fides tua;* procul dubio intelligimus, id se à Patre suo consecutum, ut, quæ ad rectum judicium de fidei quæstione oporterent, ea omnia adessent Petro, sive à Deo immediatè, sive per homines habenda essent. Si enim Deus promisisset anno sequenti frugum abundantiam, promisisset etiam, agricolas semina terræ mandaturos, ut oportet; ergo dum Petro, ejusque Successoribus promisit spiritum veritatis, fidem indefectibilem ad confirmandos fratres, promisit etiam illis, nihil defuturum eorum, quæ ad talem fidem tutò consequendam necessaria sunt. Etenim, si semel hæreticis hanc licentiam permittimus, ut in quæstionem vocent, num Ecclesiæ Judices eam diligentiam, & curam adhibuerint, quæ opus erat, ut quæstio ad normam Verbi Dei finiretur, quis non videt, omnia hucusque definita, sive à Summis Pontificibus, sive à Conciliis OEcumenicis (idem enim quoad hoc de iis sermo est) labefactari? sed de hoc latiùs suo loco.

Hoc unum adverto, me hactenus locutum fuisse de Sede Apostolica, seu de Pontifice, ut Doctor universalis est, & in causa fidei: non vero de Personâ, nec in quæstionibus puri facti non connexi cum dogmate, nec concernentibus fidem, aut mores. Quare ea, quæ Summi Pontifices, ab aliquo consulti in casibus particularibus, per decretales corpori juris insertas, responderunt, non ob hoc præcisè, ut dogmata fidei habenda sunt, neque ex iis Theologus potest necessarium conficere argumentum. Sed de hoc alibi.

XXIII. Dico quartò. Consentiens, eademque omnium SS. PP., conspiransque sententia circa Scripturarum intelligentiam, ipsissima est Fidei Catholicę Veritas; quia concors omnium Patrum intelligentia indivisa est ab intelligentia universalis Ecclesiæ, quam (ut diximus) esse testem indubiam de vero sensu Scripturarum, nemo ambigere potest. Id enim docet Tridentinum *sess.* 4. in decreto de editione, & usu Sac. Lib.. Et meritò. In his enim, quorum cognitio non pertinet ad populum, Ecclesiæ fides, fides majorum est. Cum igitur verum Scripturæ scrutari sensum, rectamque ex ipsa haurire intelligentiam, non spectet ad plebem, nisi Lutheranorum insaniam sequi velimus, Patrum certè nostrorum in libris sacris intelligentia, Ecclesiæ ipsissima intelligentia censeri debet. Si itaque omnes Patres in Sacris Litteris intelligendis errarunt, Ecclesia proculdubio erravit: Cùmque Ecclesiæ judicium, Christo præcipiente, sequi debeat populus in his maximè, de quibus judicare ad ipsum non spectat, erraret populus, idque Christo præcipiente. Non ergo. Sed sicut ab omnibus Patribus communi, unàque mente sentientibus, Dei Verbum recedere potuisse nefas est credere, ut videlicet omnes aliquam Scripturam pro canonica haberent, quæ canonica non esset; aut è diverso aliquam communi consensu exploderent, quæ canonica esset: Ita nec veram intelligentiam Verbi Dei potuisse simul ab omnibus recedere, fas est cogitare. Utrumque enim Ecclesiæ promissum est, & spiritus, & verbum;

bum; & si utrumlibet omnibus SS. Doctoribus defecisset, Ecclesiæ pariter defecisset. Quòd verò, & verbum, & spiritus intelligentiæ verbi in Ecclesia conjuncta sint, testatur Isaias c. 59. v. 21. his verbis: *spiritus meus, qui est in te, & verba mea, quæ posui in ore tuo, non recedent de ore tuo, & de ore seminis tui amodo usque in sempiternum.* Semen vero Christi Ecclesiam esse, fidelium negabit nemo: ergo ab Ecclesia, & consequenter à cunctis Sanctis collectivè sumtis, abesse non possunt verbum, & spiritus intelligentiæ verbi.

XXIV. Si tamen non omnes Patres concordes sint, sed aliqui unum interpretentur, alii reclament, licèt hi pauciores sint, auctoritas priorum non præstat Theologo firmum argumentum, sed solùm probabile, nisi majori parti Patrum judicium Ecclesiæ universalis accesserit. Sic auctoritas Patrum asserentium, venientes ab hæreticis, & ab istis baptizatos, non esse rebaptizandos, quæ olim argumentum probabile conficiebat, postquam Ecclesia suo judicio hoc statuit, & oppositum reprobavit, firmum exhibere cæpit argumentum.

Auctoritas item Patrum, etiamsi omnium, in eo genere quæstionum, quæ ad fidem minimè pertinent, fidem quidem probabilem facit, sed non certam. Quare Vincentius Lirinensis *comment.* 2. *num.* 28., ait: *Sanctorum Patrum consensio, non in omnibus Divinæ Legis quæstiunculis, sed solùm certè præcipuè in fidei regula, magno nobis studio, & investiganda est, & sequenda.* Sed de hoc fusiùs infrà.

XXV. Dico quintò. Illud, ut dogma fidei ex Apostolica traditione descendens habendum est, quando Ecclesiæ usu, & Doctrinâ consecratum; vel Conciliorum, aut Summorum Pontificum auctoritate; vel certè Sanctorum omnium concordi, ac constanti assertione, tale esse declaratur: supponit hæc assertio, dogmata fidei non ex sola Scriptura, sed ex Apostolica traditione petenda, quod suo loco ostendam. Quæ verò Christi, & Apostolorum traditiones sint, non ex alio testimonio, quàm Ecclesiæ peti debet. Hoc autem innotescere aliunde non potest, quàm ex Conciliorum, vel Sedis Apostolicæ decretis, ac Sanctorum Doctorum consensu. Cùm ergo neque Ecclesia, neque Concilium generale, neque Sedes Apostolica, neque Sancti omnes possint in fidei judicio falli; certè quodcumque nobis fidei dogma tradiderint, si in Sacris Litteris non habetur, Christo, Apostolisque tradentibus in Ecclesiam venisse credendum est, & eodem gradu habendum, ac si Scriptura patenter illud traderet, ideòque ex illo firmum argumentum sumere potest Theologus.

XXVI. Dico sextò: si Scholastici Theologi aliquam conclusionem firmam, stabilemque statuerint, omnesque uno ore probarint, & perpetuò docuerint, ut certò ex principiis fidei deductam, estò illa ut fidei dogma immediatè habenda non sit, mediatè tamen, & quasi Catholica veritas reputabitur. Explico me. Fides Divina, esto non immediatè, mediatè tamen versatur circa eas conclusiones, quæ per evidentem, & necessariam consequentiam ex articulis fidei colliguntur; quare necesse est, ut infidelitas mediatè quoque circa conclusiones illis contrarias versetur. Cùm enim fieri non possit, ut universi Scholæ Theologi in certis quibusdam præfinitionibus Theologicis errent, sicut ne in fide quidem, quòd eorum error, error esset Ecclesiæ, utpote, quæ ad hujusmodi res discernendas, non alios, quàm Theologorum oculos habeat, qui si fallerentur, totum Ecclesiæ corpus in suum traherent errorem: inde fit, ut eorum in rebus fidem consequentibus concors sententia, sententia etiam sit Ecclesiæ, & qui illis refragaretur, repugnaret Ecclesiæ, & si ex ignorantia loqueretur, quia vel illationis vim non perciperet, etsi perspicuam, vel aliquam præmissam naturalem negaret, esto non de infidelitate suspectus, de stultitiâ tamen accusandus esset. Qui verò pertinaciam adderet errori, ut in fide plurimùm claudicans, & ut proximè, & quasi infidelis reputaretur, ut infra. Ecclesia enim, tametsi intelligit, ejusmodi conclusiones non à fide tantùm, sed ex principiis quoque naturæ pendere: quia tamen non putat, hominem rationalem, ea, quæ rationi perspicua sunt,

funt, & manifesta negare; tum, qui illas negaret, præsumit non in ratione naturali, sed in fide claudicare. Hæc quoad præsens compendio sufficiat prelibasse, fusiùs enim pro rei dignitate tractabimus de locis Theologicis agentes.

§. III.

Quid sit Doctrina purè Theologica.

XXVII. Hoc desideratur ad completam hucusque dictornm notitiam, explicare nimirùm, quid sit Conclusio verè Theologica.

Dico ergo: Doctrina, seu Conclusio verè Theologica, est veritas ex revelatis à Deo, seu ex duabus, vel saltem ex una præmissa de fide per legitimam consequentiam, & discursum deducta; ut patet in hisce ratiociniis; *Omnis homo habet liberum arbitrium; sed Christus est homo; Ergo Christus habet liberum arbitrium*; & in isto: *omnis homo est risivus; sed Christus est homo; ergo Christus est risivus*. In quorum utroque conclusio illata est veritas Theologica, & in primo infertur ex duabus præmissis, quæ sunt ambæ de fide: in secundo autem ex uno principio de fide, & altero naturali, & certo. Dico *certo*, quia veritas, quæ ex uno principio revelato, & altero naturali solum probabili deducitur, non est propriè, & in rigore Theologica; ut in hoc exemplo: *Omnis hostia ritè consecrata continet verè, & realiter Sacrum Christi Corpus; sed hæc hostia per illum Sacerdotem ostensa, & elevata est ritè consecrata*; ergo *hæc hostia verè, & realiter continet Christi Corpus*: Ubi conclusio esto procedat ex principio de fide, nempe majori propositione, quia tamen minor propositio est solùm probabilis; cum probabile tantùm sit, illum Sacerdotem talem hostiam ritè consecrasse, cùm non sit certum, nullum defuisse ex requisitis ad validè consecrandum. Cumque aliàs ex regulis dialecticæ conclusio sequi debeat debiliorem partem, ideò illa conclusio non est Theologica, neque scientifica, quia non omnimodè certa, sed potiùs prudentialis, quia certa solùm moraliter; sufficiens tamen, ut illam teneamur absolutè adorare.

XXVIII. Ex hoc infertur primò, Conclusionem Theologicam deductam ex duabus præmissis, unâ de fide, & alterâ naturali, esse minoris certitudinis, quàm sit illa, quæ ex duabus de fide deducitur; majoris tamen, quàm sit quæcumque alia Conclusio non Theologica. Ratio prioris partis est, quia eò conclusio certior est, quò certiora sunt principia, ex quibus fluit, cùm ab iis suam certitudinem sumat; sed duo principia, quorum utrumque de fide est, certiora sunt, quàm duo, quorum unum de fide sit, & alterum naturale; ergo &c. Ratio verò secundæ partis est, quia Conclusio Theologica procedens saltem ex una præmissa, quæ sit de fide, est saltem virtualiter, seu in sua causa, revelata, Conclusio verò non Theologica nullo modo est revelata: sed conclusio virtualiter revelata certior est eâ, quæ nullo modo revelata est; quia principia revelata, quibus nititur illa, certiora sunt principiis naturalibus, quibus nititur ista, utpote sumentia suam certitudinem à Divina Veritate, & veracitate, quæ summa est, & à qua omnis veritas naturalis derivatur; ergo &c.

XXIX. Infertur secundò, Conclusionem Theologicam non esse tantæ certitudinis, quantæ est propositio de fide. Tum quia propositio de fide est principium, unde Conclusio Theologica sumit suam certitudinem, principium autem (ajunt logici) certius est, quàm conclusio, secundùm axioma: *propter quod unumquodque tale, & illud magis*. Tum, & maximè, quia motivum, seu ratio certitudinis in propositione de fide est dictum, seu locutio divina, quæ omni certitudine certior est, cùm nil certius sit, quàm esse verum id, quod Deus dixit, qui est prima, & summa veritas, & veracitas, quæ nec falli, nec fallere potest. Certitudo antem Conclusionis Theologicæ fundatur in dependentia, & connexione eum principiis de fide, ex quibus per legitimam consequentiam deducitur, quæ longè minus certa est, quàm sit certa divina locutio.

XXX. Dices tamen: hæc propositio *Christus habet duas voluntates* est conclu-

sio

fio Theologica deducta per hunc discursum: *suppositum habens duas naturas, habet duas voluntates; Christus est suppositum habens duas naturas, divinam, & humanam; ergo Christus habet duas voluntates*: & tamen hæc conclusio est tantæ certitudinis, quantæ propositio de fide, cum sit fide tenenda; ergo conclusio Theologica est tantæ certitudinis &c.

Si dicatur, dictam propositionem habere certitudinem fidei, non quatenus est conclusio Theologica deducta per discursum ex præmissis de fide, sed quia aliundè, & ipsa est propositio de fide definita in VI. Synodo OEcumenica contra Monothelitas, tanquam revelata in Verbo Dei

XXXI. Contra. Saltem ista propositio *Christus est risivus* est conclusio merè Theologica, & nullibi definita ut de fide, & tamen certitudine fidei certa est, ut, qui illam negaret, esset hæreticus.

Respondetur, qui dictam propositionem negaret, non fore hæreticum, quia illam immediatè, & præcisè negaret, sed quia negando hanc propositionem *Christus est risivus*, præsumeretur negare istam alteram: *Christus est homo*, quę de fide est, & ex qua naturaliter sequitur illa.

XXXII. Adhuc tamen urgebis. Ista propositio: *Christus mortuus est pro me*, est conclusio Theologica illata ex ista de fide: *Christus mortuus est pro omnibus*: & tamen est certa certitudine fidei, dicente Paulo *ad Galat. 2. v. 20. In fide vivo Filii Dei, qui dilexit me, & tradidit semetipsum pro me*: ergo &c.

Resp. negando majorem. Hæc enim propositio *Christus mortuus est pro me* non est conclusio merè Theologica, sed articulus Fidei; licèt enim videatur inferri ex ista *Christus mortuus est pro omnibus*, iste tamen discursus non est verè illativus, sed solùm explicativus; sicut enim iste discursus: *Omnis homo est rationalis; ego sum homo*; ergo *ego sum rationalis* non est discursus verè illativus, sed solùm explicativus, quia significatum hujus propositionis: *Ego sum rationalis* continetur *in ista omnis homo est rationalis*; ita in præfato discursu. Hæc enim propositio *Christus mortuus est pro me*, continetur quoad suum significatum in ista *Christus mortuus est pro omnibus hominibus*. Quare, qui ei assentitur, non assentitur ratione connexionis cum ista revelata; sed quia putat, Deum revelando Christum mortuum esse pro omnibus: revelasse etiam esse mortuum pro singulis hominibus, & consequenter etiam pro se.

XXXIII. Ex dictis liquidò apparet, quid sit quæstio, & conclusio verè Theologica (pro eodem enim accipio quęstionem, & conclusionem. Dum per interrogationem electa in controversia ponitur, quæstio est, dum per argumentationem colligitur, & resolvitur, conclusio) non omnes enim quæstiones, quę à Theologis hodie agitantur in scholis, Theologicæ sunt. Inutiles illæ, & ab humano, ac luxurianti ingenio excogitatæ, quæque à Theologicis principiis alienæ sunt, neque ullam cum illis connexionem habent, etsi plerumque impleant Theologorum scripta, & in disputationibus principem locum obtineant, ad Theologiam minimè spectant; quæ cum Dei Doctrina sit, & ex dictatis à Deo procedat, solidas, aptas, utiles quæstiones, ut suas admittit; ineptas, vanasque, & inutiles rejicit ut extraneas. *Ego sum Deus tuus* (inquit Isaias *c. 48. v. 17.*) *docens te utilia*. Theologia ergo inutilia non colligit: quin super fidei fundamentum, quod ab Apostolis positum est, aurum, argentum, lapides pretiosos superædificat *1. Cor. 3. v. 12.* Unde qui ligna, fœnum, & stipulam coacervant, ii non ex Theologia, sed ex luxuriante ingenio faciunt.

XXXIV. Neque tamen solas eas quęstiones ad Theologiam spectare puto, quę ex principiis revelatis immediatè resolvuntur. Aliæ enim sunt quasi Theologię appendices, quæ explicandi gratiâ illas, quæ verè, & propriè Theologicæ sunt, appositè, & graviter adjunguntur, quæ jure quodam, vel similitudinis, vel propinquitatis, vel etiam ordinis, Theologicæ non absurdè vocari possunt; sive quia inventæ sunt ad explicanda, & quodammodo suadenda Theologiæ principia contra ea negantes, vel revocantes in dubium;

dubium; five; quia aptæ sunt ad clariùs intelligendas Theologicas veritates. Quæ res D. Thomam, cæterosque Theologos adduxit, ut in quæstionibus Theologicis quærant de existentia Dei, aliisque, quę potiùs deberent supponi; & ne unum quidem principium in Theologia adsit, quod in quæstionem Theologi non verterint, ut si à quopiam fuerit negatum, qui fortè alia principia concesserit, parati sint ex his, quæ concesserit hominem evincere. Hoc enim scientiæ supremæ privilegium est, sua principia, nedum supponere, sed, si oportuerit, probare, explicare, tueri. Quod idem circa conclusiones inde deductas multò magis præstare illi conceditur, si utile, ac expediens judicaverit: de quo monitum velim Theologiæ candidatum, ut utilia ab inutilibus possit secernere.

XXXV. Quæstionum ergo Theologicarum, ex Cano *lib. 12. cap. 5. de locorum usu*, duo sunt genera; alterum cognitionis, serviens nimirùm contemplationi; alterum actionis concernens ea, quæ agenda sunt. Primi generis sunt illæ, quarum finis est cognitio, & scientia, ut si quæratur: an Pater, & Filius sint unum principium Spiritus Sancti, vel duo. Num Divinæ Personæ distinguantur absolutis, an revelatis. Secundi generis sunt, quarum finis est actio, & salus hominis, ut: an Pęnitentia sit ad salutem necessaria ut medium, aut ut pręceptum. An Sacramenta novæ Legis gratiam conferant, & virtutes. Quæstiones, ad cognitionem spectantes, sunt quadruplicis generis, ut cum de Deo, vel Angelo, aut anima rationali quæritur, an sit, quid sit, qualis sit, au cur sit. Quæstionum verò actiones concernentium duo sunt genera; unum ad salutem necessarium, alterum utile tantùm. Prioris generis sunt; an si honor Christi periclitetur, aut salus etiam spiritualis proximi, homo Christianus teneatur vitam prodigere; an detur præceptum de Baptismo subeundo. Posterioris verò generis, cum quæritur: an a qua lustralis diluat peccata venialia, tollatque pœnas temporales vi suâ, vel (ut ajunt) ex opere operato; an solùm ex opere operantis, ejusque merito. Num Ecclesiæ Sacramentum ex attrito faciat contritum; & an recedente fictione, suum effectum conferat, sicut Baptismus, & Pęnitentia. Quarum quæstionum plena est D. Thomæ summa. Theologus enim non semper de necessariis disserit, sed quandoque etiam de his, sine quibus salus, religioque constat.

XXXVI. Quæstiones insuper Theologicæ, sive ad cognitionem, sive ad actionem spectantes, aliæ naturales sunt, quarum cur ita sint, naturalis ratio reddi potest. Aliæ supernaturales, quæ ex supernaturalibus tantum principiis definiuntur. Aliæ mediæ, quæ partim ex supernaturali, partim ex naturali principio pendent. Primi generis est quæstio: num *Deus sit ubique*: num *immutabilis*: num *animus hominis immortalis sit*: quorum probationes ex Sacris Litteris esto petere liceat, quâ ratione ad fidem utique pertinent, sunt tamen etiam lumine naturæ claræ, & evidentes; idcòque fidei quæstiones per se non sunt, sed fidei quasi appendices. Secundi generis est hæc: *an omnes mortui simus*: quam Paulus hac argumentatione definit: *Si pro omnibus Christus mortuus est, omnes mortui sunt, at pro omnibus mortuus est Christus*; ergo *omnes mortui sunt*. Item ista: *an omnes resurgemus*. Quam Apostolus terminat sic: *Christus resurrexit*: ergo *& nos resurgemus*. Tertii generis ista est: *Num Christus sit risivus: num habeat duas voluntates, duos intellectus*, quæ ex principio naturali, & supernaturali finiuntur, ut supra dictum est.

XXXVII. Alia etiam Theologicę quęstionis cujuscumque generis divisio addi potest. Aliquæ enim sunt, pro quarum veritate Theologus etiam cum capitis discrimine stare debet, quia sunt veritates ad fidem spectantes, sicut istæ: *An Christi anima simulatque verbo conjuncta fuit, Deum clarè viderit*; & an *in aliquo ex locis inferis Purgatorium sit, ubi fidelium animæ peccatorum pęnas luant*. Aliæ verò, quæ in utramque partem, & ignorari, & negari sine fidei jacturâ possunt; Quarum plura exempla profert S. August. *lib. 2. de peccato orig. contr. Pelag. cap. 23.*, & alibi sæpè,

pè, ut: *Cum quæritur qualis, vel ubi sit Paradisus*: ubi constituit Deus hominem *quem formavit ex pulvere*, cum tamen illum esse Paradisum *fides Christiana non dubitet*. *Vel cum quæritur, ubi sit nunc Elias, vel Henoch, an ibi, an alicubi alibi, vel cum quæritur, utrum in corpore an extra corpus in tertium Cœlum sit raptus Apostolus*, an viderit clarè Deum, & similia, quæ in utramque partem salvâ fide resolvi possunt.

XXXVIII. Officium itaque Theologi erit sæpè dispicere, quam quæstionem sit versaturus, & identidem se interrogare, cujus generis illa sit, & maximè, an præter fidem illa sit, an potius ad fidem, religionemque pertineat, ut quæ ad fidem minimè necessaria est, sobriè, ac sine animi contentione pertractet, totusque incumbat illi stabiliendæ, quâ Fides, & Religio juvari possit. Hoc faciet, si nomen Theologiæ secum ipse reputet, titulumque suum, hoc est Theologi, frequenter legat, sciatque, nullam sibi quæstionem adsciscendam, nisi quæ ad veram, quæ supra naturam est, Christi, Apostolorum, & Prophetarum, Philosophiam referatur. Hujus considerationis immemores quidam, innumeris in quæstionibus, præsertim Dialecticis, Physicis, Metaphysicis explicandis, importunissimi, longissimi sunt; in quæstionibus verò Theologiæ propriis adeo frigidi, & parci, ut vix eas attingant; Hoc dico, non quia quæstiones illas omnino à Theologis exterminandas putem. Est enim animorum, ingeniorumque exercitatio non modò acuminis plena, sed etiam ad Theologiam scholæ valdè utilis, sed ne in illis Theologus adeò immoretur, ut in eis tractandis, quasi sibi finem constituat. Sic S. Augustinus *lib. 2. de Genesi ad litteram cap. 9. & 10.* varias quæstiones, in quibus Manichæi immorabantur, quasi præteriens, solvit, quia illis inquirendis, atque tractandis, neque Episcopo temporis satis erat, neque illis, quos ad salutem, & Sanctæ Ecclesiæ necessariam utilitatem, cupiebat informari; hoc facio reprehendens illos, qui in iis excitandis, atque solvendis, longa, & rebus salubribus impendenda, temporum spatia occupant. Hoc ego exemplo munitus, in iis quæstionibus, quę vel Theologicæ verè sunt, vel ad eas explicandas conferunt, totus ero, alias in scholis tractari solitas, strictè; & quasi præteriens tangam. Nec enim iis consentio, qui scholæ perpetuam invidiam conflantes, spargunt, controversias circa Aristotelem exortas, esse disquisitione Theologi prorsùs indignas, cum, si quæ in Cicerone erant ambigua, ea non sit dedignatus explicare S. August. *lib. 2. de ordine cap. 16.*

DUBIUM V.

De variis errorum gradibus.

§. I.

Quædam præmittuntur.

I. POst completum scrutinium de veritatibus fidei, vel quæ fidem quomodolibet tangunt, ad eandemque reducuntur, instruendus est Theologiæ candidatus, de erroribus illis oppositis. Sed quoniam errores eorum, qui de fidei veritatibus pravè senserunt, non in eodem gradu esse accepimus à Concilio Constantiensi *sess. 8.* hos omnes errorum gradus paucis exponere dignum erit. Et sanè sicut læsiones corporum, aliæ sunt mortales, quæ immediatè auferunt vitam, aliæ verò, quæ licèt non auferant vitam, homo tamen per eas malè se habet, & disponitur ad corruptionem, vel in toto, vel in parte: sic errores, & propositiones lædentes fidem, aliæ sunt, quæ immediatè illam destruunt, & sunt illæ, quæ manifestam continent hæresim, aut infidelitatem, aliæ verò, quæ licèt illam immediatè non destruant, ad fidei corruptionem tamen disponunt.

II. In dignoscendis autem erroribus, & propositionibus fidei quomodocumque nocivis, & earum gradibus, censurę Ecclesię standum est. Non minus enim infallibilis debet esse Ecclesia in rejicienda doctrina non sanâ, & Fidei Catholicæ quomodocumque nocivâ, quàm in admittendâ doctrinâ sanâ, & fidei consonâ; sed propter primum ad dignoscendum,

an

an aliquid sit à Deo revelatum, vel Divinæ Fidei consonum, recurrendum est ad Judicium Ecclesiæ, ut dubio præcedente statuimus; ergo ob secundum ad rejiciendum aliquid, ut contrarium revelatis à Deo, & Fidei Catholicæ nocivum, expectandum est iudicium, & censura Ecclesiæ. Sic ut, quemadmodum non est tenendum, aliquid esse revelatum, & de fide, donec Ecclesia, ut tale illud proposuerit, ita neque tenendum erit, aliquid esse contrarium fidei, donec Ecclesia suâ censurâ illud non notaverit. Censura enim est nota, quâ Ecclesia præhabito rigoroso examine, inurit aliquas propositiones non continentes doctrinam sanam circa materiam fidei, seu fidem Catholicam aliquomodo lędentes.

III. Quòd si dixeris, doctrinam aliquam esse nocivam fidei ex hoc solo, quòd sit contraria Verbo Dei: ergo ex hoc pręcisè absque ullo respectu ad Ecclesię judicium, aut criterium nociva fidei censenda erit.

Nego consequentiam: esto enim ex solâ oppositione cum Verbo Dei doctrina aliqua evadat fidei nociva, ut tamen à nobis tanquàm talis habeatur certò, ad Ecclesiam respicere debemus. Vel enim contrariatur veritati clarè revelatæ, ut sunt veritates ad salutem prorsùs necessariæ, & sic doctrinam illis contrariam tutò dignoscimus per Ecclesiæ constantem, ac perpetuam consensionem. Vel non adeò clarè constat, eam esse à Deo revelatam, nec de traditione satis compertum est: ideò ad hoc certò dignoscendum, ad Ecclesiæ judicium, & criterium Catholicus confugere debet, & ex hoc doctrinam contrariam dijudicare. Hinc Sanctus Augustinus *lib. 2. contr. Cresconium cap. 32.* apertè profitetur, se non recipere doctrinam Cypriani de baptizandis Hæreticis, & Schismaticis, quia hoc non recipitur ab Ecclesia. *Non accipio* (inquit) *quod de baptizandis Hæreticis, & Schismaticis B. Cyprianus sensit, quia hoc Ecclesia non accipit, pro qua B. Cyprianus sanguinem suum fudit.* Et eâdem ratione ab erroris labe Cyprianum excusat, quia ejus doctrina ab Ecclesiâ nondum fuerat judicata *lib. 2. de baptismo contr. donat. c. 4.*

Huic judicio omnes viri Catholici se, suasque doctrinas subjiciunt, parati semper, in omnibus corrigi ad limam Catholicæ Ecclesię, quibus facem præfert exemplo suo D. Hieron. *epistol. 14. alias 57. ad Damasum*, qui cùm ab Episcopo Arianorum, & aliis multum agitaretur, nec sciret, an Catholicè admittere posset tres hypostases in Deo, ad Cathedram Apostolicam confugit. *Ideò*, inquit, *mihi Cathedram Petri, & fidem Apostolico ore laudatam censui consulendam.* Inde laudatâ fide Romanâ, dicit: *Ego nullum primum, nisi Christum sequens, Beatitudini tuæ, idest Cathedræ Petri communione consocior*; Deinde rogat Damasum, ut decernat, an debeat fateri tres hypostases: *Decernite, obsecro, si placet, non timebo, tres Hypostases dicere.* Hinc etiam fit, ut licèt aliqui SS. PP., vel etiam Doctores aliqua scripserint, quæ hisce temporibus contraria fidei judicantur, non censebantur tunc, vel censendi modò sunt hæretici, quia eo tempore nondum ab Ecclesia declaratum erat, eorum doctrinam esse Verbo Dei oppositam, habebantque insuper animum paratum retractandi eam, si fortè Ecclesiæ judicio non foret comprobata, quare Cyprianum excusat D. Aug. sup. laudatus.

IV. Septem ergo gradus propositionum, seu doctrinarum censurabilium recensentur in Conc. Constantiensi *sess. 8.*, ubi examinatis articulis Wicleffi, Sancitur, plures ex illis esse *notoriè hæreticos*, & à pluribus SS. PP. reprobatos, alios *non Catholicos*, sed *erroneos*, alios *scandalosos*, & *blasphemos*, quosdam *piarum aurium offensivos*, nonnullos autem *temerarios*, & *seditiosos*. Octava censuræ species colligitur ex Bullâ S. Pii V. contrà Bajum, in quâ præfatis additur propositio *suspecta*; & *in cap. accusatus in 6.* adjungitur nona, nempe *sapiens hæresim*. Relatis censuris nonnulli addunt subsequentes, nempe *proximas hæresi*, *suspectas de hæresi*, *malè sonantes*, *simplicium seductivas*, *schismaticas*, *injuriosas*, *judaicas*, *paganas*, & *atheas*. Has ergo omnes pro viribus excutiemus.

§. II.

§. II.

De propositione, seu doctrina hæretica.

V. Dico. Propositio, seu doctrina hęretica illa est, quę immediatè adversatur, aut expressò Dei Verbo, aut expressæ definitioni Ecclesię. Dicitur adversari Dei Verbo, quia Dei Verbum, sive scriptum, sive traditum sunt duo fontes, ex quibus hauriuntur omnes articuli fidei. Dicitur etiam adversari verbo Dei *immediatè* ad differentiam propositionis erroneę, quę (ut dicemus) adversatur Dei Verbo solùm mediatè, quia adversatur propositioni deductæ ex Dei Verbo. Dicitur adversari Verbo Dei expresso, hoc est veritati, quæ in Verbo Dei expresse continetur, ut sunt Christi mors, sepultura, resurrectio &c. Hinc patet; hanc propositionem, quæ inter quinque Jansenianas damnata legitur num. 2. ab Innocentio X. *Interiori gratia in statu naturæ lapsæ nunquam resistitur*, meritò tanquam hæreticam fuisse proscriptam, quia contradictoriè immediatè opponitur huic expresso Dei Verbo *Act. 7. v. 51. Vos semper Spiritui Sancto restitistis*. Sicut & hanc aliam ab Alexandro VIII. damnatam: *homo non tenetur amare Deum neque in principio, neque in decursu vitæ suæ mortalis*. Contradictoriè etenim adversatur huic expresso Dei, & Christi mandato *Deuteron. 6. 5., & Matth. 22. v. 37. Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo*.

VI. Dicitur insuper, *aut expressæ definitioni Ecclesiæ*: siquidem propositio, quę implicitè tantùm continetur in Dei Verbo, postquàm Ecclesia declaravit, eam reverà in illo contineri, Fide Divinâ expressè credi debet ab iis, quibus sufficienter innotuit latum ab Ecclesia judicium. Propter hanc rationem doctrina de rebaptizandis baptizatis ab hæreticis cum debita forma, & intentione, sicut & doctrina de celebrando Paschate quartadecima lunâ Martii, quâcumque diè inciderit; esto olim non foret doctrina hæretica, quia nondùm expresso Ecclesiæ judicio constabat, oppositam doctrinam implicitè contineri in Verbo Dei, sive scripto, sive tradito, postquàm Ecclesia hac de re in plenariis Conciliis suam tulit sententiam, utraque doctrina habenda est, ut hæretica.

VII. Sic ergo explicata conclusio, hoc discursu probatur. Ea propositio, aut doctrina rectè dicitur hæretica, quæ immediatè contradictoriè opponitur doctrinæ, & propositioni Catholicæ: ideo enim hæc propositio, *Christus non est Deus*, hæretica est, quia directè contradicit huic alteri, quæ est Catholica, *Christus est Deus*, seu *Filius naturalis Dei consubstantialis Patri*: sed propositio, quæ adversatur, aut expresso Dei Verbo, aut expressę definitioni Ecclesię, est contradictoria propositioni Catholicæ; hæc enim definitur, quòd sit ea, quæ expressè in Dei Verbo continetur, aut si tantùm implicitè, ab Ecclesia declarata fuit revera in Verbo Dei contineri; ergo &c.

Ut autem aliqua propositio possit hæreticâ censurâ notari, debet esse, vel in materia juris ad fidem, sive mores pertinens, vel in materia, quę in Dei Verbo, aut scripto, aut tradito continеatur, aut in materia facti connexi cum Jure. Aliæ enim quæstiones puri facti, quæ in Dei Verbo nec explicitè nec implicitè continentur, etsi accesserit Ecclesiæ judicium, materiam fidei non constituunt; ideòque doctrina contraria non esset habenda, ut hæretica, quia non contradiceret Ecclesiæ judicio infallibili regulato à Dei Verbo, sed humanâ informatione. Sic qui diceret, sextam Synodum malè damnasse, & inter hæreticos Monothelitas rejecisse Honorium Papam, non esset hæreticus, quia licèt judicio Ecclesiæ sese opponeret, non tamen in eo, in quo regitur à Verbo Dei, sed tantùm ex humanâ fallibili informatione. Ita Cardinalis Turrecremata *lib. 2. de Ecclesia cap. 93.*, & Bellarminus *lib. 4. de Rom. Pont. c. 11.*

VIII. Observat tamen Mag. Cano *lib. 12. de locis Theol. cap. 7.* non semper doctrinam, vel propositionem hæreticam certò indicare, in eo, qui eam profert, vel

vel scribit, hæresim esse. Sicut enim (inquit ille) urina est impropriè sana, quia signum est sanitatis, etiamsi fallax aliquando sit, sic propositio, vel in voce, vel in scripto vocatur hæretica, quòd signum hæresis esse soleat, quamvis interdum is, qui dixerit, ab hæresi excusetur, quia ignorans fuit. Potest ergo propositio aliqua hæretica esse solùm ex genere, & ex objecto, non autem ex subjecto, sicut concubitus primus Jacob cum Lia, quæ non erat sua, dici potest fornicatius ex specie, & ex objecto, qui tamen ex subjecto, idest ex parte Jacob, qui concubuit cum Lia, credens invincibiliter esse suam, fornicarius non fuit. Sic doctrina aliqua ex objecto, & materialiter dici potest hæretica, quin formaliter, & ex subjecto hæresis sit, si eam proferens erret, putans esse Doctrinam Catholicam. Neque enim ex eo, quòd contradicat fidei statim hęresis est, sicut nec omnis color, qui contrariatur albo, statim niger est. Sic igitur fieri potest, ut in Christiano, error aliquis sit fidei aliquo modo adversus, quin adhuc formaliter hæresis sit, ut patet in allato exemplo de colore albo, cui rubeus, glaucus, viridis contrarii sunt, imperfectè tamen. Et eâdem proportionali ratione quidam etiam sunt Christianorum errores, qui cum inchoati sint, & informes, hæreseos speciem nondum attingunt, licèt ad eam ipsam proximè accedant. Ut ergo doctrina aliqua formaliter, & subjectivè hæresis sit, debet errori circa fidem habere adjunctam pertinacem electionem, & adhæsionem errori contra ipsam, ita ut qui illam teneat sciens, & volens eam teneat, quamvis se à Catholico Grege noverit separari. Quòd si ignorans, adhuc culpabiliter, in eo errore versetur, peccabit quidem, sed non peccato hæresis.



§. III.

De propositione erronea, & errori proxima.

VIII. Quantùm ad propositionem erroneam. Noto, propositionem erroneam in sui latissima significatione idem esse, ac propositionem falsam, quia error dicitur ex eo, quòd à scopo veritatis aberret. Propositio verò erronea Theologicè dicitur omnis propositio à fidei veritate devians: quo sensu etiam propositio hæretica erronea dici potest. At strictiùs loquendo error Theologicè est quid inferius ad hæresim, hæresi tamen proximum. Quare propositio erronea in stricta acceptione illa est, quæ equidem fidem immediatè non destruit, ad ejus tamen destructionem proximè disponit.

IX. Hoc suppposito. Omissâ opinionum varietate, Dico, Propositionem erroneam in fide esse illam, quę opponitur veritati, seu doctrinæ, quam unanimis SS. Patrum, ac Doctorum consensus judicat esse revelatam, sed nondum per Ecclesiam definita est; vel illam, quæ opponitur doctrinæ, nondum quidem per Ecclesiam definitæ, aut formaliter, & expressè revelatæ, communiter tamen à Doctoribus per discursum necessariò illatæ ex revelatis. Quare conclusio Theologica communiter dicitur virtualiter revelata, quia ita proximè accedit ad fidem, ut nihil ei desit, quò de fide sit, nisi expressa Ecclesiæ definitio. Unde fit, quòd propositio erronea, & hęresi proxima coincidant. Sit exemplum: usque modò Ecclesia non definivit, quòd in hac propositione *Christus est homo* includatur ista *Christus est risivus*. Ex communi tamen Theologorum sensu habetur, quòd ista *Christus est risivus* contineatur in ista *Christus est homo*, quia scriptura innuit, Christum esse hominem perfectum habentem hominis proprietates, saltem quarto modo proprias hominis, sicut est risivitas. Qui ergo negaret, Christum esse risivum, non esset quidem hæreticus, quia non negaret veritatem expressè contentam in scriptura, vel definitam ab Ec-

ab Ecclesia; esset tamen erroneus, & hæresi proximus. Sic opinio Cypriani de invaliditate Baptismi collati ab hereticis; Opinio Sergii de una tantùm in Christo operatione, potuit dici erronea, antequam Ecclesia definiret, oppositum contineri in Verbo Dei, nunc autem postquam Ecclesia definivit, non amplius erronea tantùm, sed hæretica censenda est.

X. Conclusio sic explicata probatur. Nam per hoc propositio erronea differt ab hæretica, quia ista negat veritatem, aut expressè revelatam, aut implicitè solùm, sed additâ Ecclesiæ Catholicę definitione. Differt quoque à cæteris propositionibus censurabilibus, ut infra dicetur.

Porrò immerito ab Juenin. *Instit. Theolog. Prolegomen. dissert. 5. de propos. censur. qu. 2.* reprehenditur Melchior Canus, quòd propositionem erroneam unicè dixerit esse eam, quæ adversatur quidem alicui veritati Catholicę, seu quam universa tenet Ecclesia, sed tamen quâ fides non evertitur, licèt aliqua ei labes inferatur. Nam laudatus Canus in tres gradus distinguit propositiones erroneas. In primo ponit illam (de qua Juenin.) qua scilicet fides quatitur, sed non evertitur. Distinguit enim veritates Catholicas, seu quas universa tenet Ecclesia, in eas, quibus sublatis fides tollitur, & eas, quibus sublatis fides læditur, sed non perit, ut sunt istæ: *Speciales orationes applicatæ uni personæ per Prælatos, seu Religiosos, magis prosunt, quàm generales. Religiosi non tenentur labore manuum victum quærere, sed licet eos esse mendicos*; quibus si quis contradicat erroneus quidem erit, hęresique proximus, sed nondum hęreticus. In secundo autem gradu ponit illam, quæ contradicit quidem veritati, quæ sapientum quidem opinione constanti, fidei veritas est, sed nondum ut talis ab Ecclesia definita, nec certo argumento demonstrata. In tertio verò gradu eam ponit, quæ certæ veritati Catholicę adversatur, non manifestè quidem, sed sapientum omnium longè probabili, ac fermè necessaria sententia; concluditque: *Quicumque ergo vel doctrinam fidei appenditem liquidò evertit: vel fidem ipsam in discrimen adducit vehementer, ille sanè in Christiana disciplina errat, atque adeò ejus dicta jure appellantur erronea.* Canus ergo nostrę resolutioni non refragatur, sed eam extendit.

XI. Propositio errori proxima est illa, quæ opponitur ei, quam plures, sed non omnes Theologi censent esse Conclusionem Theologicam. Sic propositio negans, facta consecratione manere vera accidentia panis, & vini, videtur errori proxima, quia opponitur huic: In Sacramento Altaris facta Consecratione manent vera accidentia, quam plures, imò Theologorum sanior pars, censet, esse conclusionem Theologicam illatam ex definitionibus de fide Conciliorum, Constantiensis, & Tridentini.

§. IV.

Aliæ species propositionum censurabilium.

XII. PRopositio sapiens hæresim [quæ non in alio videtur differre à propositione hæresis suspecta, nisi quòd illa cum majori, ista cum non adeò magna, multâ tamen probabilitate judicatur hæretica] illa est, quæ saporem, & suspicionem hęresis ingerit; Vel quia in se ad hæresim videtur accedere, vel hęresim redolere. Vel quia licèt in aliquo sensu tolerari posset, tamen ex circumstantia personæ, loci, & temporis adjunctam habet gravem, vel gravissimam suspicionem, aut saporem hæresis. Sit exemplum in hac propositione, *Christus est creatura*, quæ in se ad hæresim Nestorianam accedere videtur: nam cum ly *Christus* supponat pro Persona, videtur asserere, Personam Christi esse creaturam: & licèt prolata à Catholico tolerari possit, quia videtur intelligi, quòd sit creatura quantùm ad humanam naturam; prolata tamen ab hæretico Ariano, vel Nestoriano, maximam suspicionem, & saporem hæreseos facit, nimitùm, ne intelligatur, quòd Christus etiam quantùm ad suppositum sit creatura. Sic etiam ista *fides justificat*, quæ in ore D. Pauli Catholica est, in ore autem Lutheri,

theri, qui vult, solam fidem justificare, hæresis suspicionem facit. Quo in sensu damnatæ sunt plures propositiones à Jansenistis prolatæ, quæ licèt in Sacra Scriptura iisdem ferè terminis legantur, & in D. Augustino, in ore tamen Jansenistarum sensum hæreticum præseferunt.

XIII. Propositio sapiens errorem, seu de errore suspecta, ea similiter est, quę ex circumstantia Personæ, loci, & temporis gravem suspicionem, apparentiam, & saporem erroris ingerit; vel ut alii explicant, ea est, quæ cum erroneâ similitudinem habet aliquam: sicut, si quis propositionem aliquam assereret, quâ assertâ videretur asserere istam: *Christus non est risivus:* sive negaret aliquam, quâ negatâ, videretur negare istam conclusionem Theologicam: *Christus est risivus.*

XIV. Propositio temeraria dicitur illa, quæ sine fundamento in scriptura, Patribus, Doctoribus, & traditione, imò contra sensum istorum, in materia fidei, aut morum aliquid enunciat. Pro cujus explicatione adverto ex D. Thoma 2. 2. *quæst.* 53. *art.* 3. *ad* 2. aliquid fieri temerè, *dupliciter posse contingere*; *uno modo ex impetu voluntatis, vel passionis*, & sic potiùs dicitur præcipitatio. *Alio modo ex contemtu regulæ dirigentis*; *Et hoc propriè importat temeritas, unde videtur ex ea radice superbiæ provenire, quæ refugit subesse regulæ alienæ.* Cum ergo aliquis absque gravi fundamento resilit ab eo, quod in Theologia communiter docent Theologi, hoc non potest oriri ex alio principio, nisi quia nimis amans judicium proprium, non vult acquiescere majorum sententiis, & ideò temeritatis notam incurrit; Sicut si quis negaret, B. V. fuisse assumtam in Cælum, etiam quoad corpus; vel negaret historias pias ab Ecclesia receptas, & propositas. Quo morbo recentiores non pauci, criticæ intemperantioris studiosi, laborare videntur. Similes sunt etiam Theologi morales, qui absque ullo fundamento in Scriptura, Patribus, ac traditione solis levissimis ratiunculis moti, varias propositiones, tum circa cultum Deo debitum, tum circa caritatem erga proximum, circa homicidium, & furtum, aliaquè ediderunt; quas Alexander VII., & Innocentius XI. meritò confixerunt.

XV. Quæres, an omnis propositio temeraria sit hæretica, aut erronea, & an omnis hæretica, & erronea sit temeraria?

Respondeo ad primum, negativè. Quia multæ propositiones temerariæ sunt respicientes facta, quæ post Apostolorum tempora contigerunt; vel si eorum temporibus evenere, non continentur in Verbo Dei, nec immediatè, nec mediatè, nec de illis ulla est Ecclesiæ Catholicæ definitio, & per consequens non sunt hæreticæ, neque erroneę, quia hæreticæ, tales dicuntur, quia immediatè opponuntur Verbo Dei, erroneę verò, mediatè.

XVI. Ad secundam verò respondeo, omnem quidem propositionem hæreticam esse temerariam. Quæ enim major temeritas, quàm expresso Verbo Dei, aut Ecclesiæ judicio nolle se subjicere? Non tamen omnem propositionem erroneam esse temerariam: multæ namque propositiones erroneæ defensatæ fuerunt à Viris doctissimis, qui eis adherebant, gravi, ut eis videbatur, nisi fundamento; ideoque temeritatis notâ inneri non debebant, maximè, quia ea in re, Ecclesia nihil adhuc fuerat locuta. Sic temeritatis notam effugit Cyprianus, etsi propositionem erroneam de rebaptizandis hęreticis sustineret. Neque hâc notâ confingendus erat *Joannes* 22., si (ut aliqui volunt) erroneę defensavit, animas Justorum antè universalem resurrectionem Deum clarè non visuras; ipsi enim non deerant (saltem apparenter) gravia fundamenta.

XVII. Propositio scandalosa ea est, quæ per se occasionem præbet ruinę spiritualis proximo, vel inclinando eum ad peccata, vel avertendo ab exercitio virtutum. Scandalum enim (apud grammaticos) est offendiculum, quod positum ante pedes alicujus causa est, ut cadat. Ut autem propositio sit scandalosa, satis est, ut per se nata sit parere ruinam spiritualem proximi, licèt per accidens, nempè ex partè subjecti, eam non pariat. Insuper propositio scandalosa, ut distin-

distinguitur ab aliis, debet esse talis, ut in ea nec hęresis, neque falsum dogma notari possit; aliàs confunderetur cum propositione hęretica, vel erronea. Ut si quis diceret, multa sequi incommoda ex jejuniis Ecclesiasticis, ex votis, ex peregrinationibus, ex confessione auriculari, quibus homines arceri possunt ab exercitio talium operum: vel si diceret: Sanctos mysticos exclusisse à statu animarum unitarum exercitia virtutum, ut impiè asserebat Michael de Molinos.

XVIII. Propositio piarum aurium offensiva dicitur ea, quę aliquid absonum, & subjecto, de quo loquitur, indignum, enunciat, quo audientes offenduntur. Dicitur offensiva aurium, non propter sensum, quem continet, sed propter modum, quo sensum exprimit. Dicitur offensiva aurium, non quarumcumque, sed piarum, quòd enim offendantur, sicut olim Pharisęi offendebantur de Christi doctrina, & modo loquendi, non est curandum. Insuper, an propositio aliqua sit piarum aurium offensiva, non est pensandum ab hominibus, piis quidem, sed indoctis, qui sępè ex imperitia, vel stolida pietate offenduntur ex propositione suâpte naturâ non offensivâ. Neque enim in ferendo judicio de aliqua propositione, consuli debet promiscuum vulgus, ut benè notat Mag. Canus *lib. 12. laudato cap. 11.* sed ii, qui pietati doctrinam conjunxerunt. Si enim turba nobis lex esset, Evangelii verba fuissent piarum aurium offensiva; Turbę enim aliquando Christi verbis turbatæ sunt, imò etiam discipulis durus erat illius sermo. Multaque alia (prosequitur Canus) offensiva dici deberent, quę non sunt, si plebis judicium audiendum esset. Debet insuper propositio offensiva piarum aurium continere aliquid absonum, & indecorum subjecto, de quo est, qualis esset ea, quę indecorè de Deo, aut Sanctis (licèt non falsò) enunciaret. Sicut si de partu Virginis loquens, aliqua indecora misceret, vel actiones humanas Christi, aut partes, & membra corporis ejus turpibus explicaret vocibus.

XIX. Malè sonans propositio, licèt à Mag. Cano loco citato conjungatur cum offensiva piarum aurium, ab aliis tamen ab ea secernitur, & dicitur illa, quæ incongruè, & inordinatè Theologicè loquitur; itaut licèt verum sensum habeat, Theologicè tamen malè sonet. Quare si quis diceret, in Deo sunt tres essentiæ relativæ, sensus Catholicus esset, sed Theologicè loqueretur incongruè, & inordinatè, quia uteretur nomine *essentiæ* ad significandum relativum, quo Divinę Personę distinguuntur, contra bonam Theologiam, eo utentem solum ad significandum absolutum, & naturam, in qua sunt unum.

Propositio malè sonans à Juenin, & aliis sic explicatur, quòd sit illa, quæ duos habet sensus, unum congruum fidei, alterum incongruum? itaut ab audientibus sæpè in malam partem, seu in sensum fidei incongruum trahatur. Sic hæc propositio, *Christus est minor Patre* absolutè prolata, licèt Catholicè sensum faciat, esse minorem Patre quantùm ad humanitatem, juxta dictum Christi: *Pater major me est*; quia tamen alium sensum facit, quòd Christus absolutè, & quantùm ad suppositum sit minor Patre, ideò absolutè prolata malè sonans dici potest.

XX. Simplicium seductiva illa est, quę sub specie pietatis, vel prætextu boni errorem tegens, apta est simplicium mentes seducere; hujus generis fuerunt plures, quibus Michael de Molinos, ejusque asseclæ, simplices seducebant. Quo etiam pacto Ariani Catholicos simplices in Concilio Ariminensi decipere tentarunt. Ut enim eos inducerent ad subscribendum sub spe futuræ pacis, formulæ, quam ipsi subdolè ediderant, dixerunt, Filium Dei esse *homiusion* Patri. Quare Catholici simplices, putantes, vocem *homiusion* eandem esse, ac illam *homousion*, hoc est *ejusdem substantiæ*, seu *consubstantialem*, & non Creaturam, plures subscripsere. Sed se deceptos agnoverunt, dum noverunt, hac voce *homiusion* Filium non *ejusdem*, sed *similis* tantùm *substantiæ* cum Patre, & verè creaturam, Arianos intellexisse, & consequenter non Catholicum, sed Hæreticum sensum fallaciter obtruxisse.

XXI. Schismatica ea est, quæ aperit viam divisioni, & scissioni corporis my-

stici

ftici Ecclefiæ, feu quæ fideles ab unitate Ecclefiæ retrahit, vel ab obedientia fuperiorum. Sicut fi quis diceret, Benedictum XIII. non effe legitimè electum, nec verum Papam, eique non effe obediendum. Sicut Henricus VIII. Angliæ Rex, dum fuo Edicto declaravit, fe in fuo Regno effe fupremum, tum in Temporalibus, tum in Spiritualibus Caput, & Gubernatorem, præcipiens, ne ullum extra Angliam, fuperiorem Angli agnofcerent.

XXII. Injuriofa propofitio eft, quæ facit injuriam alicui perfonæ, vel ftatui. Dico alicui perfonæ, vel ftatui, quia fi effet in Deum, vel Sanctos effet impia, & blafphema. Sic fi quis diceret, hunc, vel illum ftatum Monafticum effe diffolutionibus plenum, nec effe viam ad falutem, fed ad perditionem, injuriosè loqueretur.

XXIII. Impia porrò, feu blafphema propofitio eft, quæ Deo, Deiparæ, aut Sanctis eft injuriofa, vel quia negat perfectiones eis debitas, vel tribuit eis defectus, & imperfectiones indebitas: Ut fi quis videns, in hoc mundo bonos fæpè affligi, malos autem in deliciis vivere, Deum vocaret injuftum; Si qui Deiparæ virginitati perpetuæ aliquomodo detraheret; fi quis de Apoftolis infanda evomeret, quòd fuerint homines nequam, & fimilia. Blafphema etiam habenda eft, nedum hæretica, ex damnatis 5. propofitionibus Janfenianis prima, nimirùm *aliqua Dei præcepta hominibus juftis, volentibus, & conantibus, fecundum præfentes, quas habent, vires, funt impoffibilia: deeft quoque illis gratia, qua poffibilia fiant.* Facit enim Deum injuftum legislatorem, qui præcipit ea, quæ impoffibilia funt, etiam volentibus, nec dat vires, unde poffint. Quia tamen blafphemia fæpè conjungitur cum hærefi, vel cum errore, vel cum fufpicione hærefis, dividi poteft in hæreticalem, erroneam, & de hærefi fufpectam; quare aliquibus hæc cenfura non videtur fpecialis, cum poffit cuicumque ferè alteri cenfuræ conjungi.

XXIV. Judaica propofitio eft, quæcumque de Chrifto fentit cum Judæis, qualis effet illa, quæ Meffiam nondum veniffe, vel adhuc venturum enunciaret.

XXV. Pagana eft, quæ cum Paganis plures Deos admittit, qualis eft ifta, *dii te perdant.*

XXVI. Athea è contra eft, quæ cum Atheis Deum effe negat, qualis eft illa *Pfalmi 13. v. 1. Dixit infipiens in corde fuo, non eft Deus.* Qualis & quælibet alia, quæ omnem prorsùs religionem, & cultum tolleret; fublatâ enim quâcumque religione, tollitur etiam Deus, cùm nulla fuerit unquam religio, quæ cultum Deo, five vero, five falfo non exhibuerit; quare, qui religionem habet nullam, nullum Deum pariter habere cenfendus eft. Hinc Atheus fuit mifer ille Carthefianæ Sectæ Philofophus, vir natione Judæus, *Efpinofa* nomine, qui calcatâ Judaicâ religione, *Tractatum Theologico - Politicum* fcripfit unum, ad hoc unicè tendens, ut omnem aboleret religionem, liberum cuique vivendi modum permittens, & purum atheifmum infinuaret.

XXVII. Quæres primò. Quid fit propofitio improbabilis?

Dico, eam effe, quæ nullo, aut Scripturæ, aut traditionis, aut rationis Theologicæ pondere firmatur: probabilitas enim in rebus fidem, vel mores fpectantibus, uni ex dictis tribus inniti debet.

XXVIII. Quæres fecundò. An propofitio improbabilis fundet fpeciem cenfuræ à temeraria diftinctam?

Refpondeo, quod fi propofitio improbabilis fit, quia non folùm deftituitur auctoritatis, & rationis pondere, fed etiam profertur animo fefe opponendi communi Theologorum placito, ad cenfuram temeritatis fpectat. Si verò improbabilis fit, quia præcisè afferitur abfque ullo fundamento, non autem animo contradicendi communi Theologorum voto, cenfurâ temeritatis inurenda non eft, quia locutio temeraria, non folum eft locutio imprudens, qualis eft illa, quæ fine fundamento auctoritatis, & pondere rationis profertur, fed etiam debet effe ex contemptu regulæ dirigentis, ut fupra dictum eft, feu, quia fic loquens, dictis fapientum non vult acquiefcere: quod tunc dignofcitur, quando non folùm

lùm suam opinionem profert, sed & contrariam, & communem refutare conatur.

XXIX. Quæres tertiò. An qui privato spiritu propositionem aliquam (aliàs probabilem) notat censurà gravi, censuram incurrat?

Respondeo cum distinctione. Vel enim propositio illa unanimi sensu Theologorum, ut probabilis admittitur. Et sic, qui illam censurare auderet, incurreret notam gravis temeritatis: quia absque gravi rationis fundamento sese opponere unanimi sensui Theologorum, notà temeritatis est. Vel propositio illa apud aliquos probabilis est, apud alios verò improbabilis, & sic nullam censuram incurrit. Constat ex praxi S. Sedis, ad quam quotiescumque delatæ sunt hujusmodi querelæ de censuris hinc inde latis super propositionibus inter Theologos controversis, ut in materia de efficacia gratiæ, de probabilitate, de dispositione ad Sacramentum Pœnitentiæ, vel aliis similibus, nil aliud facere consuevit, quàm utrique parti silentium indicere, donec S. Sedes super his judicium suum protulerit.

Vetat tamen Innocentius XI. in suo decreto, quo 65. propositiones proscripsit, ne quisquam privatà auctoritate audeat propositionem aliquam censura notare, cùm hujusmodi judicium soli S. Sedi reservetur. Verba Decreti sunt: *Tandem, ut ab injuriosis contentionibus Doctores, seu Scholastici, aut alii quicumque imposterum se abstineant, & ut paci, & caritati consulatur; idem Sanctissimus in virtute Sanctæ Obedientiæ præcipit, ut tam in libris imprimendis, ac manuscriptis, quàm in thesibus, disputationibus, ac prædicationibus, caveant ab omni censura, & nota, necnon à quibusvis convitiis contra eas propositiones, quæ adhuc inter Catholicos hinc inde controvertuntur, donec à S. Sede recognita, super iisdem propositionibus judicium proferatur.* Quibus verbis præceptum continetur, sed nullâ censurâ contrafacientes notantur. Verùm, ut pleniùs de hâc materiâ juvenis candidatus instrui possit, ponitur.

DUBIUM VI.

An omne dogma Catholicum sit Fidei dogma, & an omne Fidei dogma sit articulus Fidei.

§. I.

Resolvitur prima Pars.

I. DUbium istud excitat Annatus *lib. 1. Apparat. artic. 7.*, quia (inquit) Catholici dogmatis nomine decipi communiter solent Tyrones non pauci, arbitrantes nimirum, nihil omnino dogma Catholicum dici posse, nisi sit fidei dogma. Propterea statuit, dogma Catholicum genericè, & latè sumtum, nihil aliud esse, quàm doctrinam Ecclesiæ Catholicæ, seu doctrinam, quæ licitè, & citra censuram in Catholicâ tenetur Ecclesiâ. Hoc supposito.

II. Dicit, Dogma Catholicum hoc modo acceptum triplex esse, aut dici posse, videlicet imperatum, liberum, & toleratum. Dogma imperatum est doctrina, quam Catholica Ecclesia sic profitetur, ut cunctis eam fidelibus proponat cum obligatione eam tenendi, & credendi. Liberum verò est doctrina, quam liberum est cuique tenere, vel non tenere, qualis est doctrina, quæ nec de fide est, nec fidei nociva, aut moribus, ideoque vocatur doctrina libera. Toleratum verò dogma illud est, quod in Ecclesiâ Catholicâ toleratur, nimirùm permittitur cuique, illud tenere, vel non tenere; quia nondum satis notoriè fidei nocivum, vel erroneum, aut hæreticum deprehenditur; & talis est quæcumque doctrina, quæ a multis licèt impugnata, & rejecta, nondum tamen est Ecclesiæ judicio damnata: & hæc dicitur tolerata.

III. Ex his solùm Dogma Catholicum imperatum, est verè, & propriè dogma Catholicum, & dogma Fidei; reliqua verò duo, liberum nimirùm, & tolleratum solùm genericè, & latè Catholici dogmatis nomine appellantur, nec fidei dogmatis nomenclaturâ donari possunt. Et probatur. Illud enim solùm propriè dogma Catholicum, & Fidei est, quod

ità

ità Ecclesia docet; ut imperet omnibus fidelibus credi, & teneri, & si quis tenere, aut eredere refragetur, illum à se ejiciat, tanquam alienum, & hæreticum: Sed Ecclesia id solùm præcipit de dogmate imperato; alia enim, vel libera relinquit, vel in utramque partem tolerat, & sustinet: ergo solum dogma imperatum dogma fidei est, & strictè dogma Catholicum. Quid enim aliud vox *Catholicum* sonat, nisi *universale*: unde Vincentius Lirinensis in suo Commonitorio 1. c. 3. *id* (inquit) *propriè Catholicum est, quod ubique, quod semper, quod ab omnibus creditum est*.

IV. Dogmatis Catholici imperati, & propositi omnibus cum obligatione illud credendi tanquam fidei dogma, sequentia exempla produci possunt.

1. *Quòd Deus sit unus in essentia, solus, & non multiplex*: contra Polytheos.

2. *Quòd sit trinus in Personis realiter distinctis, Patre, Filio, & Spiritu Sancto*: contra Sabellianos.

3. *Quòd Christus Dominus sit Dei Patris Æterni Filius: eique consubstantialis*: contra Arianos.

4. *Quòd Spiritus Sanctus sit pariter Deus cum Patre, & Filio coadorandus*: contra Macedonianos.

5. *Quòd duæ in Christo sint naturæ* (contra Eutichianos. *duæ voluntates* contra Monothelitas) *una tamen Persona, & hæc Divina*: contra Nestorianos.

6. *Quòd in Sacramento Eucharistiæ realiter sit Christi Corpus, & Sanguis*; quòd *Missa sit verum Sacrificium*; quòd *Purgatorium existat post hanc vitam iis, qui non penitùs purgati decesserunt*; quòd *pium, bonum, & utile sit Sanctos invocare*, & alia similia fidei dogmata, quæ omnibus fidelibus credenda proponit, & præcipit Catholica Ecclesia, contra recentiores hæreticos Lutheranos, & Calvinistas.

V. Dogmatis verò liberi exempla sunt.

1. *De impossibilitate, vel possibilitate mundi ab æterno*.

2. *De futuro, vel non futuro Christi adventu, si Adam non peccasset*.

3. *De æterna hominum prædestinatione ante, vel post prævisa merita*.

4. *De efficaciâ gratiæ, sive ab intrinseco, sive tantùm ab extrinseco, & ex prævisione consensus futuri*, ideoque de *non admittendâ, vel admittendâ in Deo scientia media*.

5. *De admittendâ, vel non admittendâ inter divina attributa distinctione formali Scoticâ, vel Thomisticâ virtuali*.

Istæ, aliæque similes doctrinæ, quæ in Scholis Catholicis circumferuntur, quas tenendi, vel repudiandi libera cuique in Ecclesiâ facultas, dogmata Catholica, inde libera vocari possunt.

VI. Dogmatis verò tollerati exempla fuerunt olim. Primò

Doctrina de millenario Christi in terris regno, post resurrectionem, & judicium extremum futuro, quam tenuisse dicuntur (ex Papia primo inventore) S. Justinus martyr, & Iræneus, quæque in Ecclesiâ tolerata fuit, usque ad Damasi Papæ tempora.

Secundò, doctrina de non valido hæreticorum Baptismo, quæ tolerata fuit usque ad tempora Concilii Niceni I., vel ut alii volunt, Arelatensis.

Tertiò, Doctrina de dilatâ justorum visione beatifica ad extremum usque judicii diem, quæ tolerata fuit in Ecclesiâ usque ad tempora Benedicti XII., & Concilii Florentini, à quo, sicut & à Tridentino damnata fuit, ut hæretica.

Istæ, aliæque doctrinæ, quæ olim toleratæ fuerunt in Ecclesia Catholica, aliæ etiam, quæ fortè hodie tolerantur, antequam Ecclesia de iis judicium proferat, dici possunt Dogma Catholicum toleratum.

VII. Hæc ex Annato delibata sunt, qui non improbabiliter discurrit. Ceterum nisi abusivè loqui velimus, & dogmatis Catholici nomen à sua vera distrahere significatione, solum dogma, quod Ecclesiâ Catholicâ universim profitetur, & docet, quodque omnibus fidelibus credendum, ac tenendum proponit, ac præcipit, itaut qui illud tenere, ac credere recusaverit, Catholicus non sit, sed hæreticus, verè dogma Catholicum esse, ac dici debere censeo; ideoque idem esse dogma Catholicum, ac dogma Fidei, & pro-

& pro eodem reputandum concludo. Movet me, quia *dogmata* propriè dicuntur ea, quæ in unâquaque Sectâ, aut Religione, Decreta, & Statuta sunt: ficque artes, & fcientiæ propria *dogmata* fibi vindicant, quæ à profefforibus illius artis, vel fcientiæ, ut certa, & inconcuffa tenentur. *Dogma* enim idem eft, ac *Regula*, feu *Canon*. Quare D. Auguftinus *lib. 1. qu. Evangelior. q. 11. Dogmata autem*, inquit, *funt placita Sectarum, ideft, quod placuit fingulis Sectis*. Ex quo fit, quòd dogma Catholicum apud Theologos propriè illud folum dicendum fit, quod eft placitum univerfæ Ecclefiæ, & tenetur ab omnibus tanquam regula certa, five fidei, five morum. Unde Theologia Dogmatica dicitur illa, quæ dogmata orthodoxa exponit, eaque tuetur contra hæreticos, aut aliorum dogmatum fectatores: & dogma effe illud, quod fpectat ad fidem, dicit Gloffa in *Canon. Omnes dift. 3.*, & rurfus *25. qu. 1. c. Si quis dogmata*, anathema pronunciatur, qui dogmata Sedis Apoftolicę contemferit. Quapropter Theophylus Alexandrinus *Lib. Pafchali 1.* apud D. Hieron. *t. 4. edit. Maurinæ p. 692. Neque*, inquit, *Cæleftium poffunt recipere Sacramenta Verborum, qui Divinis Ecclefiæ dogmatibus contradicunt*. Quod fi Annatus nomine *dogmatis* fumat *doctrinam* vagè, non diffentiar: fed hoc eft fumere *dogma* minus propriè.

§. II.

Refolvitur fecunda Pars.

UT quæfitum hoc refolvatur, in quo quæritur, an omne id, quod eft de fide, feu dogma fidei, fit articulus fidei, feu an conftituat fpecialem fidei articulum; examinandum priùs eft, quid fit articulus fidei, & quid requiratur ad conftituendum fpecialem articulum fidei.

VIII. Et quidèm fi admittatur definitio Richardi Victorini definientis articulum fidei, quòd fit *indivifibilis veritas de Deo arctans nos ad credendum*, concludi debebit, quòd, cum omnis veritas de fide, feu revelata arctet nos, & obliget ad credendum, omnis veritas, feu dogma fidei, effet articulus fidei.

IX. Verùm quia, ut ait S. Thomas *2. 2. q. 1. art. 6. ad 3.*, *illa definitio datur de articulo magis fecundùm quandam etymologiam nominis, prout habet derivationem latinam, quàm fecundùm ejus veram fignificationem, prout à græco derivatur, unde non eft magni ponderis*: Ideo articulus fidei aliter definitur ab aliis poft S. Thomam, quòd articulus fidei eft: *Principalis fidei veritas omnibus ad explicitè credendum propofita, & diftinctam continens difficultatem*. Ratio hujus eft, quia, ut docet S. Thom. laudato *ar. 6. in corp.* cùm de ratione objecti fidei fit, ut fit quid obfcurum, & inevidens, & proinde ad videndum difficile, fequitur, quòd ubi funt fidei objecta, quæ diverfas ad videndum difficultates, feu dubitandi rationes afferunt, illa diverfos conftituunt fidei articulos; & e contra, ubi funt diverfa fidei objecta, quæ non plures, fed unam, & eandem difficultatem offerunt, non plures conftituunt, fed ad eundem revocari debent fidei articulum, Sic v. gr. ifta tria, *Paffio*, *Mors*, *& Sepultura Chrifti*, quia non tres difficultates offerunt, fed unam tantùm, cùm, Chrifti Paffione jam cognitâ, & creditâ, facilè cognofcantur, & credantur ejufdem *mors*, ac *fepultura*: ideo hæc tria fidei noftræ objecta non tres conftituunt, fed ad unum revocantur fidei articulum. Et quia è contra *Refurrectio Chrifti* fpecialem, ac diftinctam difficultatem offert, ideo fpecialem, ac diftinctum conftituit fidei articulum. Verba S. Thomæ *art. 6.* laudato in Corp. funt hęc: *Eft autem objectum fidei aliquid non vifum circa divina, ut fupra dictam eft: & ideo, ubi occurrit aliquid fpeciali ratione non vifum, ibi eft fpecialis articulus: ubi autem multa fecundùm eandem rationem funt cognita, vel non cognita, ibi non funt articuli diftinguendi; ficut aliam difficultatem habet ad credendum, quòd Deus fit paffus, & aliam quòd mortuus refurrexerit; & ideo diftinguitur articulus Refurrectionis ab articulo Paffionis. Sed quòd fit paffus, mortuus, & fepultus, unam, & eandem difficultatem habent, ità quòd, uno fufcepto, non eft difficile alia fufcipere; & propter hoc omnia hac per-*

pertinent ad unum articulum.

X. Insuper ex eodem D. Th. citato *a. 6. ad 1.* Veritates revelatę; aliç spectant ad fidem secundùm se, & principaliter, tanquam fundamentales Fidei Christianę, ideoque ab omnibus, & singulis explicitè credendæ, tanquam ad salutem necessariæ, quia ea sunt, quæ principaliter speramus videre in Patriâ, ut sunt, Deus trinus, & unus, Filius Dei incarnatus &c. Aliæ sunt, quæ spectant ad Fidem tanquam appendices, & consequentes ad præfatas veritates principales, ad quas reducuntur. Articuli ergo Fidei distingui debent, non secundùm has, sed secundùm illas. *Aliqua sunt credibilia* (ait D. Thom.) *de quibus est fides secundùm se... & secundùm ista distinguuntur articuli Fidei..... Aliqua vero sunt credibilia, de quibus non est fides secundùm se, sed solùm in ordine ad alia...... & secundùm talia non oportet articulos distinguere*. Quænam autem sint credibilia, de quibus est fides secundùm se, exponit D. Thom. ibid. *Fides est principaliter expressè de his, quæ videnda speramus in patria*, juxta illud Pauli *Hebr. c. 11. v. 1.* dicentis: *Est autem fides sperandarum substantia rerum*, & ea, quæ videnda speramus in patria, *sunt tres Personæ Omnipotentiæ Dei, Mysterium Incarnationis Christi, & alia hujusmodi*.

XI. Dico ergo, non omnia fidei dogmata constituunt specialem articulum Fidei, sed solùm ea, quæ principaliter pertinent ad Fidem, utpotè, quæ speramus videnda in Patriâ; vel quæ, ut credantur, specialem afferunt difficultatem. Itaque articulos Fidei possumus partiri quasi in duas Classes generales. Primam constituit Deus, ut est in se; & in istâ continentur omnes Articuli spectantes ad Unitatem, & Trinitatem Dei. Secundam constituit Deus provisor, Deus remunerator; & in istâ continentur omnes Articuli spectantes ad Incarnationem, Mortem, & Resurrectionem Filii Dei, ad vitam æternam, & media conducentia ad illam. Has duas classes insinuavit Paulus *ad Hebr. 11. v. 6.* ubi postquam dixit, sine fide impossibile esse placere Deo, addit: *Credere enim oportet accedentem ad Deum, quia est, & inquirentibus se remunerator sit*. Et Christus ipse *Joan. 17. v. 3. Hæc est vita æterna, ut cognoscant te solum Deum verum, & quem misisti Jesum Christum*.

Assertio sic explicata pro prima parte patet ex dictis. Nam illæ solæ veritates fidei constituunt capita, & classes articulorum, seu credendorum, de quibus secundùm se, atque primariò fides est, quia sunt fundamenta rerum sperandarum; hæ autem sunt veritates concernentes, vel Deum in se, vel Deum Incarnatum, ac remuneratorem; quare istæ omnibus scitu necessariæ sunt, & omnibus ad credendum explicitè proponuntur. In istis autem duabus classibus illæ solæ veritates articulos fidei distinguunt, quæ novam rationem non visi, seu novam difficultatem ad credendum offerunt, ut ex D. Thom. dictum est.

XII. Secunda verò pars suadetur ex dictis: quia veritates, quæ nec sunt directè, & per se fidei basis, & fundamentum, neque novam ingerunt difficultatem, reducuntur ad aliquam aliam, ex quâ dependentiam, aut connexionem habent; ergo non est, cur constituant novum articulum, sed reducuntur ad articulum, in quo continentur, vel ad quem spectant. Sicut in corpore naturali non omnia, quæ in illo sunt, propriè sunt corporis artus, & membra; sed membra & artus dicuntur solùm partes principales, quæ corporis substantiam constituunt, quæque exercent peculiare, ac distinctum officium; alia verò, quæ in corpore sunt, in aliquo ex membris continentur, illique inserviunt. Addo: multas veritates fidei esse, quas explicitè scire, & credere, non omnibus, & singulis necessarium est ad salutem, sive necessitate medii, sive præcepti, sed satis est, ut sciantur à Doctoribus, & Pastoribus; sed articulos fidei propriè tales, ab omnibus explicitè sciri, & credi necesse est; ergo non omnes &c.

XIII. Neque juvat, si dicas, nulla est fidei veritas, quam quisque fidelis non teneatur credere sub pęna hæresis; ergo nulla est fidei veritas, quæ non sit articulus fidei propriè dictus.

Nam respondeo ex dictis negando conseq.: ut enim veritas fidei sit articulus fidei

fidei propriè talis. satis non est, ut fidelis quisque teneatur illam eredere sub pœnâ hæresis, sed requiritur ulteriùs, ut sit veritas fidei principalis, explicitè credenda, & specialem addens difficultatem in credendo, nec possit reduci ad fidei articulum aliquem; quod non convenit omnibus, & singulis veritatibus, ut dictum est; quare claritatis gratiâ distinguo consequens: sit articulus fidei, vel reducatur ad aliquem fidei articulum; eo: consequentiam: constituendo specialem fidei articulum; Nego consequentiam. Istę enim veritates, quòd Christus pannis fuerit involutus, quòd fuerit in Præsepio positus, quòd octavo die fuerit circumcisus, quòd fuerit adoratus à Magis, quòd Magi apertis Thesauris, aurum, thus, & mirrham ei obtulerint, omniaque in Evangelio contenta, concernentia Nativitatem, prout ibi relata, sunt veritates fidei; sed nunquid hæ constituunt speciales articulos? nequaquam. Omnes quippe reducuntur ad articulum de Christi Nativitate. Idem de singulis dicito, quæ in Scripturis narrata, & prout ibi dicta fide divinâ credenda, nec tamen articuli fidei dicenda sunt. Imò in Sacrâ Scripturâ multa continentur, quæ nec pertinent ad Religionem, nec ad Doctrinam Christi. *Genesis* enim 6. v. 15. dicitur de Arcâ, *trecentorum cubitorum erit longitudo Arcæ, quinquaginta cubitorum latitudo, & triginta cubitorum altitudo illius. Jo: cap.* 2. v. 6., quòd Hydriæ lapideæ, positæ in Nuptiis Canæ, fuerint *capientes singula metretas binas, vel ternas.* 4. *Reg. c.* 6. v. 25.: quòd in obsidione Samariæ tanta fuerit olim ciborum penuria, ut *quarta pars cabi stercoris columbarum quinque argenteis venundaretur*, aliaque similia, ut de Cane Tobię caudâ plaudente, *Tobiæ c.* 11. v. 9.: de Penulâ D. Pauli relictâ Troade, quam ut ad se afferret scripsit Timotheo 2. *ad Timoth. c.* 4. v. 13. Quare cum D. Th. 2. p. *quaest.* 32. *art.* 4. *in Corp.* dicendum est, *ad fidem pertinere* posse aliquid dupliciter, videlicet directè, & indirectè. Ea ad fidem directè pertinere dicuntur, *quæ nobis sunt principaliter divinitùs tradita, ut Deum esse trinum, & unum, Filium Dei esse incarnatum, & hujusmodi .... indirectè verò ad fidem pertinent ea, ex quibus negatio consequitur aliquid contrarium fidei; sicut si quis diceret, Samuelem non fuisse filium Helcanæ, ex hoc enim sequitur, Scripturam Divinam esse falsam.*

XIV. Concludit ergo idem S. Doctor 2. 2. qu. 1. art. 8. *in corp. quòd, sicut dictum est, illa per se pertinent ad fidem, quorum visione in vitâ æternâ perfruemur, & per quæ ducemur ad vitam æternam. Duo autem nobis videnda proponuntur, scilicet occultum divinitatis, cujus visio nos beatos facit; & mysterium humanitatis Christi, per quod in gloriam Filiorum Dei accessum habemus, ut dicitur Rom.* 5. *Unde dicitur Joa.* 17. hæc est vita æterna, ut cognoscant te Deum verum, & quem misisti Jesum Christum. *Et ideò prima distinctio credibilium est, quòd quædam pertinent ad Majestatem Divinitatis, quædam verò pertinent ad Mysterium Humanitatis Christi, quod est* pietatis Sacramentum, *ut dicitur* 1. *ad Timoth.* 4. Articuli ergo fidei primò dividuntur in articulos pertinentes ad divinitatem, & articulos pertinentes ad Incarnationem, seu Christi humanitatem.

XV. Prosequitur deinde S. Doctor. *Circa majestatem autem divinitatis tria nobis credenda proponuntur. Primò quidem unitas divinitatis; & ad hoc pertinet primus articulus. Secundò, Trinitas Personarum; & de hoc sunt tres articuli secundùm tres Personas. Tertiò verò proponuntur nobis opera divinitatis propria, quorum primum pertinet ad esse naturæ; & sic proponitur nobis articulus creationis. Secundum verò pertinet ad esse gratiæ; & sic proponuntur nobis sub uno articulo omnia pertinentia ad sanctificationem humanam. Tertium verò pertinet ad esse gloriæ: & sic proponitur nobis alius articulus de Resurrectione Carnis, & de Vitâ Æternâ; & ità sunt septem articuli ad Divinitatem pertinentes.*

XVI. *Similiter etiam circa humanitatem Christi ponuntur septem articuli. Quorum primus est de Incarnatione, sive de Conceptione Christi. Secundus de Nativitate ejus ex Virgine. Tertius de Passione*

sione ejus, & Morte, & Sepultura. Qartus est de descensu ad Inferos. Quintus est de Resurrectione. Sextus de Ascensione. Septimus de ad adventu ad Judicium. Et sic in universum sunt quatuordecim.

Addit tamen, *quòd quidam distinguunt duodecim Articulos Fidei, sex pertinentes ad Divinitatem, & sex pertinentes ad Humanitatem. Tres enim articulos trium Personarum comprehendunt sub uno: quia eadem est cognitio trium Personarum, Articulum verò de opere glorificationis distinguunt in duos, scilicet, resurrectionem carnis, & gloriam animæ. Similiter articulum Conceptionis, & Nativitatis conjungunt in unum.*

XVII. Quia verò dubitari poterat, Sacramentum Eucharistiæ, quia habet specialem difficultatem præ multis articulis, specialem articulum constituere, respondet ad 6. *Quòd in Sacramento Eucharistia duo possunt considerari. Unum scilicet quod Sacramentum est: & hoc habet eandem rationem cum aliis effectibus gratia sanctificantis. Aliud est, quòd miraculosè ibi Corpus Christi continetur, & sic concluditur sub omnipotentia, sicut & omnia alia miracula, qua omnipotentia attribuuntur.*

QUÆSTIO II.

De natura Theolog.

DE existentia, utilitate, necessitate Theologię, & aliis, quæ visa sunt opportuna, pro primo ad eam ingressu, in præcedenti quæstione actum est. Nunc de ejus natura, & proprietatibus instituendus erit sermo, nimirùm; an sit scientia, & qualis; an subalternata Scientiæ Dei, & Beatorum: an entitativè naturalis, vel supernaturalis; an practica; quodnam sit ejus objectum; aliaque ad perfectam naturæ, & proprietatum Theologiæ intelligentiam necessaria.

DUBIUM I.

An Theologia sit verè scientia.

§. I.

Quædam prænotantur.

I. DUbium præsens non excitatur de Theologia, quasi secundum se, & objectivè sumta. Hic enim certò certiùs judico, eam esse scientiam, cum habeat principia certò, & evidenter cognoscibilia, nimirùm divinas veritates, ex quibus sunt deducibiles per necessariam illationem necessariæ, & evidentes conclusiones; Qui modus objectivus procedendi est proprius modus scientiæ. Insuper Theologia est unus ex habitibus, imò & virtutibus intellectualibus; virtutes autem intellectuales ex Aristot. *6. Ethic. cap. 4.*, & D. Thom. 1. 2. *qu.* 57. quinque tantùm sunt, videlicet intelligentia, sapientia, scientia, prudentia, & ars. Intelligentia versatur circa prima principia, & quidem absque discursu. Hinc ista duo, *quodlibet est, vel non est, bonum est amandum, malum est fugiendum*, sunt objectum intelligentiæ. Sapientia agit de rebus, non per proximas earum causas, sed per altiores, & universales: sic sapiens dicitur Legislator, qui in ferendis legibus procedit respiciens ad causas altiores, & universales, nempe bonum, & tranquillitatem Reipublicæ, potiùs quàm ad privatum bonum, & commodum hujus, vel illius personæ. Scientia vero (ut à Philosophis definitur) est habitus certus, & evidens per demonstrationem acquisitus, seu procedens ex causis proximis. Prudentia verò agit circa ea disponenda, quæ hìc, & nunc, seu in particularibus circumstantiis agenda sunt; an scilicet in præsenti rerum statu bellum in hostes movendum sit, an paci studendum. Ars tandem versatur circa factibilia, seu circa opera, quę per potentias externas, manus, pedes, fieri solent. Atqui Theologia secundùm se spectata non est intelligentia: non enim versatur circa prima principia immedia-

tè. Non est prudentia, cum non tractet de ordinandis iis, quæ in particularibus circumstantiis agenda sunt. Multò minus est ars, quia non versatur circa factibilia per externas potentias; ergo erit, vel scientia, vel sapientia.

Nec refert, quòd agat de singularibus. Nam per se agit de Deo, qui singularis quidem est, sed summè necessarius. Intantum autem habitus, qui per se versatur circa singularia, scientificus esse non potest, quia hæc, cùm in continuo fluxu, & contingentiâ sint, certam sui cognitionem fundare non possunt, ut ad scientiam requiritur. Licèt autem agat etiam de singularibus præter Deum, de iis agit, inquit D. Thom. hâc *qu.* 1. *art.* 2. *ad* 2. *non quia de eis principaliter tractetur, sed introducuntur, tum in exemplum vitæ, sicut in scientiis moralibus; tum etiam ad declarandum auctoritatem virorum, per quos ad nos revelatio divina processit, super quam fundatur Sacra Scriptura, seu Doctrina*.

II. Dubium ergo procedit de Theologia ex parte subjecti, seu prout est in tali, vel tali subjecto, an verè possideat conditionem, & naturam scientię. Potest autem Theologia reperiri in duplici subjecto; vel in Beato, sive Angelo, sive Homine, vel in Viatore. Et quidem Theologiam prout in Beato esse scientiam, extra controversiam esse debet, quia beatus ex principiis clarè, & certò visis in verbo, (quæ nos viatores credimus) alia necessariò concludit; quare beato tum conclusiones, tum earum principia sunt certò, ac evidenter cognita. Quęstio tota reducitur ad Theologiam, prout in nobis viatoribus est: Cum illi desit actualis evidentia, seu cognitio evidens principiorum, quæ, cum sint articuli fidei, à nobis non videntur, sed fide divinâ creduntur. Fides autem, cùm sit argumentum non apparentium, est de non visis.

III. Scotus, quem refert, & sequitur Frassen *disput.* 2. *proœm. art.* 2. *qu.* 2. negat, Theologiam Viatorum esse verè, & propriè scientiam, eo quòd desit illi actualis evidentia, tum principiorum, tum conclusionum, quam dicit esse conditionem necessariam ad substantiam scientiæ. Thomistæ verò cum D. Thoma hac *quæst.* 1. *art.* 2., & in 1. *sent. ad Annibald.* Censent, Theologiam Viatorum esse propriè quoad substantiam scientiam, esto non habeat omnem perfectionem accidentalem, quam petit habere. Supponunt enim quòd, sicut homo, dum est adhuc puer, est quidem verè, ac substantialiter homo, sed nondum pervenit ad statum perfectum, in quo erit, dum fiet adultus: ita Theologia, dum est in Viatore, qui nondum videt, sed solùm credit, existat verè, & substantialiter scientia, nondum tamen habeat statum perfectum scientiæ, quem habebit, dum erit in Beato. His adhæret Henno, etsi Scotista *disput. proœm. q.* 2. *conclus.* 2.

§. II.

Conclusio.

IX. Dico. Theologia in Viatore est verè, & substantialiter scientia, licèt non habeat statum perfectum, quem habet in Beato. Prima pars probatur primò ex D. Augustin. *lib.* 14. *de Trinit. c.* 1., ubi postquam dixit, Theogiâ fidem saluberrimam, quæ ad veram beatitudinem ducit, gigni, nutriri, defendi, roborari, subdit: *quâ scientiâ non pollent fideles plurimi, quamvis polleant ipsâ fide plurimùm*. Hinc *Jeremiæ* 3. *v.* 15. appellatur scientia his verbis: *Dabo vobis Pastores juxta cor meum, & pascent vos scientiâ, & doctrinâ. Sapient.* 10. *v.* 10. *Dedit illi scientiam Sanctorum*. Et 2. *Petri* 1. *v.* 5. *Ministrate in fide vestra virtutem, in virtute autem scientiam*.

V. Accedunt, & rationes. Prima, nam Theologia, ut in Viatore, est verè, & propriè virtus intellectualis, quia facit eum firmiter adhærere vero: cum ergo, ut vidimus, nec sit intelligentia, neque prudentia, neque ars, si non est scientia, aut sapientia, quid erit? Dicere enim, esse habitum quemdam innominatum, medium inter scientiam, & fidem, ut (teste Gonet) dicunt Valentia, & Vasquez, quo fundamento asseritur?

VI.

VI. Secunda. Cum ſcientia ſit cognitio rei per cauſam, & quoniam illius eſt cauſa; ut aliquis ſit verè ſciens, debet certò cognoſcere cauſam, certò cognoſcere effectum, & certò cognoſcere, illam eſſe cauſam talis eſſe ctus, ſeu effectum illum procedere à tali cauſa: ſed Viator Theologus habet ſummam certitudinem de cauſis, nempe veritatibus revelatis, quas credit fide divinâ, habet ſummam certitudinem de concluſionibus, quas ex illis deducit: ſcit etiam certò, imò evidenter, illas concluſiones ex illis principiis deduci certò, & evidenter; unde eſto non habeat evidentiam conſequentis, neque antecedentis, habet tamen evidentiam conſequentiæ; ergo Theologus Viator certò cognoſcit rem per cauſam: ergo eſt verè ſciens.

Totum hoc confirmo hoc ratiocinio: Ad ſcientiam propriè dictam tria requiruntur. 1. Ut per illam homo habeat certitudinem de veritate principiorum. 2. De veritate concluſionum. 3. Quòd habeat evidentiam conſequentiæ, ſeu connexionis, quam concluſiones habent cum ſuis principiis; Atqui hæc tria præſtat Theologia Viatoribus, ergo in eis eſt vera ſcientia.

Si dices, requiri ad veram ſcientiam etiam evidentiam principiorum.

VII. Contra eſt: 1. Eſto ſcientia ſubalternans debeat procedere ex principiis à ſe evidenter notis, ſcientia tamen ſubalternata procedit ex principiis evidenter manifeſtatis in ſcientia ſuperiori, à qua ea accipit, & cui credit; ſed Theologia eſt ſcientia aliquomodo ſubalternata ſcientiæ Dei, & Beatorum; ergo non requiritur, ut habeat evidentiam ſuorum principiorum, ſed ſufficit, ut illa credat, & ſupponat evidenter cognita à ſcientia Dei, & Beatorum. Hac ratione utitur S. Thom. hîc *1. p. q. 1. art. 2.*

VIII. Contra 2. In ſcientiis merè humanis ideo requiritur evidentia principiorum, quia oportet ſcientem eſſe certum, ac prorſus immutabilem, quemadmodum dicitur *lib. 1. Poſt. cap. 2.* in ejuſmodi autem ſcientiis talis certitudo immobilis haberi non poteſt, niſi principia evidenter cognoſcantur; neque hoc ſuppleri poteſt per teſtimonium afferens, ea eſſe evidenter cognita in ſcientia ſuperiori, quia hoc teſtimonium, utpote humanum, fallibile eſt: ſed Theologus abſque evidentia habere poteſt certitudinem immobilem ſuorum principiorum per teſtimonium divinum; quod ipsâ evidentiâ certiùs eſt, cùm, nec falleré poſſit, nec falli; ergo Theologiâ etiam in eo, in quo deeſt evidentia principiorum, habet quidquid requiritur ad characterem, & ſubſtantiam ſcientiæ.

Confirmo hoc ex Philoſopho ſupra citato, ubi ſignificat, ſufficere ad ſcientiam, quòd principia ejus teneamus ſcientiâ, vel meliore habitu: atqui Theologus viator eſto non teneat principia Theologiæ per ſcientiam, quia non habet de illis evidentiam, ea tamen tenet meliore habitu, quia ea tenet per fidem divinam, quæ eſt melior, ac certior habitus, quàm intellectus principiorum, & per illam ſumus magis immobiles in cognitione, quàm per iſtum, & per quamcumque evidentiam naturalem, ut patet *2. 2. qu. 4. art. 8.*, ergo poteſt ex illis ſic cognitis deducere concluſionem ſcientificam: ſicut enim certitudinem in aliis ſcientiis generat evidentia, ità in hâc eandem, imò, & majorem, cauſat auctoritas divina. Evidentiæ igitur defectum, qui in Theologia noſtra reperitur, Deus nobis compenſat majori certitudine, quæ eſt in principiis, & concluſionibus Theologiæ propriis. Secunda vero pars noſtri aſſerti conſtat. Nemo enim eſt, qui ambigat, quin Theologia perfectiorem ſtatum habeat in eo ſubjecto, in quo cum certitudine conjunctam habet evidentiam ſuorum principiorum, & concluſionum, quàm in eo in quo habet certitudinem ſine evidentiâ atqui in Viatore habet certitudinem ſine evidentiâ, in Beato autem certitudinem habet, & evidentiam; ergo in Viatore eſt Theologia in ſtatu minus perfecto, quàm in Beato. Videri poteſt de hac quæſt. Gonet *diſput. proœm. art. 1.* Juenin. *Inſtit. Theol. Prolegomen. diſſer. 3. qu. 1. cap. 1.* Bancel *qu. 2. art. 3.* Contenſon. *diſſert. 1. cap. 1. ſpeculatione 2.* Sylvius *ad quæſt. 1.* D. Thom. *art. 2.*

§. III.

Objectiones contrariæ.

IX. OBjiciunt 1. D. Thom. in 3. *dist.* 33. *q.* 1. *art.* 2. *quæstiunc.* 4. dicentem, *si autem esset aliqua scientia, quæ non posset reduci ad principia naturaliter cognita, non esset ejusdem speciei cum aliis scientiis, neque univocè scientia diceretur.* Sed Theologia non resolvit suas conclusiones in principia naturaliter cognita, ut dictum est; ergo non est propriè, & univocè scientia.

Respondetur, explicando ultima verba Divi Thomæ, neque univocè scientia diceretur per excessum super alias scientias co: per defectum à vera ratione scientiæ, nego majorem. Et concessa minori nego consequent. Eodem enim modo loquitur D. Thomas ibi de scientia supernaturali comparatè ad scientias naturales, sicut de virtutibus infusis, de quibus ibi agit, comparatè ad virtutes acquisitas; sicut ergo virtutes infusę veræ virtutes sunt, licèt non conveniant univocè, ideſt in eâdem ratione cum virtutibus acquisitis, quia excellentiores istis sunt: ità scientia supernaturalis erit vera scientia, licèt non conveniat in eâdem ratione, sed altiore modo procedat, quàm scientię merè naturales. Quòd autem hæc sit mens S. Doctoris indicant verba ejus sequentia, addit enim: *Unde cum fines virtutum infusarum non præexistant in seminariis naturalibus virtutum, sed naturam humanam excedant; oportet, quòd virtutes infusæ, à virtutibus acquisitis, quę ab illis seminariis procedunt, differant specie.* Hinc ergo sequitur solum, Theologiam esse altiorem, & digniorem aliis scientiis naturalibus, quod ostendit S. D. hac 1. *p. quæst.* 1. *art.* 5., tum propter certitudinem, *quia alia scientia certitudinem habent ex naturali lumine rationis humanæ, quæ potest errare, hæc autem certitudinem habet ex lumine divinæ scientiæ, quę decipi non potest.* Tum propter dignitatem materiæ, *quia est principaliter de his, quę suâ altitudine rationem transcendunt.*

X. Objicies 2. habitus, qui de suo subjecto non potest facere veras demonstrationes à priori, non est verè scientificus; sed Theologia de suo subjecto, quod est Deus, non potest facere veras demonstrationes à priori, ut enim docet D. Thom. 1. *contrag. cap.* 25. *sicut Deus definiri non potest, quia omnis definitio est ex genere, & differentiis, ita non potest demonstratio de ipso fieri, nisi per effectum, quia principium demonstrationis est definitio ejusdem, de quo fit demonstratio.* Quod repetit hîc 1. *p. qu.* 3. *ar.* 5. *in corp.*

Respondeo, distinguendo min. de suo objecto, quod est Deus, adæquatè sumto, conc. min. inadęquatè sumto, subdistinguo: demonstrationem per verum, & reale medium, conc. minorem; per medium virtuale nego min. De Deo igitur adęquatè sumto non potest fieri demonstratio à priori, sed solùm per effectus, quia, ut ait D. Thom. 1. *p. q.* 3. *ar.* 5. in argumento, sed contra, *nihil est prius Deo, nec secundùm rem, nec secundùm intellectum.* Cognito tamen Deo per effectus, nihil prohibet, quin concipientes ipsum inadęquatè, concipiamus in ipso naturam, & essentiam, ut priorem virtualiter attributis, unum attributum, ut virtualiter prius alio, & sic possimus assumere naturam Dei, non ut verum medium, sed ut rationem à priori ad demonstanda de Deo attributa, & unum attributum de alio, & tales sunt demonstrationes Theologicæ. Addo; hoc argumentum probare, neque Theologiam Beatorum fore scientiam; imò nec Deum habere scientiam de se ipso.

XI. Objiciunt 3. Frassen, aliique. Perfecta demonstratio debet fieri nedum ex certa, sed evidenti cognitione principiorum; sed Theologus caret evidentiâ principiorum, ex quibus suas conclusiones deducat; ergo non facit perfectas demonstrationes; ergo non est perfectè sciens.

Urgent 1. Nullus, nisi stolidus, aut protervus dissentire potest propositioni perfectè demonstratæ; sed conclusionibus Theologicis plures dissentiunt, ut constat de hæreticis, & infidelibus, qui rident omnes rationes Theologicas, quibus Mysteria Fidei suadere nitimur; Ergo signum est, eas non esse perfectè demonstratas.

XII.

XII. Urgent 2. Nulla abhæsio voluntaria est scientifica, scientia enim necessitat intellectum ad assentiendum, ut Logici docent, sed Theologus voluntariè suspendit assensum suum, tam circa principia credita, seu articulos fidei (*credere enim est in potestate nostra*, inquit Augustin. *lib. de spiritu, & littera cap.* 31.) quàm circa conclusionem ipsam; ergo talis assensus non est scientificus.

XIII. Urgent 3. Ille non est perfectè sciens, qui assentitur conclusioni magis propter auctoritatem, & veracitatem revelantis, quàm propter legitimam illationem conclusionis ex præmissis; sed Theologus experitur, se magis assentiri conclusioni ob infallibilem auctoritatem Dei dicentis, quam ob legitimam illationem ex præmissis; ergo &c. Minor probatur. Theologus firmiùs, & tenaciùs adhæret conclusioni Theologicæ, quàm cuilibet conclusioni Philosophicæ; sed hoc non est ob perfectiorem illationem syllogisticam, quæ in utrâque est æqualis; ergo est, quia firmiùs innititur auctoritati Dei revelantis præmissas conclusionis Theologicæ, quàm lumini naturali manifestanti principia conclusionis Philosophicæ; ergo magis assentitur ob auctoritatem, quàm ob illationem.

XIV. Urgent 4. Notitia Theologica caret perfecto, & præcipuo charactere scientiæ, nimirùm evidentiâ; definitur enim, quòd sit cognitio certa, & evidens; quia sicut per certitudinem distinguitur ab opinione, sic per evidentiam essentialiter discrepat à Fide, tum divinâ, tum humanâ. Imò certitudo nascitur ex evidentiâ; ideo enim intellectus conclusioni firmum assensum præbet, quia conspicit, eam evidenter deduci ex principiis evidentibus, cùm evidentia conclusionis oriatur ex evidentia principiorum, sicut effectus à sua causa; ergo notitia Theologica caret &c.

XV. Respondetur ad hæc omnia, quæ sunt præcipuum Frassenii, & aliorum fundamentum, dist. majo.: perfecta demonstratio, perfectione, tum essentiali, tum accidentali, debet fieri &c., conc. majorem; Perfecta &c. perfectione purè essentiali: iterum distinguo: Si sit demonstratio purè Philosophica, transeat maj.: si sit demonstratio Theologica, neg. maj. Dato ergo, quòd ad essentiam demonstrationis purè Philosophicæ requiratur evidentia principiorum, quia sine evidentia eorum non potest intellectus firmiter certificari de illis, ut dictum est: In demonstratione tamen Theologica, evidentia requiritur quidem ad ejus accidentalem perfectionem, qualem habebit in beatis, non tamen ad ejus essentiam, quia auctoritas Dei revelantis illa principia facit, ut intellectus illis firmiter, imò firmiùs assentiatur, quàm si illa videret: quia, ut supra dicebam cum D. Thom. 1. *p. q.* 1. *art.* 5. *in corp.*, lumen rationis humanæ potest errare, lumen verò Divinæ Scientiæ decipi non potest. Quod repetit *articul.* 8. *ad* 2.

XVI. Ad id, quod primò urgent, distinguo majo. nullus, qui assentiatur præmissis, & cognoscat connexionem earum cum conclusione, dissentire potest &c. conc. majo. nullus, qui, vel non assentiatur præmissis, vel non penetret connexionem earum cum conclusione, potest; nego majo., & similiter ad min. Quòd enim infidelis, aut hæreticus rideat rationes Theologicas, hoc ideo est, vel quia non vult assentiri præmissæ, ut à Deo revelatæ, vel quia non cognoscit connexionem ejus cum conclusione. Cæterum qui assensum præstat præmissæ, & connexionem illius cum conclusione penetrat, conclusioni dissentire nequit. *Nihil* autem *prohibet* (ait D. Thom. *ar.* 5. *ad primum*) *id, quod est certius secundùm naturam, esse quoad nos minus certum debilitate intellectus nostri .... Unde dubitatio, quæ accidit in aliquibus circa Articulos Fidei, non est propter incertitudinem rei, sed propter debilitatem intellectus humani.*

XVII. Ad id, quod urgent secundò, nego min. quoad secundam partem. Licèt enim assensus præmissis sit voluntarius, supposito tamen, quòd Theologus dederit assensum præmissis, & evidenter cognoscat, conclusionem ex illis præmissis necessariò inferri, non potest suspendere assensum circa conclusionem; quòd si suspendit, signum est, eum non penetrare connexionem præmissarum cum con-

conclusione, ut docent Logici.

XVIII. Ad id, quod tertiò urgent. Dico primò, hanc instantiam, quæ est Frassenii, destruere ejus secundam conclusionem, quâ ait: *Theologiam nostram posse dici scientiam, quatenùs scientia dicitur cognitio certa de objecto necessario, & infallibili, & per legitimum discursum genita, non verò prout etiam objecti evidentiam desiderat.* Si enim Theologus magis, ideſt *potiùs*, & immediatè assentitur conclusioni ob auctoritatem Dei revelantis, ita ut motivum assentiendi formale, & proximum sit Dei auctoritas, & non illatio, nullo modo erit sciens (neque etiam ut scientia est cognitio certa absque evidentia) sed unicè credens. Deinde modus iste arguendi destruit omnem scientiam. Si enim qui non videt principia, sed ea credit, assentitur conclusioni ob auctoritatem dicentis magis, quàm ob legitimam illationem, & ideò non est sciens, pariter qui videt principia, assentietur conclusioni ob evidentiam principiorum magis, quàm ob legitimam illationem: & sicut quò firmior est auctoritas dicentis, eò firmiùs adhæret conclusioni; ità quò major erit evidentia principiorum, eò tenaciùs adhærebit conclusioni, non propter perfectiorem illationem, quæ in omnibus demonstrationibus est æqualis, sed quia firmiori evidentiâ assentitur principiis: ergo si propter primum, discursus Theologicus non est scientificus, propter secundum nullus discursus etiam evidens erit scientificus.

XIX. Respondeo ergo distinguendo majo. Propter auctoritatem, quæ sit causa immediata, & formale motivum assensus, conc. maj. propter auctoritatem, quæ sit causa solùm mediata assensus, nego maj.: & eodem modo distinguo min.. Auctoritas Dei revelantis est quidem causa immediata, & formale motivum, cur Theologus assentiatur præmissæ de fide, sed causa immediata, & formale motivum, cur assentiatur conclusioni ex illa illatæ, est necessaria connexio, quam habet conclusio cum illa præmissa. Sicut evidentia, quam habet aliquis, & quâ assentitur præmissæ evidenti, non est ratio immediata, & formalis, cur assentiatur conclusioni ex illa illatæ, quia præmissæ assentitur per lumen primorum principiorum; conclusioni verò per lumen scientiæ. Ex quo autem Theologus firmiùs adhæreat conclusioni Theologicæ, quam cuilibet conclusioni Philosophicæ, solùm sequitur, quod auctoritas Dei dicentis mediatè, & virtualiter concurrens ad assensum conclusionis, influat in eam majorem certitudinem, quia (ut docent Logici) certitudo præmissarum influit certitudinem in conclusionem, & quò assensus præmissarum est certior, eò certior sit assensus conclusionis ex tali assensu deductæ.

XX. Ad id, quod quartò urgent, nego maj. si loquatur de charactere essentiali, & specifico scientiæ: concedendo autem illam, si loquatur de charactere accidentali, & proprio scientiæ habentis in subjecto suum statum perfectum. Ideo autem Philosophus definivit scientiam, quòd sit cognitio certa, & evidens, quia loquebatur de scientia deducta ex principiis naturalibus, quam solam ipse noverat, quæ non potest habere certitudinem immobilem de suis principiis, nisi per evidentiam; Quod non valet de scientia procedente ex revelatis à Deo; hæc enim majorem certitudinem habere potest de suis principiis, etsi ea non videat, propter auctoritatem Dei revelantis. Quare scientia non eodem modo petit evidentiam, ac certitudinem: certitudinem enim petit propter se, evidentiam autem propter certitudinem; & ideo si aliundè possit habere certitudinem, quàm ex evidentiâ, stat scientia sine evidentiâ. Scientia autem sine evidentiâ adhuc essentialiter discrepabit à fide. Tum quia fides essentialiter excludit evidentiam: hanc autem scientia essentialiter non excludit, quamvis possit sine eâ esse, sic Theologia licet in Viatore stet sine evidentia, in Beato tamen stabit cum evidentia, in quo tamen non stabit fides. Quare fides est essentialiter obscura, Theologia autem est obscura solùm permissivè, & ratione subjecti, & status. Neque valet: Fides est obscura, Theologia est obscura; ergo Theologia, & fides non discrepant. Sineu-

cut non valet: homo est animal; equus est animal; ergo homo non discrepat ab equo; quia alio modo est obscura fides, alio modo Theologia; undè medium in neutrâ præmissâ distribuitur. Tum etiam, quia Theologia est discursiva, fides autem non. Distingui etiam potest aliter maj., quòd character scientiæ sit evidentia consequentiæ, conc. evidentia antecedentis, vel consequentis nego maj.. Theologia autem, esto non habeat evidentiam de antecedente, vel de consequente in se, habet evidentiam, & clarè videt, illud consequens connecti, sequi, & inferri ex illo antecedente: & sic licèt careat evidentiâ antecedentis, & consequentis materialiter, ut in se sunt; habet tamen evidentiam de consequente, ut illato, & de antecedente, ut illativo.

Ex dictis infero 1., quòd esto in multorum opinione scientia subalternata naturalis, in eo, qui caret scientiâ subalternante, non sit vera quoad substantiam scientia; Hoc ideò non est, quia praecisè in eo subjecto careat evidentiâ principiorum, sed quia, cum careat evidentiâ, & debeat niti testimonio humano attestanti, illa principia esse probata in scientiâ superiori, quod testimonium est fallibile, consequenter caret etiam certitudine necessariâ ad scientiam. At Theologia Viatoris, esto careat evidentiâ principiorum, non caret tamen, imò majori gaudet certitudine ob testimonium Dei infallibile illa revelans.

Infero 2., quòd licèt fides, & scientia non possit de eadem veritate reperiri in eodem subjecto, quando scientia clara, & evidens est, non tamen, quando scientia, in subjecto, in quo est, evidentiam, & claritatem de re demonstratâ non afferat: cumque talis sit Theologia in Viatore, ideo Viator eandem veritatem potest, & credere, & Theologicè scire, ac demonstrare.



DUBIUM II.

An nostra Theologia subalternetur scientiæ Dei, & Beatorum, & an maneat in Patriâ.

§. I.

Resolvitur primum Dubium.

Occasionem huic dubio dat D. Thomas in hoc articulo 2. cum enim doceat, Theologiam nostram procedere ex principiis notis lumine superioris scientiæ, sicut musica procedit ex principiis per Arithmeticam manifestatis; ideò jure dubitatur, an, sicut musica subalternatur Arithmeticæ, sic nostra Theologia subalternetur scientiæ Dei, & Beatorum, in quâ clarè manifestantur principia, quæ Theologia nostra credit.

I. Dico. Si loquamur de subalternatione scientiarum, quemadmodum loquuntur Philosophi, Theologia nostra non propriè subalternatur scientiæ Dei, & Beatorum. Est probabilior etiam apud Scotistas, & probatur. Nam ad scientiam propriè subalternatam duo saltem necessaria sunt. Prius, quòd sint diversa principia scientię subalternatæ, & subalternantis: ita scilicet, ut quæ in subalternatâ principia sunt, sint conclusiones in scientiâ subalternante, ratione cujus illa dicitur incipere, ubi ista desinit. Posterius, ut objectum scientię subalternatæ addat supra objectum subalternantis aliquam differentiam accidentalem, ratione cujus fundet speciales proprietates demonstrabiles, quomodò musica, quę considerat numerum sonorum, addit supra objectum Arithmeticæ, quod est numerus, differentiam accidentalem sonoreitatis, ex quâ oriuntur speciales proprietatis per musicam demonstrabiles.

Atqui neutrum horum verificatur inter Theologiam nostram, & Theologiam Beatorum, utriusque enim eadem sunt principia, & idem prorsùs objectum, eædemque conclusiones, cum hoc solo discrimine, quòd ea, quæ à nobis cognoscuntur obscurè, à Beatis tàm principia, quàm conclusiones, quàm objectum

ctum ipsum congnoscuntur clarè, sive quia ea omnia vident in verbo, vel per revelationem claram. Ergo Theologia nostra propriè non subalternatur scientiç Dei, & Beatorum. Neque objectum Theologiæ nostræ ullam accidentalem differentiam addit supra objectum Theologiæ, & scientiæ Dei, & Beatorum.

II. Si verò loquamur de subalternatione non secundum rigorem philosophicum, sed impropriè, & secundùm quandam similitudinem, non incongruè dici poterit, Theologiam nostram esse subalternatam scientiæ Dei, & Beatorum, quia est inferior illa, quia procedit per principia clarè in illâ manifestata, & quia ordinatur ad consequendum eum finem, quem beati sunt jam consecuti; & D. Thomas dum Theologiam nostram assimilat musicæ, solùm intendit, quòd sicut musica est inferior, & *procedit ex principiis manifestatis in* Arithmetica, ità & Theologia nostra inferior sit, & *procedat ex principiis notis lumine superioris scientiæ, quæ scilicèt est scientia Dei, & Beatorum, & quòd sicut musica credit principia tradita sibi ab Arithmetico, ita Doctrina Sacra credit principia revelata sibi à Deo.* Hoc tamen ad rigorosam, & philosophicam subalternationem non sufficere, jam dictum est.

§. II.

Resolvitur secunda Pars.

III. Dico. Theologia hìc acquisita manebit in Patriâ. Est hæc assertio menti D. Thom. conformior, ut benè notat Sylvius *quæst. 1. ad art. 2. quæsito 2.* nam S. Thomas 1. *part. quæst.* 89. *artic.* 5. resolvens, habitum scientiæ manere in animâ separatâ; & *ar.* 6. docens, in eâdem animâ manere actus scientiæ hìc acquisitæ, comprehendit etiam scientiam rerum divinarum; unde ad primum argumentum ex Apostolo 1. *Corinth.* 13. *v.* 8. *scientia destruetur* respondet, Apostolum non loqui de scientia quantùm ad habitum, sed quantùm ad actum, seu modum actus, quia scilicèt neque phantasmata remanent destructo corpore, neque est usus scientiæ per conversionem ad phantasmata. Et *qu.* 20. *de veritate art.* 3. *ad* 1. generaliter docet, quòd scientia hìc acquisita remaneat, quoad essentiam habitus, sed tollatur modus, quo hìc scientiâ utimur, quod repetit in *c.* 13. *prioris ad Cor.*

IV. Probatur verò sic. Theologia nostra comparatur ad scientiam Beatorum, sicut musica ad arithmeticam, quia sicut musica procedit ex principiis ab arithmeticâ manifestatis; ità nostra Theologia procedit ex principiis in scientiâ Beatorum manifestatis: & sicut musica in eo, qui non habet arithmeticam, obscurè tantùm cognoscit sua principia, ità Theologia in Viatore cognoscit sua principia per lumen obscurum fidei: sed musicus, si fiat arithmeticus non amittit musicam, quam priùs habebat, sed eam perficit: ergo Viator, dum evadit Beatus, non amittit Theologiam, quam prius habebat, sed illam perficit per visionem claram eorum, quæ prius obscurè solùm cognoscebat. Quia sicut obscuritas conveniebat musicæ non per se, sed per accidens, & ratione subjecti, ità obscuritas non convenit Theologiæ per se, sed tantùm per accidens, & ratione subjecti, quia scilicet erat in Viatore, ut patebit clariùs, dum contraria momenta solvemus.

Confirmo. S. Hieronymus *epist. ad Paulinum*. adhortans eum ad studium Sacræ Scripturæ: *discamus* (inquit) *in terris, quorum nobis scientia perseveret in Cælis.* Et Sanctus Chrysostom. *in cap.* 13. 1. *ad Cor. non abolebitur* (ait) *scientia, sed desinet esse non perfecta.* Ergo in Sancto Viatore, dum fiet Beatus, non abolebitur, sed perseverabit, & solùm definet esse non perfecta scientia, quàm hìc in terris comparavit, quia per eadem principia easdem veritates, quas hìc cognoscit lumine per accidens obscuro, ibi lumine claro cognoscet.

§. III.

Argumenta contraria.

V. Objicit 1. Franssenius cum aliis. Paulus 1. *ad Cor. cap.* 13. *v.* 8. cum dixisset *charitas nusquam excidit*, sub-

subjungit, *sive prophetiæ evacuabuntur, sive linguæ cessabunt, sive scientia destruetur*. Ex quibus sic arguit. Scientia, quam in Patria destruendam indicat Apostolus, est Theologia hîc acquisita, eam enim scientiam dicit esse destruendam, de quâ prius *v.* 2. locutus dixerat: *Si habuero prophetiam, & noverim mysteria omnia, & omnem scientiam*. Scientia autem, quæ versatur circa mysteria, & ex eis eruit conclusiones, scientia Theologica est: ergo hæc in patriâ destruetur.

Si dixeris, Apostolum velle scientiam fore destruendam, non quidem quantùm ad substantiam, & quoad habitum, sed solùm quantùm ad statum, nimirùm obscuritatis, & inevidentiæ, & quantùm ad actum, qui non amplius erit per conversionem ad phantasmata.

VI. Contra urget. Hujusmodi expositio menti Apostoli contraria est; 1. Quia Apostolus absolutè dicit, quòd scientia *destruetur*: destructio autem non est sola rei defecatio, sed totalis rei cessatio. 2. Dicit, quòd scientia destruetur, sicut destruetur prophetia; sed prophetia omnino deficiet: ergo & scientia. 3. Quia hujus desitionis rationem reddens Paulus *v.* 9. & 10. dicit, *ex parte enim cognoscimus, & ex parte prophetamus: cùm autem venerit, quod perfectum est, evacuabitur, quod ex parte est*. Hoc est, quod modò partim per prophetiam, partim per scientiam Theologicam novimus ex parte, prorsùs tolletur, cùm venerit evidens cognitio beatifica.

VII. Respondetur tamen, datam expositionem esse conformem menti Apostoli, cuius testem habemus D. Jo: Chrysostomum nuper relatum, & D. Thom. in expositione præfati textus. Neque obstant instantiæ allatæ. Non quidem prima; non enim semper in Scripturâ destructio significat desitionem totalem rei, & subrogationem alterius speciei substantiali diversæ. Nam in morte destruitur corpus animale, sicut dum seminatur, destruitur, & moritur granum, teste Apostolo 1. *Cor.* 15. *v.* 36. & 37., *& resurget corpus spirituale*; & tamen corpus animale, quod moritur, distinguitur à corpore spirituali solùm quoad perfectionem, & statum, non quoad substantiam. Ergo in casu nostro de scientiâ, vult Apostolus, scientiam destruendam esse in patriâ, quoad statum imperfectum obscuritatis, quam habebat in viâ, sicut corpus destruitur quoad statum corruptibilitatis; & colligitur exemplo, quod statim subjicit Paulus de scientiâ parvuli, & scientiâ adulti, dicens *v.* 11. *cum essem parvulus, loquebar ut parvulus, sapiebam ut parvulus, cogitabam ut parvulus. Quando autem factus sum vir, evacuavi quæ erant parvuli*. Quis autem dicat, scientiam parvuli evacuari in viro per hoc, quod alia sit scientia in viro, quam in parvulo, & non potiùs, quòd sit eadem quidem in utroque quoad habitum, sed quoad actus, & modum cognoscendi perfectior sit in viro, quàm in parvulo? Addo: Quòd si per hoc, quòd dicat Paulus, in patriâ evacuabitur, & destruetur scientia, inferenda est destructio Theologiæ, inferetur etiam destructio cujuslibet scientiæ naturalis, quia Apostolus absolutè loquitur de scientiâ, imò dicit expressè, *& omem scientiam*. Quod certè (ut puto) nec Frassen, nec ullus Scotista dicet.

VIII. Neque officit secunda instantia. Nego enim absolutè min. Prophetia enim non excludit visionem claram, ideoque fuit in Christo, qui beatus erat, in quo tamen non fuisset, si essentialiter esset lumen obscurum, sicut hâc ratione in Christo non fuit fides. Sicut ergo dona Spiritus Sancti, licèt in nobis Viatoribus regulentur per fidem, remanent tamen in patriâ, teste D. Thom. 1. 2. *q.* 68. *artic.* 6., quia hoc illis contingit per accidens, & ratione subjecti, in quo sunt, ita Theologia, & prophetia, quæ in Viatore regulantur per fidem, in patriâ poterunt regulari per visionem, aut revelationem claram.

IX. Neque officit, quòd tertiò urget. Ex laudatis enim Apostoli verbis colligimus oppositum cum D. Thoma. Ex parte enim cognoscimus, idest *imperfectè*, inquit S. Doctor: pars enim est imperfecta respectu totius, quod est perfectum. Cùm igitur venerit, *quod perfectum est*, idest Theologia patriæ, quæ tota est perfecta, evacuabitur Theologia viæ, non ex toto, sed ex parte, idest non secundum sub-

substantiam, & quantùm ad habitum, sed quantùm ad actum, seu modum cognoscendi per conversionem ad phantasmata, secundùm quem est imperfecta.

X. Sed dices: Stante hâc expositione, jam non subsistet discrimen, quod statuit Apostolus inter caritatem, & scientiam, quòd *caritas nunquam excidit: scientia vero destruetur*. Quod sic ostendo. Nam etiam caritas pro statu viæ est imperfecta, cùm reguletur per fidem, quæ est obscura, non minus, ac per fidem reguletur scientia: quam imperfectionem evacuabit in patriâ, ubi regulabitur per lumen gloriæ, quod est clarum, & perfectum; ergo vel etiam caritas excidet, vel non excidet, & destruetur scientia; ergo non subsistet discrimen &c.

XI. Respondetur, discrimen inter caritatem, & Theologiam adhuc subsistere. Nam imperfectio, quam habet caritas, ut est in viâ, prorsùs accidentalis est tàm habitui, quàm actui caritatis; unde non solùm eodem habitu caritatis, quo diligimus Deum in viâ, diligemus in patriâ, sed eodem actu; at imperfectio, quam habet scientia hìc in viâ, licèt sit accidentalis habitui, non est tamen accidentalis actui, sed illi essentialis, cum actus cognitionis viæ essentialiter respiciat, & convertatur ad phantasmata; & ideo manebit quidem in Beato eadem scientia Theologica, quam habuit in viâ, quoad habitum, non tamen quoad actum; ibi enim eliciet alium actum specie materiali diversum, non per conversionem ad phantasmata, sed ad solas species intelligibiles, ad modum cognitionis Angelorum, quibus tunc homo erit similis, regulatum insuper non lumine fidei, sed lumine claro. Sicque verificatur, quòd caritas nusquam exicidit, quia, nec excidit quoad habitum, nec quoad actum; scientia verò destruetur, quantùm ad actum, & modum cognitionis, non tamen quoad habitum. Totum hoc colligo ex D. Thom., qui exponens verba Apostoli, ait *lect. 2.: sic ergo remanet scientia in animâ post corporis mortem quantùm ad species intelligibiles*, (nempè quoad habitum) *non autem quantùm ad inspectionem phantasmatum*, idest quantùm ad actum, seu modum cognitionis.... *& secundùm hoc Apostolus hìc dicit*, *quòd* scientia destruetur. Scilicet *secundùm conversionem ad phantasmata*. Et paulò post assignans discrimen inter caritatem, & scientiam, ait: *Imperfectio est ergo de ratione scientiæ prout hìc de Deo habetur*, *in quantùm scilicet cognoscitur ex sensibilibus: non est autem de ratione caritatis*, *ad quam cognitum bonum diligere pertinet: & ideo superveniente perfectione gloriæ cessat prophetia*, *& scientia*, idest quoad actum. *Caritas autem non cessat*, idest nec quoad habitum, nec quoad actum, *sed magis perficitur*, *quia*, *quantò perfectius cognoscitur Deus*, *tantò etiam perfectiùs amabitur*.

XII. Objiciunt 1. Fides, quæ est habitus principiorum Theologiæ non manet in patriâ; ergo nec Theologia, quam habemus in viâ: non enim potest manere scientia, non manente habitu, à quo accipit sua principia.

XIII. Confirmatur. Theologia nostra secundùm se est inevidens: talis enim est secundùm se, qualis secundùm se est habitus principiorum ipsius. Neque potest fieri, quòd habitus idem modò sit inevidens, & posteà evidens, sicut neque assensus inevidens potest idem numero fieri evidens.

XIV. Respondetur conc. antec. nego consequentiam, ad cujus probationem nego suppositum, quòd scilicet lumen principiorum, cui essentialiter nititur Theologia, sit lumen fidei. Nam lumen, quo regitur Theologia secundùm se, est lumen divinum revelans, ejusque principia sunt veritates immediatè revelatæ abstrahendo ab hoc, quòd revelentur clarè, vel obscurè. Quare quòd sic revelentur, ut revelentur solùm per fidem, & obscurè, non est de ratione Theologiæ secundùm se, sed illi convenit ratione subjecti, quia scilicet est in Viatore: & propterea, si lumini obscuro succedat lumen, & revelatio clara non solùm non destruitur, sed perficitur Theologia, imò hoc secundùm se petit Theologia, ut sit perfecta: lumen autem, & revelationem obscuram solùm admittit tanquam supplementum. Hinc

XV.

XV. Ad conf. nego antecedens. Quòd enim Theologia nostra sit inevidens, non convenit ei secundùm se, inquantùm est Theologia: cùm enim sit de objecto evidenter cognoscibili, sic petit potiùs lumen clarum pariens evidentiam; sed convenit illi solùm per accidens, & ratione status. Quare habitus Theologiæ, qui modò est inevidens, potest fieri evidens, dum erit in patriâ. Neque est simile de assensu conclusionis Theologicæ elicito hìc in viâ: hic enim est actus reduplicans statum, quem Theologia habet in viâ: cumque reduplicato statu viæ Theologia sit essentialiter inevidens, ideo actus ab eâ pro hoc statu elicitus, essentialiter est inevidens, nec potest idem manens transire in evidentem. Uno verbo. Habitus Theologiæ de se est indifferens ad eliciendas conclusiones, & actus, sive juxta regulam fidei, sive juxta regulam luminis clari; assensus autem elicitus juxta regulam luminis obscuri, cùm ab hâc specificetur, non est indifferens, ut eliciatur juxta regulam alteriùs luminis.

XVI. Objiciunt 3. Theologia Beatorum est habitus per se infusus, nostra autem est habitus per se acquisitus, ideoque differunt specie, ergo vel in patriâ habebimus duplicem habitum Theologiæ, si manet habitus, quem habemus in viâ, vel is, qui fuit hìc acquisitus, ibi non manebit.

Respond. nego antec. Nam præter scientiam beatam, quâ vident res in Verbo, non infunditur Beatis alia scientia Theologica; sed ille habitus scientiæ, quem de rebus Theologicis habent extra visionem Dei, in quibusdam sequitur ex visione beatificâ, in aliis est acquisitus per præcedentes actus in hâc vitâ; quique majorem perfectionem accipit ex conjunctione ad visionem beatificam.

XVII. Ex his colligo, in Beatis esse triplicem scientiam. Prima est intrinsecè supernaturalis, nempe visio beata, quæ eminenter dici potest scientia, & quâ Deum videntes, eodem unico simplicissimo intuitu omnia divina vident, sive principia, sive conclusiones: idèoque formaliter discursiva non est, sed eminenter solùm, & dicitur scientia beata. Secunda est, quâ ex visis per scientiam beatam discurrunt ad alia extra verbum; & hæc est Theologia Beatorum, quæ in iis, qui, dum erant Viatores, fuerunt Theologi, est idemmet habitus specie, & numero, quem habebant in viâ, esto cùm majori perfectione. In iis verò, qui non fuerunt Theologi, sequitur ex ipsâ beatificâ visione, & hæc scientia est formaliter discursiva, & entitativè naturalis, sicut dicemus statim de nostrâ Theologia. Tertia est scientia purè naturalis, quam Beati habent de rebus naturalibus per principia lumine naturali nota, eamdemque, quam habuerunt in viâ, quæque remansit etiam in dæmonibus. Quare Theologia, aliæque scientiæ hìc comparatæ remanebunt non solùm ad ornatum in Patriâ, sed ad exercitium, licèt alio, & perfectiori cognitionis modo; quia non ampliùs per conversionem ad phantasmata, sed per conversionem ad species intelligibiles immediatè se exercebunt, ut dictum est.

DUBIUM III.

An nostra Theologia sit entitativè supernaturalis.

§. I.

Quædam notantur.

I. Supernaturale est illud, quod est supra naturam creatam, & creabilem, illiusque vires excedit, quod dupliciter contingere potest. Vel solùm quoad modum, qualiter supernaturalis dicitur resuscitatio mortui, aut visus restitutus cæco: vita enim restituta mortuo, aut visus restitutus cæco in se, & entitativè res naturalis est, utpotè ejusdem speciei cum vitâ, & visu aliorum hominum; quia tamen modus talis restitutionis excedit vires totius naturæ, & à solo agente supra totam naturam haberi potest, dicitur supernaturalis quoad modum. Vel potest esse supernaturale etiam intrinsecè, & quoad entitatem, ut sunt Mysteria Trinitatis, Incarnationis, visio beata &c., quæ quoad entitatem, & speciem suam excedunt totam natu-

naturam, ejusque vires, imò & exigentiam, cùm sint prorsùs in ordine superiori. Et ideo quærimus, an habitus, & actus Theologiæ nostræ sit hoc modo supernaturalis, & quidem formaliter, & intrinsecè.

Quòd enim Theologia nostra sit supernaturalis radicaliter, & remotè, seu originative, quia nimirùm radicatur in fide supernaturali, & divinâ, & ex ipsâ originem ducit, tanquam scientia conclusionum ex habitu principiorum: quòd etiam sit supernaturalis extrinsecè, & objectivè, quia respicit objectum supernaturale, nempe Deum, in controversiam non vocamus.

Hâc in re non una est Theologorum, etiam Thomistarum, sententia: licèt enim major pars istorum sentiat, Theologiam esse habitum entitativè naturalem cui adherent Schotistæ; aliqui tamen, inter quos Contenson *dissert. 1. cap. 2. specul. 3.*, & alii, sentiunt, esse entitativè supernaturalem. Majori ergo parti subscribo.

§. II.

Conclusio.

II. DIco. Theologia nostra sumta, sive quoad habitum, sive quoad actum, est entitativè naturalis. Et probo 1. Judicium de naturalitate, aut supernaturalitate alicujus rei formari debet, non ex causâ radicali, & remotâ, sed ex causa immediatâ, & proximâ: sed licèt causâ radicalis, & remota habitus, & assensus Theologici sit supernaturalis, nempe lumen fidei revelans, & principia revelata; causa tamen immediata, & proxima, & ratio formalis, sub quâ Theologia procedit, est naturalis: ergo Theologiæ habitus, & assensus Theologicus est entitativè naturalis. Major probatur. Quia effectus speciem sumit à causâ proximâ immediatè influente, non autem à causâ remotâ: quare licèt actus fidei, & caritatis procedant remotè ab intellectu, & voluntate, quæ potentiæ naturales sunt, quia tamen habitus fidei, & caritatis, à quibus proximè, & immediate procedunt, sunt supernaturales, hinc actus fidei, & caritatis sunt supernaturales. Et licèt causæ universales, putà sol, æqualiter in omnes effectus influant, quia tamen causæ proximæ, & immediatæ, diversæ sunt, ideo effectus diversi sunt; & iste effectus est in specie hominis, quia causa proxima est homo; ille in specie equi, quia causa immediata est equus, licèt in utrumque eadem causa universalis remotè concurrat. Et ratio est, quia causa proxima, & immediata determinat, & modificat, & trahit ad hanc potiùs speciem, quàm ad aliam concursum causæ remotæ.

Minor autem probatur. Esto causa remota, & radicalis assensus Theologicæ conclusioni sint veritates immediatè revelatæ, quæ (ex dictis) sunt principia nostræ Theologiæ, causa tamen proxima, & immediata, imò & specificativa talis assensus, ut distinguitur ab assensu fidei, est, ex parte objecti, connexio necessaria principiorum cum conclusione, & ex parte intellectus, ratiocinium, quo, stante tali connexione discurrit à principiis ad conclusionem, eamque infert ex principiis: scientia enim, ut distincta à lumine principiorum, definitur, quòd sit habitus per demonstrationem acquisitus: sed suppositâ fide connexio illa præmissarum cum conclusione naturali lumine cognoscibilis est, ratiocinium etiam illud naturale est: ergo causa immediata, & proxima assensus Theologici naturalis entitativè est. Minor explicatur, & simul probatur. Si alicui Gentili Philosopho fiat hæc demonstratio Theologica: *omne suppositum habens duas naturas, habet duas voluntates; sed Christus est suppositum habens duas naturas: ergo Christus habet duas voluntates;* Ille Philosophus statim dicet. Ego non existimo præmissas hujus argumenti esse veras, quia fidem non adhibeo religioni vestræ: sed tamen suppositâ semel præmissarum veritate, ego per meam Philosophiam optimè cognosco, quòd ex talibus præmissis sequitur evidenter præfata conclusio. Quodnam quæso clarius signum dari potest, quòd connexio præmissarum, & conclusionum Theologiæ, quamvis supernaturalium, sit naturalis, & naturali lumine cognoscibi-

ſcibilis? Inſuper. Si ratiocinium, quo Theologus diſcurrit, eſſet ſupernaturale, & à fide immediatè, ille meliùs theologizaret, qui fortiorem haberet habitum fidei, non verò qui habet perſpicaciorem vim naturalem intellectivam; quia habitus ſupernaturales ſunt tota ratio agendi (ut docent noſtri in tractatu de viſione) & actus ſupernaturales unicè correſpondent intenſioni luminis ſupernaturalis, non verò naturalis virtutis, & perſpicacitatis: ſed oppoſitum contingit: non enim ille eſt melior Theologus, qui magis credit, cùm ſæpe viri, & mulieres idiotæ firmiùs credant, qui tamen theologizare neſciunt; ergo principium, & cauſa immediata aſſenſus concluſioni Theologicæ non eſt fides, aut aliquod ſupernaturale principium, ſed ratio, & perſpicacitas naturalis.

III. Hâc ratione itâ expensâ præcluditur communis adverſariorum reſponſio, nimirùm, diſcurſum, & ratiocinium naturale concurrere ad aſſenſum Theologicum, non per modum cauſæ proximę, ſed tantùm per modum conditionis, ſicut applicatio ignis concurrit ad comburendum.

Præcluditur inquam. Nam ſi aſſenſus Theologicus commenſuratur, non lumini fidei, ſed unicè ratiocinio, & perſpicacitati intellectus, hæc non erit pura conditio, ſed cauſa immediata illius, aliàs dicere poſſemus, habitus ſupernaturales eſſe puras conditiones, non rationes formales totales agendi.

Quod magis urgeo primò. Inter conditionem, & rationem formalem, hoc adeſt diſcrimen, quòd ſine ratione formali res nec eſſe poteſt, nec concipi; ſine conditione tamen res non poteſt quidem eſſe ſaltem naturaliter, ſine eâ tamen concipi poteſt, quod in exemplo allato patet. Quia enim ratio formalis calefaciendi eſt calor, nec eſſe, nec concipi poteſt ignis calefaciens, quin concipiatur calidus. Quia verò approximatio ignis ad lignum eſt ſolùm conditio ſine qua non, eſto naturaliter non poſſit ignis calefacere, niſi ſit approximatus ligno, poſſum tamen concipere ignem calefacientem, nihil cogitans de approximatione. Atqui ſcientia Theologica nullatenùs concipi poteſt, non concepto ratiocinio, & diſcurſu à principiis ad concluſiones; quia ablato diſcurſu, vel formali, vel virtuali ſcientia ampliùs non eſt; ergo diſcurſus non eſt pura conditio &c.

Urgeo ſecundò. Eadem eſt ratio formalis conſtitutiva, ac eſſentialiter diſtinctiva; ſed eſſe diſcurſivum eſt ratio eſſentialiter diſtinctiva ſcientiæ ab habitu, qui non eſt ſcientia; quare definitur, quòd ſit per demonſtrationem acquiſita; ergo ratio diſcurſivi eſt ratio conſtitutiva ſcientiæ &c.; & per rationem diſcurſivi ſcientia diſtinguitur ab opinione, quòd ſcientia ſit diſcurſiva ex neceſſariis, opinio verò ex probabilibus.

IV. Probatùr ſecundò hâc ratione. Ille habitus non eſt intrinſecè ſupernaturalis, qui noſtris actibus, & ſtudiis acquiritur; ſed habitus Theologiæ noſtris actibus, & ſtudiis acquiritur; ergo non eſt &c. Maj. probatur: tum quia actus, & ſtudia noſtra ſunt exercitia ordinis purè naturalis, effectus autem non poteſt excedere (præſertim ordine) cauſam ſuam proximam. Tum etiam, ideo enim virtutes Theologicæ, aliaque dona noſtris actibus, & ſtudiis comparari non poſſunt, quia ſupernaturales intrinſecè ſunt. Minor probatur, tum ex D. Th. in *prolog. 1. ſent. quæſt. unica art. 3. quæſtiunc. 2.*, ubi ſic ait: *ſicut habitus primorum principiorum non acquiritur per alias ſcientias, ſed habetur à natura; ſed habitus concluſionum ex primis principiis deductarum: itâ etiam in hâc doctrinâ non acquiritur habitus fidei, qui eſt quaſi habitus principiorum, ſed acquiritur habitus eorum, quæ ex eis deducuntur.* Tum experientiâ, quâ conſtat, modum comparandæ Theologiæ, non eſſe devotionem, & orationem, quâ homines ſolent ſe præparare ad aſſequendos habitus ſupernaturales, ſed opus eſſe ſummo ſtudio, & aſſiduâ exercitatione, & ſcientiarum etiam naturalium, maximè Philoſophiæ, ſubſidio, ut quis evadat peritus Theologus; eos autem, qui orationi tantùm indulgent, & hujuſmodi ſtudia, & exercitia contemnunt, etiam rebus Theologicis vacuos, & inanes, ſal-

faltem viâ ordinariâ, experimus.

V. Huic difcurfui variè dicunt contrarii. Dicit primò Contenfon, Theologiam, etfi noftris actibus partam, effe tamen in fe fupernaturalem, quia partam affenfibus fupernaturalibus articulorum fidei; cùm enim non affentiamur conclufioni, nifi propter præmiffas, quando affenfus præmiffarum eft fupernaturalis, affenfus conclufionis fupernaturalis effe debet. Inter Theologiam autem, & virtutes per fe infufas duplicem ftatuit differentiam: prima eft, quia virtutes per fe infufæ effluunt à gratiâ fanctificante, ut proprietates ejus: unde ficut gratia nequit produci noftris actibus, ità nec ejus proprietates, quæ petunt fieri eâdem actione, quâ fit effentia, cujus funt paffiones. Secunda differentia eft, quòd virtutes per fe infufæ dant fimpliciter poffe in ordine fupernaturali, ficut potentiæ in ordine naturali; unde ficut potentiæ noftris actibus non acquiruntur, fed effluunt ab anima; ità virtutes effluent à gratiâ. Theologia autem cum fupponat fidem dantem fimpliciter poffe, non dat nifi promptè, & faciliter operari; ideòque noftris actibus poterit acquiri.

VI. Sed contra. Theologia, ficut & quælibet fcientia, non paritur per affenfum præmiffarum fecundùm fe, fed per affenfum præmiffarum, ut inferentium, feu potiùs, per affenfum conclufioni, ut illatæ ex præmiffis, cum fcientia fit difcurfiva: fed licèt affenfus præmiffarum Theologiæ abfolutè fit fupernaturalis, affenfus tamen conclufioni, ut deductæ, cum fiat humano ratiocinio, intrinfecè fupernaturalis non eft; ergo firmum ftat argumentum allatum, nimirùm, quòd per actus merè naturales acquiri nequit habitus fupernaturalis.

VII. Contra id, quod dicit de duplici differentia inter Theologiam, & virtutes per fe infufas, infto primò fic. Dato quòd refponfio hæc valeat de virtutibus Theologicis, quando producuntur fimul cum gratiâ, ut in fideli, qui juftificatur, non tamen, quando producuntur feparatim à gratiâ, ut in fideli nondum juftificato. Quare fic arguo, ficut Theologia, ità & fides, & fpes poffunt produci feparatim à gratiâ, & tamen dum ità producuntur, non poffunt acquiri noftris actibus, non aliâ de causâ, nifi quia funt fupernaturales; ergo fi Theologia fimiliter fupernaturalis effet, non pofset acquiri noftris actibus. Neque fubfiftit fecunda differentia. Nam contra eam fic infurgo. Virtutes per fe infufæ dant fimpliciter poffe, quia, cum fint fupernaturales entitativè, nullum poffe fupponunt in naturâ; ergo fi Theologia erit entitativè fupernaturalis, nullum poffe fupponet in naturâ, & fic dabit fimpliciter poffe. Neque valet quòd Theologia fupponat fidem. Etenim fides dat quidem poffe credere revelata à Deo, non tamen poffe ex revelatis difcurrere ad conclufiones; ad hoc enim ponitur Theologia, ut habitus diftinctus. Ergo fi hoc etiam eft fupernaturale, ad hoc Theologia dabit fimpliciter poffe, ficut virtutes morales per fe infufæ, licèt fupponant caritatem, quia tamen entitativè fupernaturales funt, dant fimpliciter poffe, nec poffunt noftris actibus acquiri.

VIII. Dicunt fecundò alii, habitum Theologiæ non effe acquifitum ftudio, & labore, fed reverâ infundi, quia entitativè fupernaturalem; requirere tamen ftudium, & difcurfum naturalem, non tanquam caufam fui productivam, fed tanquam conditionem, fine quâ non infunderetur Theologia, & tanquam difpofitionem præparantem fubjectum ad infufionem, & receptionem illius: ficut à fimili voluntas præparatur per varios actus ad infufionem, & fufceptionem gratiæ fanctificantis, quæ præparatio non impedit, quin fit entitativè fupernaturalis.

IX. Sed contra. Nam primò dicere Theologiam effe habitum non acquifitum fed per fe infufum, eft manifeftè contradicere Divo Thomæ, qui loco fupra relato exprefsè dicit, quòd licèt habitus fidei non acquiratur, acquiritur tamen doctrinâ, quæ ex principiis fidei infertur. Secundò, quia difcurfum naturalem non effe puram conditionem, fed caufam immediatam Theologiæ, & affenfus Theologici, jam fupra probatum eft. Tertiò, fi actus noftri requirerentur, ut difpofitiones, & præparationes ad infufionem Theologiæ, vel requirerentur, ut difpofi-

positiones positivæ, & moventes Deum ad illam infundendam, vel ut dispositiones negativæ removentes à subjecto ea, quæ huic infusioni forent contraria. Sed neutrum dici potest. Non quidem primum, tum quia dispositiones debent esse ejusdem ordinis cum forma, ad quam disponunt. Unde Theologi contra Semipelagianos docent, neminem posse per vires naturæ se disponere proximè ad receptionem primæ gratiæ vocationis ad fidem; ergo per studium, & exercitia naturalia non posset homo se disponere ad infusionem Theologiæ, si ista habitus supernaturalis esset: quare dispositiones, quibus voluntas præparatur ad gratiam intrinsecè supernaturales sunt, utpotè à Spiritu Sancto movente cor, licèt nondum inhabitante: ut ait Tridentinum *sess.* 14. *cap.* 4. Tum etiam, quia certum est, Deum ad hanc infusionem magis moveri, & efficaciùs per orationes, jejunia, & eleemosynas &c., quàm per studium, & laborem, illa enim pietatis opera sunt illi acceptiora, quàm quodlibet studium; & tamen qui his pietatis operibus magis incumbunt, non propterea sunt perfectiores Theologi. Tum denique: si tales exercitationes Deum moverent ad infusionem habitus Theologici, id esset maximè ob aliquod pactum, & promissionem, sicut in Sacramentis: sed nullum simile pactum legitur in Scriptura, imò quotiès proponitur scientia comparanda, toties indicitur labor subeundus: etenim qui addit scientiam, addit, & laborem, inquit Ecclesiastes *c.* 1. *v.* 18. Non etiam secundum, quia si nullæ dispositiones naturales requiruntur ad infusionem cæterorum habituum supernaturalium, cur requirentur ad infusionem habitus Theologici, cùm de hoc nullum sit pactum, nulla lex; nulla promissio?

§. III.

Argumenta contraria solvuntur.

X. Objicitur primò, promissionem haberi tum ex *epist. Jacobi c.* 1. *v.* 5. *Si quis indiget sapientiâ, postulet à Deo, qui dat omnibus affluenter, & non improperat, & dabitur ei.* Et Ecclesiastici 1. *v.* 10. Deus sapientiam, *effundit super omnia opera sua, & super omnem carnem secundùm datum suum, & præbuit illam diligentibus se:* ergo Theologia, quæ est vera Sapientia, à Deo infunditur, & donatur.

Respondeo primò, si sapientia datur petentibus, & diligentibus, ut colligitur ex præfatis textibus; ergo infunditur intuitu orationis, & amoris, non studii, & laboris, ut adversarii volunt. Respondeo secundò, illis textibus non indicari sapientiam mentis, quæ traditur, & studio discitur, quæque ex revelatis conclusiones deducit; sed sapientiam mentis, & cordis, quæ Spiritus Sancti donum est, quâ res cœlestes nobis sapiunt per mysticam earum speculationem, & contemplationem; undè non sunt ad intentum.

XI. Objiciunt secundò. Theologia vocatur à D. Thoma hic *art.* 2. *Scientia revelata, & divinitùs inspirata;* & *art.* 3. *ad* 2. dicitur esse *velut quædam impressio Divinæ Scientiæ*, quæ certè supernaturalis est. Ergo secundùm D. Thom. Theologia est, & infusa, & supernaturalis.

Respondeo, D. Thom. solùm velle, Theologiam esse radicaliter, seu virtualiter revelatam, quia fidei nititur, quæ divinitùs revelata, & inspirata nobis tradit. Dicitur etiam velut quædam impressio Divinæ Scientiæ, virtualis quidem, non formalis: cùm enim contineatur in fide tanquam in semine, & habitu ministrante ei prima principia, & in ea suas conclusiones resolvat, quæ principia sunt locutiones divinæ, rectè dici potest *velut*, idest virtualis Divinæ Scientiæ participatio.

XII. Objicies tertiò cum Contenson. Objectum Theologiæ est supernaturale; ratio etiam formalis sub qua illud contemplatur, est supernaturalis; ergo Theologia est habitus intrinsecè supernaturalis. Anteced. probatur. Objectum Theologiæ est Deus, ut à fide cognoscitur, & conseq. ut supernaturalis. Ratio item formalis Theologiæ in hoc à lumine metaphysicæ distinguitur, quòd ista agit quidem de Deo, sed lumine à rebus natura-

turalibus accepto: Theologia de Deo tractat sub lumine divinæ revelationis; neque aliis principiis, mediis, & motivis per se utitur, quàm articulis supernaturalibus fidei.

Respondeo, nego antec. intellectum de objecto formali, & de ratione sub quâ immediatâ, & proximâ. Ad probat. dico, objectum quidem Theologiæ esse Deum, at non Deum, ut revelantem nobis mysteria, sed Deum, ut de ipso ex revelatis ratiocinio humano fieri possent demonstrationes, quo pacto specificativè est supernaturalis, non reduplicativè. Item ratio formalis Theologiæ, seu lumen sub quo immediatè procedit, non est ipsa formalis revelatio, aliàs non secerneretur à fide; sed est revelatio solùm virtualis, idest lumen, quo ex revelatis discurrit ad alia, quod est quidem radicaliter, & originativè supernaturale, non tamen formaliter, cùm formaliter procedat humano ratiocinio. In quo distinguitur Theologia à Metaphysica: quia Metaphysica agit de Deo sub lumine, quòd est naturale, & formaliter, & originativè, idest agit de Deo, nedum humano, & naturali ratiocinio, sed etiam deducto ex principiis merè naturalibus. At Theologia agit de Deo sub lumine, quod equidem in se est naturale, attamen radicaliter, & originativè est supernaturale, idest agit quidem humano ratiocinio, sed fundato, & radicato in mediis, & principiis fidei, quæ supernaturalia intrinsecè sunt.

XIII. Instabis. Quod habet causam sui entitativè supernaturalem est entitativè supernaturale, nam effectus sequitur naturam suæ causæ; sed Theologia habet causam sui supernaturalem, nempe fidem, & veritates revelatas, quæ sunt principia Theologiæ, & supernaturalia sunt; ergo Theologia &c.

Respondeo dist. maj. Quod habet causam sui proximam supernaturalem est &c. conc. maj., causam sui remotam nego maj., & dist. pariter min., Causam remotam conc. min., causam proximam nego min. Causa enim proxima, & specificativa Theologiæ non est veritas revelata, sed connexio, quam res revelata habet cum aliâ veritate, & judicium de tali connexione, quæ connexio, ac judicium, esto radicaliter supernaturalia sint, formaliter tamen sunt quid naturale. Nam illa connexio naturali studio, & acumine est cognoscibilis, & consequenter judicium de tali connexione lumine naturali formaliter perficitur.

XIV. Pro hujus clariore intelligentiâ sciendum, quòd sicut in quâcumque scientiâ naturali principia talis scientiæ possunt considerari dupliciter, vel entitativè in seipsis: & sic non spectant ad scientiam nisi radicaliter, formaliter autem ad habitum principiorum pertinent. Vel ut illativa alterius veritatis, quam necessariò inferunt, & sic formaliter specificant scientiam, & sunt lumen, sub quo scientia procedit. Sic in Theologia res revelatæ, quæ sunt ejus principia, possunt dupliciter inspici. Vel ut revelatæ, & dictæ à Deo, & sic formaliter pertinent ad Fidem, ad Theologiam verò solum remotè, & radicaliter. Vel ut tales veritates revelatæ sunt connexæ, & illativæ alterius veritatis, & sic formaliter ad Theologiam pertinent, sunt ejus medium, ac motivum, ejus namque actio est ex revelatis ad alia discurrere. Quare circa principia duplicem possumus præstare assensum, unum circa ipsa in se, & secundùm se spectata, quatenùs sunt veritates immediatè cognoscibiles, & principia naturalia; & hic assensus pertinet ad lumen principiorum, & sic veritates immediatè revelatæ sunt principia Theologiæ; & hic assensus pertinet ad fidem. Alio modo possumus assentiri principiis, sive naturali lumine notis, sive revelatis, ut connexis, & illativis aliarum veritatum, & hoc propriè pertinet ad scientiam. Loquendo ergo de principiis Theologiæ, prior assensus pertinens ad fidem est entitativè supernaturalis, posterior verò pertinens ad Theologiam, entitativè naturalis est, quamvis radicaliter supernaturalis. Quæ doctrina hac in re præ oculis habenda est, quam tantùm abest ut nullus Philosophus docuerit (quomodo putat Contenson) quin potiùs nullus si Philosophus, qui eam non docuerit.

Quòd si non datur duplex assensus circa conclusionem, unus circa eam secundum

dùm se, alius circa eam ut illatam, hoc ideo est, quia conclusio sive consideretur secundùm se, sive ut illata, semper pertinet ad eundem habitum, nempe scientiam: præmissæ verò in se, & entitativè sumtæ pertinent ad diversum habitum; nam entitativè consideratæ in scientiis naturalibus pertinent ad lumen principiorum, in Theologiâ verò pertinent ad lumen fidei: at ut illativæ, formaliter pertinent ad scientiam. Esto autem conclusiones tam entitativè, quàm ut illatæ pertineant ad eundem assensum scientiæ; non proindè inferas, quòd, cùm conclusio Theologica sit in se supernaturalis, supernaturalis etiam debeat esse assensus Theologicus. Nam licet idem assensus feratur in conclusionem entitativè, & ut illatam, ità tamen fertur, ut entitas sit ratio, quæ attingitur, & illatio passiva sit ratio sub quâ; & cum hæc naturalis sit, inde est, quòd attingit quidem conclusionem supernaturalem, sed sub ratione naturaliter cognoscibili.

XV. Objicies quartò. Ideo Theologia non esset supernaturalis, quia procedit circa principia quidem supernaturalia, sed medio discursu naturali: sed hoc non evincit. Ergo &c. minor probatur primò, quia ille discursus est pura applicatio luminis principiorum ad illuminandas conclusiones, sicut applicatio caloris ignis ad comburendum: sicut ergo combustio non commensuratur applicationi, sed calori; ità assensus non correspondet discursui, sed lumini, quod cum supernaturale sit, assensus erit supernaturalis. Secundò, scientia non specificatur à discursu, sed à medio: atqui medium, quod assumitur in discursu Theologico, est supernaturale; ergo &c. maj. probatur, licèt tam opinio, quàm scientia procedant per discursum, quia tamen medium, quod in scientia assumitur, est diversum ab eo, quod assumitur in opinione, nempe, illud demonstrativum, istud tantùm probabile; ideo provenit diversus specie habitus, opinativus scilicèt, & scientificus. Tertiò probatur, & confirmatur ratio præcedens. Ab eo scientia sumit suam speciem, à quo sumit suam differentiam essentialem, nempe certitudinem, quâ scientia distinguitur essentialiter ab opinione, & errore: sed certitudinem non accipit à discursu, sed à medio, seu principio, quod in Theologia est supernaturale, quare Theologia dicitur certior omni scientia merè naturali: ergo &c.

XVI. Respondetur neg. min., ad primam probationem nego assumtum. Nam sicut discursus, seu ratiocinium, sive formale, sive virtuale, distinguit scientiam à lumine principiorum, ità discursus talis, vel talis, cum tali, vel tali illatione distinguit scientiam ab opinione, & errore.

XVII. Ad secundam probat. min. dist. maj. Sed à medio entitativè sumto, nego maj. à medio, ut connexo cum extremis, concedo maj. licèt autem medium in Theologia sit entitativè supernaturale, ut tamen connexum cum extremis ad inferendam conclusionem, quo pacto specificat Theologiam, formaliter naturale est: quia hæc connexio humano ratiocinio cognoscitur, & formatur. Neque hinc inferas, quòd, cùm discursus pertineat ad Logicum, solùm sequitur, Logicam esse scientiam naturalem, non verò Theologiam, quæ discursu, utitur; eo vel maximè, quòd licèt procedat, & assentiatur per discursum, non tamen assentitur propter discursum, sed propter medium. Non inquam, nam in discursu duo consideranda sunt, nimirùm forma discursus, & objectum discursus, seu materia. Forma quidem discursus pertinet ad logicam, sed objectum, seu materia discursus, nimirùm objectiva connexio, quæ est inter principium, & conclusionem ad Theologiam pertinet. Concedo etiam, quòd Theologia assentiatur propter medium ut connexum, sed medium ut connexum quid est aliud, nisi objectum formale discursus? hinc scientia distinguitur ab opinione, quia illa assumit medium necessariò connexum, ista tantùm probabiliter.

XVIII. Ad tertiam dico, certitudinem Theologiæ esse quidem supernaturalem radicaliter, & resolutivè, non autem formaliter, & immediatè; & sumi quidem à principio supernaturali, non quatenus respicit auctorem supernaturalem, nempe Deum revelantem, sed quatenus comparatur ad intellectum, ex eo ad alia

discurrentem, & in ipsum alia resolventem. Ex quò fit, quòd certitudo Theologiæ esto radicaliter sit supernaturalis, quia resolvitur in principium in se supernaturale, non tamen sit formaliter supernaturalis; quia supernaturalitas certitudinis non sumitur à principio remoto, & radicali, sed à principio immediato, & proximo: major tamen omni certitudine cujusvis alterius scientiæ, sicut minor certitudine fidei; quia certitudo fidei immediatè fundatur in auctoritate Dei dicentis: at certitudo Theologiæ solùm mediatè, & remotè, Ubi aliarum scientiarum certitudo unicè fundatur, & resolvitur in principia solo lumine naturali certa.

XIX. Objicies quintò. Theologiæ conveniunt dotes, quæ soli scientiæ supernaturali possunt convenire. Primò enim subalternatur fidei, & beatificæ visioni, quæ sunt supernaturales: nihil autem naturale potest subalternari, & dicere ordinem ad aliquid supernaturale; quare actus nostri naturales non possunt dicere ordinem positivum ad gratiam primam, quia hæc supernaturalis est; Cùm supernaturale definiatur, quòd sit supra naturam, & supra totum ordinem, & exigentiam naturæ. Secundò, Theologia respicit Deum, ut auctorem gratiæ, tanquam suum objectum, qui supernaturalis maximè est.

XX. Respond. nego antec. ad primam probat. dico, quòd esto nihil naturale, & entitativè, & radicaliter possit subalternari, & dicere ordinem ad aliquid supernaturale, ut probat exemplum allatum; id tamen, quod in se quidem naturale est, supponit tamen necessariò, & radicatur in aliquo supernaturali, potest ad illud ordinem positivum dicere; talem autem esse Theologiam diximus: ideoque qui per habitum supernaturalem fidei assentitus est præmissis, potest pèr habitum Theologiæ, etsi entitativè naturalem, ex illis deducere conclusiones, easque ad principia, etsi revelata, & supernaturalia resolvere; & sic cognitio naturalis, suppositâ fide, potest percipere connexionem principii, etsi supernaturalis, cum alia veritate, hancque ex illo, lumine rationis deducere, & in illud resolvere; quia sicut veritas purè naturalis continetur in suo principio, ità supernaturalis in suo. Totus ergo labor est in cognoscendo principio supernaturali, quod sit per fidem, hoc autem posito, Theologia lumine rationis, ex illo discurrere potest.

XXI. Ad secundam dico, Theologiam respicere Deum auctorem gratiæ, non ut in se supernaturalis est, sed ut de ipso possunt certæ, & necessariæ illationes aliarum veritatum fieri, & ex ipso ad alia discurri: quare respicit objectum supernaturale mediatè, & specificativè, non immediatè, & reduplicativè, ut hactenùs dictum est. Oportuit in hâc quæstione diutiùs immorari, quia etiam inter Thomistas controversa est, & quia multis aliis quæstionibus solvendis aperit viam.

DUBIUM IV.

An Theologia nostra sit speculativa, an practica, an utrumque.

§. I.

Quædam præmittuntur.

I. Theologiam esse simpliciter practicam sentiunt cum Scoto ejus discipuli, inter quo Frassen. *disput. proœm. artic. 3. quæst. 1.* Henno *disput. proœm. quæst. 3.* D. Thomas verò hâc *quæst. 1. artic. 4.* vult, eam sub se comprehendere utrumque, speculativum, & practicum, magis tamen speculativam esse, quàm practicam; cui adhærent omnes, qui ejus doctrinam profitentur.

Priusquàm statuatur conclusio, observandum est, illum habitum dici speculativum, qui per se ordinatur ad veritatis considerationem, non referendo ipsam ad opus extra intellectum; Illum verò practicum, qui ordinatur per se ad praxim, ità nimirùm, ut operis faciendi extra intellectum det regulas, & ad opus faciendum dirigat, Quare ut habitus quispiam sit practicus, non sufficit, quòd ex parte scientis sequatur aliqua praxis, velut amor, delectatio, aut simile, sed requiritur, quòd ipse per se ordi-

ordinetur ad praxim, & versetur circa suum objectum, cum ordine ad opus, praescribens regulas ad illud agendum. Hinc Philosophus *lib. 2. metaph. c. 1.* ait, speculativae scientiae finem esse veritatem, practicae verò opus.

Observandum insuper, quòd licèt subinde soleat distingui praxis, seu actio ab effectione, quòd actio maneat in agente, effectio autem in exteriorem materiam transeat, ut patet ex *1. 2. quaest. 57. artic. 4.*, & *2. 2. qu. 47. artic. 5.* Haec distinctio hìc locum non habet; sed praxis generaliter sumitur pro opere, sive illud sit actio immanens, sive actio transiens; undè practicum hìc non distinguitur à factivo, sed à speculativo.

§. II.

Conclusio.

II. Dico. Theologia nostra utrumque complectitur, & speculativum, & practicum, magis tamen speculativa est, quàm practica. Prima pars probat. ratione D. Thomae. Theologia una existens se extendit ad ea, quę pertinent ad diversas scientias philosophicas, prout sunt divino lumine manifestabilia; sed scientiae philosophicae, aliae versantur circa speculabilia, aliae circa operabilia; ergo licèt in scientiis philosophicis, alia sit scientia speculativa, alia practica, Theologia tamen comprehendit sub se utrumque; & sicut Deus eâdem scientiâ cognoscit se, & ea, quae facit, ideoque scientia Dei practica simul est, & speculativa, ut D. Thom. *1. p. qu. 14. art. 16.*, ità Theologia, quae Scientiae Divinae proximior est participatio, & vestigium, erit practica simul, & speculativa.

III. Confirmatur: in scientiis naturalibus Metaphysica est speculativa, quia primam veritatem contemplatur; Moralis est practica, quia de ultimo fine, mediisque ad ipsum ducentibus disserit; ergo Theologia, quae utrumque praestat (agit enim de Deo, ut est prima veritas, & etiam ut est ultimus finis, & ad eum dirigit) comprehendit utrumque, & speculativum, & practicum.

Urgetur magis haec ratio. Objectum Theologiae, nempe Deus, est prima Veritas, & ultimus finis, supremum intelligibile, & summum bonum ergo est simul objectum speculationis, & regula indefectibilis humanorum actuum, qui à fine diriguntur: Atqui rationes, quae sunt in objecto formali resplendent in habitu, qui circa ipsum versatur; ergo Theologia adunat utramque rationem, & speculationis, & praxis.

IV. Hinc Theologia secundùm aliquam sui partem, perficit intellectum in ordine ad cognitionem veritatis, sine ullo ordine ad actionem: Cùm enim considerat, quòd Pater non sit Filius, quòd Filius non sit Spiritus Sanctus, quòd Spiritus Sanctus à Patre, Filioque procedat, quòd Deus non ab aeterno, sed initiò temporis creaverit Angelos, quòdque hi sint immateriales, & alia hujusmodi, manifestum est, quòd cosiderat veritatem, quae unicè intellectum per se perficiunt ad contemplationem. Secundum verò aliam sui partem perficit intellectum, non purè ad cognitionem veritatis, sed ut ex cognitione veritatis dirigatur ad opus, ad quod regulas praescribit: Ut cùm explicat naturam, efficaciam, virtutum, bonorum operum, legum divinarum, & humanarum; quando tradit quomodo Sacramenta sint administranda, & suscipienda, quomodo peccata fugienda; quibus, aliisque patet nos instruere non solùm, ut ea cognoscamus, sed ut per ea dirigamur ad nostrum ultimum finem. Facit ergo Theologia, & ea, quae sunt scientiae speculativae, & ea, quae sunt scientiae practicae.

V. Secunda verò Conclusionis pars probatur ratione D. Thom. *Theologia principaliùs agit de rebus divinis, quàm de actibus humanis, de quibus agit secundùm, quòd per eos ordinatur homo ad perfectam Dei cognitionem, in quâ aeterna beatitudo consistit.* Atqui ex codem D. Thom. *in prolog. lib. 1. sent. quaest. 3.* Scientia omnis principaliter pensanda est ex fine, finis autem ultimus istius doctrinae est contemplatio primae veritatis, in patria; ergo principaliter speculativa est.

§. III.

Objectiones solvuntur.

VI. OBjiciunt primò Scotistæ contra primam partem. Impossibile est, duas differentias oppositas divisivas alicujus generis, vel eorum proprietates, simul uniri in eodem contento sub illo genere; & hâc ratione non possunt in eodem uniri corporeum, & incorporeum, rationale, & irrationale, hinnibile, & risibile; sed speculativum, & practicum sunt differentiæ essentiales dividentes genus scientiæ, aut saltem proprietates earum, ergo nequeunt &c.

VII. Huic argumento (in quo exultat Frassen) communis nostratum responsio est, quòd practicum, & speculativum licèt videantur esse differentiæ essentiales, & licèt fortassis ità sit in scientiis inferioribus; non sunt tamen tales in scientia superiori, quia ibi conveniunt in eâdem ratione formali. Quò pertinet id, quod dicit S. Doctor hìc *art.* 3. *ad* 2., & iterùm hoc *art.* 4. nimirùm, ea, quæ in diversis scientiis Philosophicis tractantur, posse considerari à Theologia sub unâ ratione. Sicut ergo visibile, & audibile sunt differentiæ dividentes objectum sensibile, diversificantes sensus particulares, adunantur tamen in sensu communi; ità speculabile, & operabile, esto sint differentiæ essentiales respectu scientiarum inferiorum, non erunt tamen tales respectu scientiæ superioris, qualis est Theologia; sicut nec sunt respectu intellectus, nec respectu fidei. Quare in forma dist. min. sunt differentiæ essentiales dividentes genus scientiæ inferioris, conc. min. scientiæ ut sic, nego min. neque est idem de corporeo, & incorporeo, rationali, & irrationali, quæ sunt differentiæ substantiales ex suis rationibus formaliter oppositæ, non autem purè ratione limitationis subjecti, & objecti, sicut sunt practicum, & speculativum, ideoque in nullo adunari possunt.

Quare absolutè negari potest minor. Illæ enim propriè sunt differentiæ essentiales, quæ suis rationibus formalibus ità opponuntur, ut una essentialiter præsupponat in subjecto privationem alterius, ut sunt visio, & fides. Non verò illæ, quæ solùm sunt oppositæ relatè ad subjectum, quod ratione suæ limitationis eas non potest in se unire. Cùm ergo practicum, & speculativum, non sint suis rationibus formalibus absolutè incompossibilia, cùm uniantur tum in intellectu, tum in fide sed solùm ratione limitationis subjecti, nempe scientiæ particularis, quæ determinata est ad objectum purè contemplabile, hinc est, quòd si detur scientia, quæ respiciat objectum, nedùm ut contemplabile, sed etiam ut acquisibile, nedùm ut verum, sed & ut bonum, qualis est Theologia, possit utrumque amplecti, sub diversa tamen ratione; non quòd adæquatè, & tota sit speculativa, & tota practica, sed inadequatè, idest sub unâ ratione sit speculativa, sub aliâ practica: sicut ejus objectum sub unâ ratione est speculabile, & sub aliâ finis actionis.

VIII. Dices tamen primò. Etiam metaphysica considerat Deum, qui, sicut est summum verum, ità summum bonum, ideoque objectum speculationis simul, & praxis; & tamen metaphysica non est simul speculativa, & practica.

IX. Dices secundò. Si Theologia esset simul speculativa, & practica, quilibet ejus actus esset speculativus, & practicus; sed hoc est falsum, nam Theologia elicit plures actus, qui per se merè speculationes sunt, ut eùm probat, in divinis quatuor esse relationes; ergo &c.

X. Respond. ad primam instantiam distinguo anteced.: considerat Deum sub ratione Deitatis, & non solùm ut primam veritatem, sed etiam ut summum bonum, nego antecedens. Sub ratione entis, & ut primam veritatem tantùm conc. ant. Metaphysica namque respicit Deum, ut summum ens, contentum sub ratione entis, in ejusque contemplatione tota per se consistit. Deum enim considerare, ut ultimum finem actuum humanorum ad scientiam moralem pertinet. At Theologia considerat Deum sub ratione deitatis, & sub lumine fidei, quæ illi utrumque proponit, & Deum, ut summè verum, & summè bonum tandem assequendum; ideoque utrumque complectitur.

XI.

XI. Ad secundam instantiam quidem neg. min. volentes, in quolibet actu theologico relucere rationem speculationis, & praxis, quibus tamen non assentior. Licèt enim Theologus verè pius, debeat omnem suam considerationem de Deo ordinare ad Deum amandum, id est ex parte operantis; cæterum Theologia dum inclinat hominem ad Deum considerandum, per se non inclinat ad Deum amandum. Quare nego maj. non enim necesse est, ut adæquata ratio formalis objecti, & habitus in quolibet actu resplendeat, sicut nec quilibet actus animæ rationalis est simul vegetatio, sensatio, & intellectio, quamvis anima comprehendat simul vegetativum, sensitivum, & intellectivum, adæquatè sumpta.

XII. Objicies secundò contra secundam partem. Illa scientia, & notitia est practica, quæ determinat intellectum ad volitionem rectam; sed notitia Theologica determinat intellectum ad volitionem rectam, nimirùm ad Deum amandum, colendum &c.; ergo &c.

Confirmatur. Principia Theologiæ sunt practica. sumuntur enim à Deo, qui est ultimus finis: Unde *Joan.* 20. 31. dicitur: *hæc autem scripta sunt, ut credatis, quia Jesus est Christus filius Dei, & ut credentes vitam habeatis in nomine ejus.* Non ait, Divina Mysteria ideo sunt exarata, ut Deum, ejusque perfectiones acutiùs investigetis. Et ideo D. August. *lib.* 1. *de Doctr. Christiana circa finem*, ait, Theologiam ordinari ad dirigendos quatuor actus, videlicet credere, sperare, diligere, & virtuosè vivere.

XIII. Respondeo dist. maj. illa &c. est practica, quæ unicè, & in omni sui parte, & quidem principaliter determinat intellectum &c., conc. maj., quæ non unicè, & solum in aliqua sui parte, & minùs principaliter &c., nego maj. & distincta min. nego conseq. Non nego, Theologicam notitiam in aliqua Theologiæ parte determinare intellectum ad volitionem rectam, ad Deum amandum, & colendum &c., & ideò non nego, Theologiam esse practicam, sed quòd id unicè præstet, principaliùs, & in omni sui parte: hoc nego.

Ad confirm. nego ant. in sensu argumentis. Nam principia Theologiæ sumuntur à Deo, qui est quidem ultimus finis, sed etiam est prima veritas: unde nedùm illuminant ad Dei amorem, sed principaliùs, & proximiùs ad Dei contemplationem; quia (ut ait D. Thom. hic) Theologia principaliùs agit de rebus divinis, quàm de actibus humanis, per quos homo ordinatur ad ultimum finem. Imò ex hoc etiam, quod Theologia legem veterem, & novam ordinet ad beatitudinem, quæ est Divinæ Veritatis contemplatio, sequitur, magis eam esse speculativam, quàm practicam; & per hoc respondetur ei, quod adducitur tum ex Joanne, tum ex Augustino: quia etsi ea, quæ scripta sunt, & ipsa Theologia ordinentur ad preducendum hominem per fidem, spem, caritatem, & virtuosam vitam ad beatitudinem, quæ aliud non est, quàm Veritatis Divinæ contemplatio, sequitur, eam ultimò, & principaliùs ordinari ad contemplationem.

XIV. Dici etiam potest, alium esse finem scientiæ ab eâ per se intentum, & propter quem ipsa principaliùs instituta est; alium esse finem scientis, quem sciens debet sibi præfigere. Esto autem finis scientis, seu finis Theologi, vere pii, & Christiani sit, omnes etiam suas speculationes ordinare ad Deum amandum, colendum, & tandem in patriâ possidendum; & nedum speculationes Theologicas, sed etiam omnes alias naturales: Finis tamen intrinsecus, & proprius Theologiæ est, principaliùs hominem perducere ad cognitionem, & contemplationem divinorum. Quâ distinctione præhabita evacuantur alia multa, quæ contrarii accumulant ad probandum, Theologiam esse, vel solùm, vel principaliùs practicam.

(✠)

DU-

DUBIUM V.

An Theologia sit certior, dignior aliis scientiis; & an sit etiam Sapientia.

§. I.

Quaedam notatu digna pro primâ parte.

I. Certitudo à Philosophis triplex distingui solet, nimirùm objecti, subjecti, & motivi. Certitudo objecti est immobilitas, & invariabilitas rei in se, vel quoad existentiam, & haec solius Dei propria est; vel quoad essentiam, nimirùm connexionem praedicatorum essentialium; & haec, vel est metaphysica, quâ praedicatum ità cum subjecto connectitur, ut sine illo stare nequeat, nec divinitùs, ut homo est animal rationale; vel physica, quâ praedicatum saltem naturaliter connectitur cum subjecto, ut haec propositio: ignis omnis applicatus combustibili urit.

II. Certitudo subjecti, sive subjectiva est firma adhesio intellectus alicui objecto cognito, quod vel est, vel putatur esse verum, licèt tale non sit: quâ fit, ut tenaciùs quis adhaereat propositioni tantùm probabili, aut etiam falsae, quam putat esse demonstratam, vel veram: inde tenaciùs haeretici adhaerent suis erroribus, quam interdum Catholicus, Catholicis veritatibus. Hinc Arist. 7. *Ethic. cap.* 3. *sunt*, inquit, *qui non minus opinioni suae, quàm illi suae scientiae credunt*. Haec autem pertinacia potiùs dicenda est, quàm certitudo.

Certitudo motivi est connexio infallibilis medii cogniti cum re, quae cognoscitur: quae connexio apparet, vel per experientiam, qualem habemus, quòd omnis ignis sit calidus. Vel ex evidentiâ luminis naturalis, qualis est certitudo circa prima principia. Vel per illationem ex principiis evidenter cognitis, qualis est certitudo conclusionis naturalis debitè illatae ex praemissis evidentibus. Vel denique per revelationem alicujus veracis, qualis est certitudo fidei; aut per illationem ex veritatibus revelatis, non evidenter, sed certò cognitis, qualis est certitudo conclusionis Theologicae.

III. In Theologiâ verò processus à principiis ad conclusionem fieri potest tripliciter; aliquando enim proceditur ad conclusionem aliundè scitam: ut cùm concluditur, Deum esse unum, infinitum, immensum, quae per metaphysicam scita supponuntur. Aliquando verò proceditur ad conclusionem, de quâ nondùm determinatum est, quid sit tenendum, ut sunt omnes conclusiones de efficaciâ gratiae, de contritione necessariâ ad Baptismum, & Poenitentiam. Aliquando vero ad conclusionem jam determinatam per Ecclesiam; ut quòd in Christo duae sint voluntates; quòd baptizati ab haereticis non sint rebaptizandi; cujus veritas licèt olim controversa, modò tamen ab Ecclesiâ determinata est.

IV. Supponendum etiam ex dictis est, Conclusionem Theologicam inferri posse, vel ex duabus propositionibus Fide Divina creditis, ut si dicatur: *Christus est beatus*; *sed Beatus videt Deum facie ad faciem*; ergo *Christus videt Deum facie ad faciem*, vel ex unâ creditâ, & aliâ naturali necessariâ, ut si dicas: *omnis homo est risivus*; *Christus est homo*; *ergo Christus est risivus*. Vel ex unâ propositione creditâ, & aliâ naturali solùm probabili, ut si dicas: *Christus habet verum corpus*; *sed verum corpus est tale per formam corporeitatis ab anima rationali distinctam*, ergo *Christi corpus* &c. minor enim propositio probabilis est Scotistis, Thomistis verò negantibus. Vel tandem ex duabus probabilibus, ut si dicas: *Sacramenta nova legis fortiùs causant gratiam, quàm sacramenta veteris legis*; *sed sacramenta veteris legis causabant gratiam moraliter*; ergo *Sacramenta nova Legis causant gratiam plusquàm moraliter*.

Certum est ergo, quod ex duabus probabilibus, vel ex unâ creditâ, & alterâ probabili, non habetur conclusio certa, sed solùm probabilis, quia conclusio sequitur sortem praemissarum, & si una est probabilis, licet altera sit fide certa, non sequitur conclusio, nisi probabilis, juxta philosophicum effatum: Conclusio sequi-

sequitur debiliorem partem. Dum ergo quærimus, an Conclusio Theologica sit certior, loquimur de eâ, quæ, vel ex duabus Fide Divinâ creditis, vel ex unâ creditâ, & alterâ naturali necessariâ procedit.

§. II.

Prima Partis resolutio.

V. Dico. Conclusio Theologica, quæ infertur, vel ex duplici præmissâ revelatâ, vel ex unâ naturali necessariâ, & alterâ revelatâ, certior est secundùm se, seu certitudine objecti, & motivi, quâcumque scientiâ naturali: & etiam per se loquendo certitudine subjectivâ; quamvis per accidens videantur scientiæ naturales majorem aliquando imprimere certitudinem.

Prima pars traditur à D. Thom. hîc *art.* 5. illa enim notitia certior est secundùm se, & certitudine objecti, & motivi, quæ fertur in objectum magis necessarium, & immutabile, & per motivum firmius, ac certius: hujusmodi est Theologia, quæ versatur circa Deum, magis habentem immobilitatem, & necessitatem essendi, quàm objecta Scientiarum naturalium. Fertur etiam in eum per medium, & motivum firmius, quàm sint motiva scientiarum naturalium: nititur enim principiis revelatis, & Fide Divinâ creditis, quæ certè majorem habent certitudinem longè, quàm principia lumine naturali cognita, quibus scientiæ naturales fulciuntur. Primò, quia, ait Christus *Luc.* 21. *v.* 33. *Cœlum, & Terra transibunt, verba autem mea non transibunt.* Secundò, quia habet certitudinem objectivam supernaturalem, & divinam, quæ infinitè major est quâvis certitudine naturali, & creatâ. Tertiò, quia innititur primæ veritati, & essentiali, quæ certior est eo, quod nititur veritati participatæ. Ergo Theologia nostra ex parte motivi, & objecti certior est &c.

VI. Secunda vero pars, quòd Theologia per se loquendo sit certior etiam subjectivè, probat. ex D. Th. 2. 2. *q.* 4. *art.* 8. *ad* 2. dicente: *multò magis homo certior est de eo, quod audit à Deo, qui falli non potest, quàm de eo, quod videt propriâ ratione, qua falli potest.* Unde D. August. *lib.* 7. *confess. cap.* 10. *faciliùsque dubitarem vivere me, quàm non esse veritatem, quæ per ea, quæ facta sunt, intellecta, conspicitur;* & patet ratione adductâ pro primâ parte. Quòd verò per accidens aliquando minorem imprimat certitudinem, docet idem S. Doctor hîc *art.* 5. *ad* 1. dicens: *nihil prohibet, id, quod est certiùs secundùm naturam, esse quoad nos minus certum propter debilitatem intellectus nostri;* & 2. 2. *quæst.* 4. *articul.* 8., ubi quærit, an fides certior sit habitu primorum principiorum, sapientiâ, & scientiâ, resolvit, fidem esse quidem certiorem secundùm se habitibus scientiæ, quia certiorem habet causam, nempè Veritatem Divinam, cùm scientia habeat pro causâ rationem humanam. Ex parte tamen subjecti *dicitur esse certior, quod pleniùs consequitur intellectus hominis: & per hunc modum, quia ea, quæ sunt fidei, sunt supra intellectum hominis, non autem ea, quæ subsunt tribus prædictis* (habitui principiorum, sapientiæ, & scientiæ) *ideò ex hac parte fides est minùs certa. Sed quia unumquodque judicatur, simpliciter quidem secundùm causam suam; secundùm autem dispositionem, quæ ex parte subjecti est, judicatur secundùm quid; inde est, quod fides est simpliciter certior; sed alia sunt certiora secundùm quid, scilicet quoad nos.*

Ex quibus potest concipi ratio. Illud ex parte subjecti certiùs, & firmiùs est, quod magis intellectum movet, pleniùs ab eo possidetur, & connaturaliùs ad illud fertur; sed scientiæ naturales firmiùs movent, quia movent ratione certitudinis, & evidentiæ simul; pleniùs etiam ab intellectu possidentur, quia earum veritates in se ipsis videt; & connaturaliùs ad illas fertur, quia sibi magis proportionatas, & ad quas non eget alio lumine, quàm naturali: è contra verò, ut assentiatur veritati revelatæ, debet intellectus surgere supra se, & supra proprium naturale judicium, rebus etiam, quæ aliquando rationi naturali repugnare videntur, illudque fidei magi-

sterio

fterio subjicere; juxta illud Pauli 2. Cor. 10. v. 5. *in captivitatem redigentes omnem intellectum in obsequium Christi*. Ergo &c.

VII. Dices tamen primò contra primam partem. Illud est certius, quod habet plures causas suæ certitudinis; sed aliæ scientiæ habent plures causas suæ certitudinis, scilicet ex parte medii, & ex parte evidentiæ, & sunt certiores ex omni parte, nempe nedùm ex parte objecti, & medii, sed etiam ex parte subjecti. Ergo &c.

Respondeo, majorem esse veram, si cætera sint paria, quod non contingit in casu. Nam auctoritas divina, quæ est causa certitudinis in Theologia, majoris est certitudinis, imò majorem certitudinem potest parere, quam rationes humanæ cum certitudine, & evidentiâ. Quòd si non semper eam parit, hoc ex defectu subjecti accidit, quod eam non plenè assequitur. Undè D. Thom. 2. 2. *qu.* 4. *art.* 8. *ad* 1. loquens de dubitatione, quæ aliquando insurgit in intellectu circa ea, quæ sunt fidei. *Illa dubitatio* (inquit) *non est ex parte causæ fidei, sed quoad nos, inquantùm non plenè assequimur per intellectum ea, quæ sunt fidei*, sicut si noctua in meridianâ luce parum videat, aut nihil, non tribuitur defectui luminis, sed videntis: *Nihil enim prohibet* (inquit D. Thom. 1. *p. quæst.* 1. *art.* 5. *ad* 1.) *id, quod est certius secundùm naturam, esse quoad nos minùs certum propter debilitatem intellectus nostri, qui se habet ad manifestissima naturæ, sicut oculus noctuæ ad lumen Solis*. Hoc autem solùm probat, Theologiam esse minùs certam quoad nos, & secundùm quid, non autem simpliciter.

VIII. Hinc licèt cognitio principiorum naturalium habeatur sine discursu, cognitio verò Theologica per discursum, & cognitio habita sine discursu sit certior, utporè habens certitudinem ex se, & connexione immediatâ terminorum, non verò ab aliâ participatam; non sequitur adhuc, cognitionem principiorum fore secundùm se certiorem cognitione Theologicâ. Nam ratio hæc valeret quidem, si utraque cognitio esset ejusdem ordinis, scilicet naturalis, in quo non est dubium, quin cognitio, quæ certitudinem habet ex se, certior sit eâ, quæ certitudinem habet ab alio; sed cùm in casu cognitio, quæ est certa ex se, sit in ordine naturali, quæ verò certa est ex alio, sit in ordine supernaturali, & consequenter eam habeat à principio incomparabiliter certiori, ratio non valet, quia inter ea, quæ sunt diversi ordinis, comparatio non datur.

Similiter licèt intellectus, dum assentitur veritati naturali, necessariò prorsùs procedat, quia evidentiâ convictus; dum verò assentitur Fidei, vel Theologicæ veritati, liberè saltem radicaliter procedat, cum ex piâ motione liberè moveatur ad credendum; non sequitur firmiùs adhærere veritati naturali, quàm veritati Theologicæ. Quia illa pia motio cùm à Spiritu Sancto sit, quamvis liberè moveat, firmiùs tamen, & magis infallibiliter movet, quàm moveat natura ipsa necessitans ad assentiendum per evidentiam: sicut Deus agens liberè firmiùs agit quolibet agente naturali necessariò. Intantùm autem in scientiis naturalibus assensus liber non est æquè certus, ac necessarius, quia semper oritur ex medio fallibili, & non certo, quod proinde non infallibiliter obtinet assensum.

IX. Dices secundò contra eandem. Quod est causa certitudinis conclusionis Theologicæ est certius ipsâ conclusione; sed principia naturalia sæpè sunt causa certitudinis in conclusione Theologica; ergo hæc istâ sunt certiora. Maj. patet ex duplici Philosophico axiomate, nimirùm: *propter quod unumquodque tale, & illud magis*, & istud: *Conclusio semper sequitur debiliorem partem*.

X. Hoc argumento concluditur quidem, Conclusionem Theologicam deductam, ex unâ præmissâ de fide, & alterâ naturali fore minùs certam conclusione deductâ ex duabus præmissis de fide, ut multi existimant, non tamen fore minus certam etiam conclusione deductâ ex duabus præmissis solùm naturaliter notis, cujus oppositum hìc sustinemus.

Cæterùm respondeo dist. maj., quod est causa adæquata, & ratione sui certitudinis &c. est certius &c. conc. maj., quod est

est causa solùm in adæquata, nec influens nisi ratione alterius: nego maj., & similiter distinctâ min. nego consequentiam. Quia ergo propositio naturalis assumta in demonstratione Theologica non concurrit ad conclusionem, ut causa adæquata, neque ratione sui, sed ut elevata, & inserviens alteri præmissæ de fide, explicando veritatem, quam ipsa enunciat; ideo certitudo conclusionis ex ipsâ non desumitur, nec cum eâ commensuratur, sed unicè cum præmisśâ de fide. Sicut esto ad actum supernaturalem visionis Dei concurrat intellectus, & lumen gloriæ, quia tamen intellectus non concurrit, nisi per lumen, & ut elevatus à lumine, visionis claritas unicè correspondet lumini, non intellectui. Hinc ad illa duo axiomata; respondeo, quòd cùm sola præmissa revelata sit illa, quæ ratione sui immediatè influit, & propter quam Conclusio Theologica est certa, solùm sequitur, quòd præmissa revelata sit certior Conclusione Theologica. Ad secundum axioma dico, illud verificari, quando pars, seu præmissa debilior influit in conclusionem, quatenus est debilior, non verò quando, vel non influit, vel influit ratione partis fortioris. Observat tamen Sylvius in 1. *p. qu:* 1. *art.* 5., quòd hoc axioma non sic veritatem habet, ut oporteat omninò, defectum, qui est in præmissa debiliori, esse in conclusione: nam ex Philosophia constat, ex falso posse concludi verum, & ex contingenti necessarium; sed sic, ut defectus, qui fortè reperitur in conclusione, semper deputandus sit causæ debiliori. Aut alioquin intelligendum est, quando causa fortior non elevat debiliorem.

XI. Replicabis. Si ità est, quòd præmissa naturalis necessaria, ut elevata per præmissam de fide, possit ad conclusionem certam Theologicè concurrere, eâdem ratione dici poterit, quòd etiam præmissa naturalis probabilis, ut conjuncta cum præmissa de fide, possit concurrere ad Conclusionem Theologicam certam. Quod tamen est falsum.

Nego paritatem. Nam propositio naturalis necessaria est intrinsecè certa, & ex conjunctione cum præmisśâ de fide elevatur ad majorem certitudinem: at præmissa tantùm probabilis, cùm sit ex se intrinsecè fallibilis, & dubia, omnisque expers certitudinis, & per hoc, quòd assumatur in syllogismo Theologico, non judicetur, & approbetur à fide, vel Theologia ut certa, sed tantùm ut probabilis, remanet semper probabilis. In hoc tamen potest fieri paritas. Quòd sicut propositio certa naturaliter, dum assumitur à Theologia, induit majorem certitudinem, sic propositio probabilis induat majorem probabilitatem, quàm ex se haberet, quod non negabimus.

XII. Dices tertiò contra eandem primam partem. Propositio hæc disjunctiva: *Deus est trinus, vel non trinus:* quæ reducitur ad hoc principium naturale: *quodlibet est, vel non est:* certior est quâlibet categoricâ ipsam componente; ergo certior est hac categoricâ: *Deus est trinus:* quæ est propositio de fide; & sic datur aliquod principium naturale certius propositione de fide.

Respondet Gonet, quòd in hâc propositione: *Deus est trinus:* duplex certitudo considerari potest; una, quam habet ex vi contradictionis cum istâ: *Deus non est trinus*; ex illo primo principio: *quodlibet est, vel non est*; alia, quam habet ex lumine Fidei, & Divinæ Revelationis. Licèt autem si attendatur prima certitudo, propositio disjunctiva; *Deus est trinus, vel non trinus:* aliquomodo dici possit certior istâ categoricâ: *Deus est trinus*; non tamen si in istâ attendatur certitudo, quam habet ex eo, quòd est revelata. Sed quia hæc responsio concedit, veritatem revelatam in aliquo sensu esse minùs certam propositione aliquâ naturali. Ideo aliter responderi potest, negando absolutè anteced. cum Frassen. *dissert.* 1. *art.* 3. *qu.* 3. *concl.* 1.; nam eodem actu, quo quis assentitur huic veritati: *Deus est trinus*: eodem dissentitur propositioni oppositæ: *Deus non est trinus*. Sicque eo ipso, quòd proponitur, Deum esse trinum, proponitur, non esse ejus oppositum. Quare hæc propositio: *quodlibet est, vel non est*: continetur in propositione revelata, & est revelata virtualiter in articulo, quo esse trinum proponitur. Unde certitudo rei reve-

revelatæ non fundatur in illo principio, sed potiùs certitudo illius principii fundatur in certitudine rei revelatæ.

§. III.

Resolutio secundæ Partis.

XIII. Dico. Theologia nostra dignior est scientiis naturalibus. Ità D. Thom. *hoc art.* 5. cujus ratione probatur sic. Theologia comprendit in se speculativum, & practicum; atqui nulla alia scientia naturalis comprendit in se speculativum, & practicum; ergo ex hâc parte illas transcendit dignitate. Insuper superat dignitate omnes scientias, tum speculativas, tùm practicas. Speculativas quidem; Nam speculativarum scientiarum una est alterâ dignior, vel quia certior, vel quia circa digniorem materiam versatur; atqui Theologia superat alias scientias certitudine, ut §. præcedenti ostensum est; superat etiam dignitate materię, nam Theologia est de his principaliter, quæ suâ altitudine rationem transcendunt; aliæ verò scientiæ considerant ea tantum, quæ rationi subduntur: ergo Theologia superat dignitate omnes alias scientias speculativas. Superat etiam practicas; Nam scientiarum practicarum illa dignior est, quæ ad altiorem finem ordinatur, sicut civilis dignior est militari, quia bonum exercitus ad bonum civitatis, quod altius est, ordinatur; sed finis Theologiæ, quatenus est practica, est beatitudo æterna: ad quam sicut ad ultimum finem ordinantur fines omnium aliarum scientiarum practicarum; ergo est dignior omnibus aliis scientiis, tum speculativis, tum practicis.

XIV. Dices primò. Theologia accipit aliquid ab aliis scientiis; sed accipere inferioris est, non dignioris; ergo Theologia est inferior, non dignior aliis scientiis.

Respond. D. Thomas hîc ad 2., quòd Theologia *accipere potest aliquid à Philosophicis disciplinis, non quòd ex necessitate eis indigeat, sed ad majorem manifestationem eorum, quæ in hâc scientiâ traduntur. Non enim accipit sua principia ab aliis scientiis, sed immediatè à Deo per revelationem. Et ideò non accipit ab aliis scientiis tanquam à superioribus, sed utitur eis tanquam inferioribus, & ancillis, sicut architectonicæ utuntur subministrantibus, ut civilis militari. Et hoc ipsum, quòd sic utitur eis, non est propter defectum, vel insufficientiam ejus, sed propter defectum intellectus nostri, qui ex his, quæ per naturalem rationem (ex quâ procedunt aliæ scientiæ) cognoscuntur, faciliùs manuducitur in ea, quæ sunt supra rationem, quæ in hâc scientiâ traducuntur.* hæc D. Thom.

XV. Dices secundò. Scientia, quę habet certitudnem sine evidentiâ non est dignior scientiis, quæ habent certitudinem cum evidentiâ; sed Theologia habet certitudinem sine evidentiâ, alię verò scientiæ habent certitudinem cum evidentiâ; ergo &c.

Respondeo dist. maj. si certitudo sine evidentiâ sit minor certitudine cùm evidentiâ, conc. maj. si non sit minor, imò major, nego maj. cùm enim evidentia quæratur à scientiâ propter certitudinem, si absque evidentiâ haberi possit major certitudo, perfectior erit scientia sine evidentiâ, quàm scientia cum evidentiâ, cùm autem Theologia sine evidentiâ habeat firmiorem certitudinem, nixam primæ, & infallibili veritati; aliæ verò scientiæ cum evidentiâ habeant infirmiorem certitudinem, quia nixam rationi humanæ; ideò simpliciter dignior est Theologia &c.

XVI. Dices tertiò. Scientia dignior est, quæ perfectiùs objectum suum attingit; sed aliæ scientiæ ità se habent, nam objecti sui naturam, omnesque illius partes detegunt, & aperiunt; Theologia autem vix quidquam de objecti sui naturâ, & proprietatibus percipit; ergo &c.

Respod. dist. maj. si objectum, quod attingit, sit præstantius, vel æquè dignum, conc. maj. si objectum sit minus perfectum, nego maj. Nobilius est (ait Aristot. 1. *de animalibus*) autem parum attingere de nobilioribus subjectis, quàm multum de aliis. Et Divus Thomas 1. *part. quæst.* 1. *articul.* 5. *ad* 1., ait; *minimum, quod potest haberi de cogni-*

cognitione rerum altissimarum, desiderabilius est, quàm certissima cognitio, quæ habetur de minimis rebus. Cùm ergo objectum Theologiæ sit præstantissimum, & altissimum, & ex illius excessu procedat, quòd parum de illo assequatur, hoc non tollit, quin cæteris scientiis præstantior sit, quæ de rebus inferioribus tractant, quamvis majori claritate illas detegant.

Respondetur secundò. Hinc ad summum sequi, alias scientias naturales fore perfectiores relativè, & penes attingentiam sui objecti, cum quo magis proportionantur; non autem absolutè, & simpliciter. Ità idem S. Doctor loco laudato. Sicut visio Solis ab Aquila secundùm se, & ex objecto perfectior est visione candelæ ab oculo meo, quia illa à præstantiori, & acutiori potentiâ visivâ ett, & circa objectum præstant us. Secundùm attingentiam verò hæc dicitur perfectior; quia oculus meus magis proportionatur objecto candelæ, meliùsque eam comprehendit visu, quàm oculus Aquilæ proportionetur, & compreh ndat Solem.

XVII. Dices quartò. Ea scientia est ratione materiæ præstantissima, quæ est de objecto amplissimo, continente sub se objecta aliarum scientiarum; talis autem potiùs est Metaphysica, quæ, cùm habeat pro objecto ens, quatenùs ens, sub quo continetur etiam Deus, quod est objectum Theologiæ, sola habet objectum amplissimum, & subinde præstantissimum.

Respond. maj. esse veram, si cætera sint paria, idest si utraque scientia sit ejusdem ordinis, & sub eodem lumine suum objectum contempletur, quod in casu non contingit. Nam Metaphysica considerat quid m ens, ut ens, sed prout naturali lumine cognosci potest. At Theologia considerat Deum, prout tamen supernaturali tantum lumine potest cognosci; & propterea objectum formale Theologiæ nullo modo continetur sub objecto metaphysicæ, cùm ex his, quæ sunt diversi ordinis, unum non contineatur in alio. Et licèt etiam objectum metaphysicę contineret objectum Theologię, contineret illud continentiâ prædicationis; objectum autem Theologiæ continet omnia entia continentiâ causalitatis, qui continentiæ modus præstantissimus est.

§. IV.

Resolutio tertiæ Partis.

XVIII. Dico. Theologia nostra maximè, & simpliciter inter omnes scientias humanas sapientia est. Ità S. Doct. hic *art. 6*. Non loquitur hic D. Thom. de sapientiâ infusâ, quę Spiritus Sancti donum est, & impertat quandam rectitudinem Judicii circa divina conspicienda, & consulenda, procedentem ex caritate, quæ nos unit Deo. Sed de sapientia acquisita, quæ est una ex quinque virtutibus intellectualibus, enumeratis ab Arist. 6. *Ethic. cap. 4.* quæ habet judicare de rebus per altissimas causas; ut docet idem Angelicus 1. 2. *qu. 66. art. 5.*

XIX. Prob. ratione D. Thom. sic. Illa est maximè, & simpliciter sapientia, quæ de inferioribus disponit, & judicat per causas altissimas; sed Theologia nostra est talis respectu ad scientias naturales; ergo est maximè sapientia. Ma. explicatur. Cùm sapientis sit ordinare, & judicare, judicium autem per altiorem causam de inferioribus habeatur, ille sapiens dicitur in unoquoque genere, qui considerat causam altissimam illius generis. Hinc in genere ædificii artifex, qui disponit formam domus, dicitur sapiens, & architector respectu inferiorum, qui dolant ligna, vel parant lapides: unde dicitur 1. *Cor.* 3. 10, *ut sapiens architectus fundamentum posui*. Et rursùs in genere totius humanæ vitæ prudens dicitur Sapiens, inquantùm ordinat humanos actus ad debitum finem. Unde *Proverb. 10. v. 23. sapientia autem est viro prudentia*. Ille igitur, qui considerat simpliciter altissimam causam totius universi, quæ Deus est, maximè Sapiens dicetur; unde & sapientia dicitur esse *divinorum cognitio*, ut August. *lib. 12. de Trinit. cap. 14.* Minor etiam probatur. Theologia agit de Deo, secundùm quòd est altissima causa, non enim solùm agit de illo, quantùm ad illud, quod est per creaturas cognoscibile (quod Philosophi cogno-

cognoverunt, *Rom. 1. v. 19. Quod notum est Dei, manifestum est in illis*) sed etiam quantùm ad id, quod est notum sibi soli de se ipso, & aliis per revelationem communicatum: ergo Theologia &c. hinc vocatur Sapientia. *Deuteron. 4. v. 6. Haec est enim vestra sapientia. Ecclesiastici 39. v. 1. Sapientiam omnium antiquorum exquiret Sapiens, & in Prophetis vacabit. 1. Cor. 2. v. 6. & 7. Sapientiam autem loquimur inter perfectos: Sapientiam verò non hujus seculi, neque Principum hujus seculi, qui destruuntur: sed loquimur Dei sapientiam in mysterio, quae abscondita est*, quam nimirùm Christus spoponderat. *Luca 21. v. 15. Dabo vobis os, & sapientiam, cui non poterunt resistere, & contradicere omnes adversarii vestri.*

XX. Confirm. Theologiae aptantur omnes conditiones, quas in verâ Sapientiâ requirit Philosophus 1. *Metaphys. cap. 2.* Cognoscit enim quodammodo omnia: considerat enim Deum, qui est omnium causa, ejusque effectus; agitque propterea de ipso, ut supremo efficiente, & ultimo omnium rerum fine; ideòque de rerum omnium ab ipso emanatione, conservatione, gubernatione, atque in suos fines directione. Quare dici potest scientia omnium, non quidem in universali secundùm praedicationem, & cognitionem, quasi traderet principia, quibus res singulae cognoscerentur: sed quia fontem, ac principium omnium rerum, earumque ultimum finem aperit, & quidem divino, ac supernaturali lumine fidei innixa; quod certe multò nobilius est, quàm si traderet generales, & communes omnium rerum conceptus, earumque principia complexa, ut facit metaphysica. Secundò versatur circa difficilia: quid enim intellectu, & cognitu difficilius, quàm scrutari ea, quae omnem vim humanae rationis excedunt? Tertiò: est certissima, cùm ejus principia, & media certitudinem habeant ex Divino Testimonio, quo nihil certius. Quartò: non ordinatur ad aliam scientiam, sed ipsa est finis omnium; Unde & omnes ipsi subserviunt. Quintò tandem: habet judicare de veritatibus aliarum scientiarum, juxta illud *2. Cor. 10. v. 4. & 5. consilia destruentes, & omnem altitudinem extollentem se adversùs scientiam Dei.* Unde videmus, Theologiâ multos errores fuisse detectos, sive naturali Philosophiae, sive Jurisprudentiae repugnantes, multaque Philosophica asserta, quae videbantur Doctrinae Theologicae repugnantia, fuisse conciliata.

XXI. Dices primò. Theologia est scientia, ut dictum est; ergo non est sapientia, nam scientia condividitur sapientiae.

Respondetur nego consequentiam: ut enim ait D. Thom. *opusc. 70.* Sapientia non dividitur contra scientiam, sicut oppositum contra oppositum, sed quia se habet ex additione ad scientiam. Nam, ut ait 1. 2. *qu. 57. ar. 2. ad 1. Sapientia est quaedam scientia, inquantum habet id, quod est commune omnibus scientiis, ut scilicet ex principiis conclusiones demonstret, sed quia habet aliquid proprium supra alias scientias, inquantum scilicet de omnibus judicat*: idque non solùm quantùm ad conclusiones, sed etiam quantùm ad principia. Quare sicut anima rationalis eminenter continet vegetativam, & sensitivam, ità sapientia eminenter continet scientiam, & intellectum; non quidem sicut genus continet suas species, neque sicut totum integrale continet suas partes integrales, sed sicut totum potentiale continet suas potentias, quarum una est, quod in se habeat quidquid perfectionis est in scientiâ, & intellectu: quâ similitudine utitur S. Doctor *d. artic. 2. ad 2.* Proptereà in *1. dist. 35. qu. 1. art. 1. ad 5.* (inquit) *Sapientia scientia est: sed non convertitur: quia illa scientia sola sapientia est, quae causas altissimas considerat.*

XXII. Dices secundò. Scientia, quae supponit sua principia aliunde, non est sapientia, quia sapientis est ordinare 1. *Met. cap. 2.*; sed Theologia supponit sua principia aliunde, ut dictum est; ergo &c.

Resp. D. Thom. hoc *art. 6. ad 2.* majorem esse veram de scientiâ, quae supponit sua principia ab aliâ scientiâ humana, non vero de scientiâ, quae supponit sua principia ab aliâ scientiâ divinâ, à quâ oritur omnis scientiâ, & omnis sapientia.

XXIII.

XXIII. Dices tertiò. Ad sapientiam pertinet probare principia aliarum scientiarum, unde dicitur Caput scientiarum 6. *Ethic. c. 6.*; sed Theologia non probat principia aliarum scientiarum; ergo &c.

Resp. nego maj. ad sapientiam enim maximè supremam non pertinet probare principia aliarum scientiarum; quia vel sunt per se nota, & sic probari non possunt; vel non sunt per se nota, & tunc per rationem naturalem probari possunt, cui non nititur suprema Sapientia, sed Divinæ Revelationi. Ad sapientiam ergo pertinet judicare de veritate principiorum aliarum scientiarum (unde quidquid invenitur in aliis scientiis veritati hujus scientiæ repugnans, totum condemnatur ut falsum) & illa contra impugnates defendere. Videatur D. Thom. hoc *art. 6. ad 2.*

XXIV. Dices quartò. Ideò sapientia est nobilior scientiâ, quia explicat, & tuetur ejus principia; sed Theologia explicat, & tuetur principia, seu articulos fidei, & tamen non est nobilior fide; ergo &c.

Respondeo, ideò sapientiam esse præstantiorem scientiâ, quia explicat, & tuetur ejus principia per principia altiora: quod non facit Theologia erga articulos fidei; eos enim tuetur, vel ipsâ fide, vel per principia naturalia, ostendendo, principia fidei non repugnare Philosophiæ, quæ non sunt principia altiora; ideòque sicut aliæ scientiæ serviunt Theologiæ, ità Theologia famulatur fidei, non dominatur.

DUBIUM VI.

An Deus sit objectum Theologiæ.

§. I.

Resolutio dubii.

I. OBjectum, ut docent Logici, duplex est. Materiale, & formale. Materiale est res ipsa, circa quam potentia, aut habitus versatur. Formale verò est forma, seu formalitas, quam potentia, & habitus attingunt in objecto materiali, idest in re, circa quam versantur. V. gr. paries est objectum materiale visionis; formale est color, quem visus attingit in pariete. Hinc patet, quòd objectum materiale per se, & ratione sui non attingitur, sed solùm ratione objecti formalis.

Insuper quilibet habitus, vel potentia præter objectum materiale, & formale, habet etiam motivum, seu medium, per quod attingit objectum sibi proprium. Sic auctoritas Dei revelantis est motivum, propter quod fides assensum præbet revelatis. Sic lux est medium, per quod visus attingit coloratum. Hoc motivum, seu medium vocari solet objectum formale quo, seu ratio formalis sub quâ.

II. Veritas aliqua potest dici revelata dupliciter. Primò in se, & immediatè. Sic revelatum est, quòd Deus sit trinus in Personis, quòd Christus sit verè homo. Secundò mediatè tantùm, & in alio, nimirùm, quia ex aliâ in se, & immediatè revelatâ deducitur. Sicut ex istâ propositione: Christus est homo: quę est immediatè revelata, deducitur ista; Christus est risivus: quæ idèò dicitur virtualiter revelata. His stantibus.

III. Dico primò. Objectum materiale Theologiæ sunt Deus ipse, & res, quæ ad Deum referuntur. Probatur ex observatis: Objectum materiale alicujus disciplinæ est res illa, de quâ agit; sed Theologia agit de Deo, ut fert ipsa nominis etymologia, agit quoque de iis, quæ ad Deum referuntur; vel ut effectus ad causam, ut Angelus, Homo, aliæque Creaturæ, vel ut medium ad finem, ut sunt actus humani; aut tanquàm instrumentum, animatum quidem, & excellentiæ, sicut Christi humanitas, ad hominis lapsi reparationem: vel inanimatum, ut sunt Sacramenta, per quę gratia sanctificans homini confertur; ergo hæc sunt objectum ejus materiale.

IV. Dico secundò. Objectum formale Theologiæ est Deitas, seu Deus sub ratione Deitatis. Ità S. Thom. hìc *art. 7.*, & communiter Theologi omnes, etiam Scotistæ. Ratione ergo probatur sic. Objectum formale est ratio, seu forma, quam habitus primò, & per se quærit, & attingit in objecto materiali: sic debi-

ta

ta in actibus humanis rectitudo, ideò est objectum formale disciplinæ moralis, quòd primò, & per se à doctrina morali quæratur; Atqui Deitas sic se habet respectu Theologiæ, quæ nempè divinitatem quærit, tùm in Deo considerato in se, prout est Unus, & Trinus: tùm considerato extrà se, idest pro ut est, aut Creator, aut ultimus finis, aut Reparator, aut Præmiator Creaturæ rationalis; Ideò de creaturis agit, quòd sint quædam participatio divinitatis; ideo de Sacramentis tractat, quòd quidpiam divinum, participatum tamen, idest gratiam contineant: ideò tandem differit de multis rebus, quæ non sunt Deus ipse, quòd ad divinitatis cognitionem, quam ex suo primario fine quærit, nonnihil conferunt; ergo &c. Ità loquitur S. Doct. *art. 7.* laudato. *Propriè enim illud assignatur objectum alicujus potentiæ, vel habitus, sub cujus ratione omnia referuntur ad potentiam, vel habitum. sicut homo, & lapis referuntur ad visum, inquantùm sunt colorata: unde coloratum est proprium objectum visus. Omnia autem pertractantur in Sacrâ Doctrinâ sub ratione Dei, vel quia sunt ipse Deus, vel quia habent ordinem ad Deum, ut ad principium, & finem; unde sequitur, quòd Deus sit verè subjectum hujus scientiæ.*

Confirm. contra quosdam, qui pro objecto formali ponebant alia, nimirùm opera reparationis, & totum Christum, *attendentes* (inquit S. Thom.) *ad ea, quæ in istâ scientiâ tractantur, & non ad rationem, secundùm quam considerantur*. Sublato objecto formali tollitur habitus scientiæ; sed quamvis nullum esset opus meritorium, quamvis nulla forent Sacramenta, & Verbum Divinum carnem non assumpsisset, adhuc subsisteret Theologia; posset enim inferre plures conclusiones de Deo, ejusque attributis, & probare Deum esse æternum, quia immutabilis est; infinitum, quia ens per essentiam; & cætera, quæ de Deo per rationem à priori demonstrantur; ergo nec opera reparationis, nec Christus &c. sunt objectum formale Theologiæ.

V. Dico tertiò. Objectum formale quo, seu ratio formalis sub quâ nostra Theologia considerat deitatem, est revelatio virtualis, & mediata. Hoc innuit D. Thom. tum hìc *artic. 3. in corp., & ad 2.*, dum ait: *ea, quæ in diversis scientiis tractantur, potest Sacra Doctrina una existens considerare sub unâ ratione, inquantùm scilicet sunt divinitùs revelabilia; & in prologo 1. sent. art. 4.*, ubi ens divinum cognoscibile per inspirationem mavult ponere pro objecto Theologię, quàm Deum. Quapropter cùm hoc *artic. 7.* ponat pro objecto Theologiæ absolutè Deum, nullâ factâ mentione revelationis, dici debet, hìc loqui de objecto formali *quod*, ibi verò de objecto formali *quo*.

Probatur verò sic. Illud est objectum formale *quo*, seu motivum, lumen, ac medium alicujus scientiæ, vel habitus, sub quo, & per quod attingit, tùm objectum materiale, tum formale, circa quod versatur; in qualibet enim scientiæ, vel habitus objecto tria considerari debent, nimirum res, circa quas procedit, & hoc est objectum materiale; id, quod in tali re scientia per se considerat, & quærit, & hoc est objectum formale quod; & ratio sub quâ, seu medium, quo procedit in talis rei, & formalitatis consideratione, & hoc est objectum formale quo: Atqui Theologia attingit suum objectum, tum materiale, tùm formale per virtualem, & mediatam revelationem: Siquidem attingit utrumque, quatenus habet connexionem cum iis, quæ immediatè revelata sunt, seu quatenus ex immediatè revelatis per legitimam ratiocinationem deducitur, per quod a fide, & metaphysicâ discrepat; sed connexio illa, & deducibilitas nihil aliud sunt, quàm virtualis, & mediata revelatio: nam quod ex immediatè revelatis deducitur, in iis virtualiter, seu ut in causâ continetur; ergo &c.

Confirm. cum Theologia sit habitus essentialiter diversus à fide, & à metaphysica, debet habere medium, sub quo procedit, diversum à medio utriusque; sed per hoc, quòd habeat pro medio, & objecto *quo* virtualem revelationem, optimè distinguitur; quia medium quo fidei est formalis, & immediata revelatio;

tio; medium quo metaphysicæ, & cujusvis scientiæ naturalis est naturalis evidentia; ergo &c. Sic etiam salvatur, quomodo fides sit lumen principiorum Theologiæ, quia ea, quæ in lumine principiorum sunt immediatè nota, & per se, in scientiâ, & illo regulatur, sunt nota tantùm mediatè, & per aliud: ità ea, quæ immediatè revelata sunt in fide, in scientiâ Theologicâ mediatè, & per aliud revelata esse debent. Salvatur etiam subalternatio Theologię nostrę scientię Dei, & Beatorum: sicut enim istius objectum est Deus, ut clarè visus; ità illius debet esse Deus, non ut visus, sed ut obscurè cognitus in suis principiis.

§. II.

Solvuntur contraria.

VI. Objicies primò contra secundam conclusionem. Illud non est objectum alicujus disciplinæ, cujus existentia illi non præsupponitur; atqui existentia Dei non præsupponitur Theologiæ: illud enim non præsupponitur, quod demonstratur: existentia autem Dei demonstratur à Theologiâ; ergo &c.

Respondetur negando minorem. Theologia enim supponit de Deo auctore gratiæ, quo pacto est ejus objectum, quòd sit, & quid sit: hoc enim dictatur à fide; juxta illud Pauli *ad Heb. 11. v. 6. Credere enim oportet accedentem ad Deum, quia est.* Neque hoc potest saltèm à priori demonstrare, sed solùm à posteriori, dum per effectus ostendit, Deum esse, quod tamen non ex propriis, sed ex principiis extraneis facit: & hoc ideò, quia ipsius tanquam sapientiæ officium est, principia sua contra negantes defendere, & contra impugnantes tueri, & explicare.

VII. Objicies secundò. Objectum formale adæquatum alicujus scientiæ prædicari debet de omnibus objectis specialibus, quæ ab illâ scientiâ considerantur; sed Deitas non prædicatur de Angelis, de Sacramentis, de Gratiâ, de Virtutibus, quæ tamen in Theologiâ considerantur; ergo &c.

Respond. dist. maj. de omnibus &c., quæ considerantur per se, & primariò; conc. mai., quæ considerantur secundariò, & ratione alterius, subdist. debet prædicari in obliquo, co. maj. in recto, neg. maj. Objectum ergo debet prædicari quidem in recto de omnibus particularibus per se, & primariò ab illâ scientia inspectis; & sic Deitas prædicatur de omnibus divinis: de iis verò, quæ scientiâ considerat secundariò, & ratione alterius, sufficit, ut objectum prædicetur in obliquo, & sic deitas prædicatur de singulis enumeratis: licèt enim non sint Deus, sunt tamen, ut à Theologia inspiciuntur, vel effectus Dei, vel media conducentia ad Deum, ut finem supernaturalem.

VIII. Objicies tertiò. Objectum formale debet esse causa, & ratio formalis omnium proprietatum, quæ de objecto demonstrantur; at deitas non est causa, & ratio formalis innascibilitatis, quæ est in Patre, alioquin cùm Filius, & Spiritus Sanctus habeant Deitatem, essent formaliter innascibiles; ergo &c.

Respond. dist. maj. determinatè tamen, & relatè ad subjectum, in quo est, & de quo prædicatur, co. maj. aliter, nego maj. Sicut ergo naturalitas, seu mobilitas, quæ est objectum formale Physicæ, est ratio, atque causa formalis omnium proprietatum, quæ de corpore mobili demonstrantur, non tamen in omni corpore mobili easdem radicat proprietates, sed proprietates quidem generales radicat in omnibus, at verò speciales, solùm eas radicat determinatè ad subjectum, in quo est; unde eas, quas radicat in homine, non radicat in bruto: Ità deitas proprietates communes omnibus divinis radicat quidem in omnibus, sicut esse æternum, infinitum &c., quæ verò sunt particulares, has radicat solùm determinatè ad illam personam, cujus sunt proprietates, & sic est innascibilitas, quæ solius Patris propria est, ut distincti à Filio, & Spiritu Sancto.

IX. Objicis quartò. Illud omne pertinere debet in recto, & per se ad objectum Theologiæ, cui immediatè convenit ratio formalis sub quâ illius, at non soli Deo sub ratione deitatis, sed etiam omni enti supernaturali immediatè convenit

venit ratio formalis sub quâ Theologiae; Nullum enim ens supernaturale est, quod non possit immediatè, & per se revelari: ergo &c.. & consequenter objectum adaequatum Theologiae erit omne ens revelabile; sive divinum, sive non, Deus autem erit solùm objectum principale; quod innuit D. Thom. hìc *artic.* 3., ubi *in corpore* dicit, Theologiam considerare: *omnia quacumque sunt divinitùs revelabilia*. Quod repetit ad secundum, & ad primum dicit, Theologiam *agere de Deo principaliter*.

Sic resp. dist. ma. cui immediatè &c., ultimatè, conc. ma. tantùm proximè, neg. maj., & distinctâ eodem modo min. neg. consequentiam. Licèt enim ratio revelabilis proximè competere possit omni enti supernaturali, cùm tamen principaliter, & ultimò refundatur in ipsam deitatem, propter quam omnia revelantur, ipsa nedùm est objectum principale inter objecta revelabilia, sed etiam ipsa sola est per se revelabilis, & caetera ratione illius, & in hoc sensu loquitur D. Thom. citatus; unde ad primum explicans, quomodo Theologia principaliter agat de Deo, ait; *Sacra Doctrina non determinat de Deo, & de Creaturis ex aquo: sed de Deo principaliter, & de Creaturis secundùm quòd referuntur ad Deum, ut ad principium, vel finem*.

X. Contra. Si per impossibile nulla daretur revelatio de Deo auctore supernaturali, & solùm supponeretur cognitio de Deo auctore naturali, & alia entia supernaturalia revelarentur per fidem, adhuc Theologia subsisteret; ergo caetetera revelabilia aequè considerantur à Theologia.

Respondeo dist. ant. Theologia alterius speciei subsisteret, transeat: Theologia, quae modò est, nego ant. Sicut enim in factâ hypothesi non subsisteret fides, quae modò est, quae, utpote virtus Theologica, debet habere essentialiter pro objecto Deum; ità nec subsisteret haec nostra Theologia, quae modò est, sed alia esset Theologia diversae speciei.

XI. Objicies quintò. Patres docent, Theologiam circa solum Deum versari, non verò circa alia, esto, ut referuntur ad Deum. Opponunt enim disciplinam, quae tractat de Incarnatione, Theologiae, quae tractat de Deo. Sic Basilius *epist.* 141. *ne in Theologiam, idest in ea, quae divinitatis propria sunt, intenti, assumtionis mysterium contemnamus*. Et Cyrillus Alexandr. in hanc sententiam. Joa. 1. *In propria venit*, ait: *Valdè appositè ad sermonem de Incarnatione progreditur* (Evangelista) *ac subindè transit à merâ Theologiâ ad explicandam dispensationem Incarnationis, quam propter nos gessit Filius*. Hinc Patres solum Joannem, inter Evangelistas, appellarunt Theologum, quia solus Filii divinitatem apertè expressit.

Respond. Juenin. *dissert.* 2. de objecto Theologiae dist. antec. Patres opponunt Theologiae, sumtae ex vi nominis, vel secundùm ejus partem praecipuam, conc. Theologiae, sumtae secundùm naturam, vel adaequatè, nego antec. Patres ergo, cùm opponunt Theologiam Incarnationi, eam sumunt secundùm etymologiam, secundùm quam est *sermo de Deo*, vel secundùm partem praecipuam: praecipuè enim agit de Deo, & de aliis solùm, ut referuntur ad Deum; non eam accipiunt secundùm suam naturam, & adaequatè, prout dicit omnia objecta, etiam materialia, de quibus (licèt semper per ordinem ad Deum) sermonem facit.

XII. Objicies sextò contra tertiam conclusionem. Ratio formalis motiva objecti debet esse illi intrinseca; sed revelatio virtualis, cùm fundetur in extrinseco Dei testimonio, non est intrinseca objecto Theologiae; ergo &c.

Respond. majorem esse veram in scientiis naturalibus, quae procedunt ex principiis evidentibus, & in objectum feruntur propter illius evidentiam, quae illi intrinseca est. Non verò in Theologiâ, quae suas conclusiones deducit ex articulis fidei, quorum veritas, & certitudo habetur ex divino testimonio, quod rei attestatae extrinsecum est.

XIII. Objicies septimò contra eandem. Veracitas Divinae Revelationis ultimò resolvitur in deitatem, ideò enim testimonium illud verax est, & infallibile, quia divinum est; ergo deitas est ratio formalis, & objectum quo Theologiae.

Resp. dist. antec. ultimò resolvitur in dei-

deitatem, tanquam in motivum extrinsecum, & remotum, conc. antec. tanquam in motivum immediatum, & intrinsecum, nego anteced. Motivum enim immediatum, & intrinsecum, cur Theologia assentiatur suis principiis est, quia Deus verax in dicendo, ea revelavit, & hìc sistit ejus motivum; quòd autem Deus sit verax in dicendo, quia utpote summè sapiens non potest falli, & ut summè bonus non potest fallere, & hæc omnia habeat, quia Deus est, est motivum valde remotum, nec specificativum Theologiæ, quæ à solo motivo proximo speciem sumit.

XIV. Objicies ultimò contra idem. Objectum formale *quo* debet esse ità specificum, & proprium, ut nullatenus alteri ab eo conveniat; sed mediata, & virtualis revelatio non est specifica, & propria Theologiæ, cùm conveniat fidei; ergo &c. min. probatur; Ideò fides adhæret istis articulis: Verbum Divinum est consubstantiale Patri: Christus habet humanam, & divinam voluntatem; quia sunt mediatè, & virtualiter revelati, id est continentur in aliis articulis immediatè revelatis.

Respond. neg. min., ad prob. neg. antec. Fides enim, dùm adhæret illis articulis, præscindit ab hoc, quòd sint, vel immediatè, vel mediatè revelati: ut enim fides præbeat assensum, satis est, ut certa sit, Deum aliquem articulum revelasse. At Theologia non præscindit, sed determinatè fertur in suas conclusiones, ut mediatè solùm revelatas. Cùm enim assensus ejus sit per discursum, respicit conclusiones suas, uti deductas, & consequenter, ut contentas in principiis immediatè revelatis; & sic, ut revelatas solùm mediatè, & virtualiter. Hinc sequitur, articulos de consubstantialitate Verbi cum Patre, & de duabus voluntatibus in Christo, esse in Catholico Theologo articulos fidei, quatenùs tanquam Catholicus illos credit, ut revelatos: & simul conclusiones Theologicas, quia eas tanquam Theologus ex revelatis deducit; in simplici verò Catholico, qui Theologus non est, nec perpendit, illos esse contentos in aliis articulis, esse puros fidei articulos.

DUBIUM I.

An Theologia sit argumentativa.

§. I.

Resolutio dubii.

De hoc dubio plura dicta sunt quæstione præcedente, maximè Dubio secundo, & tertio; quare ne eadem inutiliter repetamus, strictim hìc loquemur, tyronem ad ibi dicta pro pleniori notitiâ remittentes.

I. Dico primò. Theologia nostra est argumentativa. Ità D. Thom. hìc *artic.* 8., quod probat in argumento *Sed contra* ex dicto Apostoli *ad Tit. c.* 1. oportere Episcopum esse potentem, *exhortari in doctrinâ sanâ, & eos, qui contradicunt, arguere*. Christus ipse Theologorum Princeps Supremus, ad convincendos contradictores argumentativè processit. Unde *Matth.* 12. Pharisæos redarguens, & ostendens, Apostolis licuisse vellere spicas die Sabbathi, argumentatus fuit exemplo Davidis, & ab eo, quod Sacerdotes faciunt in Templo etiam die Sabbathi. Alia ejus argumenta videri possunt *Matth.* 19. 21. 22., *Luca* 6. 11., & alibi, quorum multa fusè expendimus *quæst. præced. dub.* 2. §. 2. sicut etiam ex Paulo, quæ hùc sunt revocanda.

II. Probat D. Thomas hanc assertionem sic. Omnes aliæ scientiæ sunt argumentativæ, & argumentantur, dum ex principiis deducunt conclusiones; sed Theologia est scientia (ut probatum est) ergo est argumentativa.

§. II.

Quomodo sit argumentativa circa sua principia.

III. Dico secundò. Theologia non argumentatur ad sua principia probanda; ità D. Thom. hìc; & probat. Omnis scientia supponit sua principia, vel per se nota, vel in aliâ superiori scientiâ manifestata; sed Theologia est scien-

scientia; ergo supponit articulos fidei, qui sunt ejus principia jam nota; ergo ea non probat.

IV. Dices. Generalis mortuorum resurrectio est articulus fidei, & proinde principium Theologiae; sed Apostolus 1. *Cor.* 15. probat futuram generalem resurrectionem, quia Christus resurrexit; ergo &c.

Respondeo, Apostolum ibi argumentari contra eos, qui negabant resurrectionem mortuorum, atque ideò non agnoscebant illam pro principio Theologiae, quamvis non negarent Christum Dominum resurrexisse: & propterea ex Resurrectione Christi rectè colligit resurrectionem generalem omnium, argumento quidem non rigorosè demonstrativo, sed, vel ab actu ad potentiam, quasi diceret: Christus de facto resurrexit; ergo possibilis est resurrectio. Vel à causâ exemplari, & effectivâ, ut docet S. Thomas in *cap.* 15. 1. *ad Cor. lect.* 2. *&* 3. *p. quaest.* 56. Vel per locum à consequente, perinde, ac si diceret: Si resurrectio mortuorum non est, neque Christus resurrexit; atqui falsum est consequens; Christus enim resurrexit, ut vos non negatis; ergo falsum est anteced., nam sublato consequente tollitur antecedens; non enim dari potest consequens falsum, & antecedens verum in bonâ consequentiâ. Secundò probat ex inconvenientibus, quae sequuntur, si Christus non resurrexit. Videatur August. *lib.* 2. *de Doctr. Christianâ cap.* 31. *&* 32.

V. Ut ergo intelligatur; quomodo Theologus non possit probare sua principia, & quomodo possit. Sciendum primò, ea non posse probare à priori, neque à posteriori. Esto enim ceterae scientiae naturales probare possint sua principia (saltem à posteriori) id contingit, quia talia principia, utpotè naturalia, habent in naturâ effectus sibi proportionatos, cum quibus connectuntur, & qui assumi possunt ut medium ad ea probanda: atqui principia Theologiae, utpotè supernaturalia, nempe mysteria gratiae, utpotè excedentia humanae mentis, & rationis capacitatem, nullum in ratione naturali habent medium sibi connexum, quo ostendi possint, sive à priori, sive à posteriori; ergo &c. Imò nedùm probari nequit eorum existentia, sed nec possibilitas: omne enim medium ostendens rei possibilitatem, debet esse rei intrinsecum, vel cum intrinsecis rei connexum; nihil autem intrinsecè naturale potest esse intrinsecum, aut connexum cum intrinsecis rei in se supernaturalis.

VI. Sciendum tamen secundò, quòd licet Theologus argumentari non possit, ut probet sua principia esse positivè possibilia, potest tamen primò ea explicare, seu ab aliquo simili manifestare; vel ab inconvenienti ostendere, quod fecit Paulus laudato loco. Potest secundò contrà impugnantes tueri: & quidem sic, ut si aliqua admittant esse vera, ex concessis probet reliqua: sicut Paulus ex Christi resurrectione, quam concedebant, probat generalem omnium resurrectionem. Sic ex veteri testamento, quod Judaei concedunt, probat Incarnationem, & adventum Messiae, quem ipsi negant; Et veritatem veteris Testamenti, quam negant Manichaei, probat ex novo, quod concedunt, in quo vetus approbatur; & Catholicus probat realem Corporis Christi praesentiam in Eucharistiâ, quam negat Calvinista, ex novo Testamento, quod admittit. Si verò nullum omnino principium admittat, ut Gentilis, potest ostendere, mysteria fidei non esse impossibilia, solvendo omnia argumenta, quae in contrarium affert. Pro quo

VII. Sciendum tertiò, duplicem esse probationem, vel positivam, vel negativam. Probatio positiva fit per assumtum aliquod medium, quo ostenditur necessaria connexio praedicati cum subjecto; & hoc modo jam dictum est, principia Theologica probari non posse. Probatio negativa est, quâ evincitur, nullam esse repugnantiam in eo, quod affirmatur; & hic modus probandi, seu procedendi, est ostendere, non quidem positivè, mysteria fidei esse possibilia, sed solùm negativè, idest ea non esse impossibilia.

VIII. An autem Theologus hâc viâ procedens dici possit evidenter ostendere, argumenta contra fidem nullius esse momenti, & consequenter ostendere evidenter, saltem evidentiâ negativâ, mysteria

steria fidei non esse impossibilia: noto, argumentum Gentilis, vel Hæretici contra fidem posse esse vitiosum, vel ex parte formæ, vel ex parte materiæ. Si fit vitiosum ex parte formæ, certum est, quòd potest evidenter illud solvi; bonus enim Theologus, qui leges rectè discurrendi novit, evidenter ostendere potest, in quo peccetur contra formam rectæ argumentationis.

Difficultas est, an evidenter etiam solvi possint argumenta, quæ sunt vitiosa ratione materiæ, ideft quando antecedens falsum est, vel aliqua ejus pars. Videtur enim quòd non. Non enim potest evidenter ostendi falsitas ejus, quod assumitur, nisi ostendatur evidenter veritas opposita, quod hìc fieri non potest, quia talis veritas ad fidem pertinet.

IX. Hoc tamen non obstante, responsio affirmativa omninò tenenda est, cum D. Thom. *in fine corporis hujus artic.* 8., ubi, postquam docuit modum procedendi contra eum, qui nihil credit eorum, quæ revelata sunt, nimirùm solvendo rationes, si quis inducit contra fidem, subdit. *Cùm enim fides infallibili veritati nitatur, impossibile autem sit de vero demonstrari contrarium; manifestum est, probationes, quæ inducuntur contra fidem, non esse demonstrationes, sed solubilia argumenta.*

Quod confirmatur. Argumentum peccans ex parte materiæ, non solùm tunc solvitur evidenter, quando is, qui respondet, ostendit, ex ipsâ rei naturâ falsam esse aliquam propositionem, quæ assumitur, ut vera; sed etiam quando aliunde sufficientem reddit rationem, cur prudenter sibi persuadere possit, & sibi de facto persuadeat, eam esse falsam. Quapropter ad solvendum argumentum, quod contra veritatem fidei objicitur assumendo quidpiam falsum, non est necesse, quòd evidenter ostendatur falsitas propositionis assumtæ, sicut & veritas propositionis oppositæ; sed satis est, bonam reddere rationem, cur non videatur illa propositio esse recipienda tanquam vera; quibus respondetur argumento in contrarium adducto. Ità Sylvius ad hunc *artic. quæsito* 2.; quæ conferenda sunt cum iis, quæ tradunt Bannes ad 1. 2. *qu.* 32. *art.* 1. *dub.* 2. *conclus.* 1., & Cabrera 3. *p. qu.* 1. *art.* 2.

X. Potest ultimò Theologus evidenter probare, principia fidei esse credibilia, non solùm ostendendo, ea non involvere contradictionem, solvendo omnia argumenta, omnesque contradictiones, quæ contra ea objici possunt, ut dictum est, & Patres, Sacrique Doctores præstitere; Sed etiam positivè, adducendo motiva, quibus evidenter appareant credibilia: cujusmodi sunt miracula in confirmationem fidei facta; modus, quo Ecclesia, & fides propagata est; Universalis consensus doctrinæ, & morum; sanctitas, & alia, de quibus in tractatu de fide, si Deus annuerit, fusè loquemur.

XI. Neque hinc inferas: si misteria fidei positivè probari possunt, & evidenter, esse credibilia: ergo & possibilia; nihil enim est credibile, nisi verum, nihil autem est verum, nisi, vel existat, vel sit possibile, quia impossibile, neque est ens, neque proinde verum.

Nego enim consequentiam; licèt enim quod est credibile sit etiam possibile, non tamen hinc sequitur, si aliquid probatur evidenter credibile, probari etiam positivè, esse evidenter possibile. Nam ad probandam positivè, & evidenter credibilitatem sufficiunt media extrinseca rei creditæ, puta auctoritas dicentis, miracula modus mirabilis propagationis fidei, numerus sine numero eorum, qui pro eâ vitam dederunt &c.: quæ omnia præsto sunt. At ad probandam rei possibilitatem positivè, & evidenter, requiritur medium rei intrinsecum, quo probetur, prædicatum posse convenire subjecto; hoc autem medium non adest in naturâ.

XII. Neque dicas. Saltem probari potest, mysteria fidei non esse impossibilia; ergo probari potest, esse possibilia; quia inter esse impossibile, & possibile non datur medium.

Nego enim similiter consequentiam, & ejus probationem: quia, ut monet Philosophus *lib. de interpretat. cap.* 3., possibile, & impossibile non sunt contradictoria, quia utrumque est affirmativum; sed impossibile, & non impossibile: unde ex quo probetur mysteria fidei, non esse

esse impossibilia, solùm concludi potest, ea esse non impossibilia. Addo, quod e-sto inter possibile, & impossibile nihil mediet in re, tamen inter rem posse demonstrari positivè possibilem, & posse demonstrari positivè impossibilem, datur medium, scilicet, nec posse demonstrari positivè possibilem, nec posse demonstra-strari positivè impossibilem, dùm non apparent rationes urgentes, quibus possibilitas rei, vel impossibilitas evincatur, sed tantùm non impossibilitas.

QUÆSTIO III.

De Locis Theologicis.

DUBIUM I.

Quid, & quotuplex sit Locus Theologicus.

§. I.

Resolutio dubii.

I. Primus, qui hàc de re effuso stilo tractaverit, omnium consensu, fuit celeberimus vir, ac omnigenâ eruditione præditus Melchior Canus Ordinis Prædicatorum Episcopus Canariensis in suo verè aureo Opere, quod inscripsit *De Locis Theologicis*, atque in duodecim libros distribuit. Si pressius hanc materiam prosequi in animo esset, diuriùs sanè in eâ nobis immorari oporteret. Verùm, quia ad alia plurima transeundum nobis est, ut Theologicum cursum perficiamus, inter quæ multa ad hanc materiam spectantia tractanda erunt; Ideò hìc ea solùm, quæ ad instruendum tyronem de locorum Theologicorum notitiâ necessaria judicabimus, stricto calamo expendemus.

Quemadmodum ergo (inquit laudatus Canus *lib. 1. cap. ultim.*) *Aristoteles in Topicis proposuit communes locos, quasi argumentorum sedes, & notas, ex quibus omnis argumentatio ad omnem disputationem inveniretur; sic & nos peculiares quosdam Theologiæ locos proponimus, tanquam domicilia omnium argumentorum Theologicorum, ex quibus Theologi omnes suas argumentationes, sive ad confirmandum, sive ad refellendum inveniat.* Hæc Canus. Ex quibus habes Loci Theologici definitionem, nempe quòd sit: Domicilium, & sedes, ex quâ Theologus omnes suas argumentationes, sive ad confirmandas Theologicas veritates, sive ad refellenda contraria depromere potest.

II. Circa locorum Theologicorum numerum: alii plures, alii pauciores recensent. Canus usque ad decem loco' citato enumerat.

1. Est auctoritas Sacræ Scripturæ, quæ Libris Canonicis continetur.

2. Auctoritas traditionum Christi, Apostolorum, quæ quoniam scriptæ non sunt, sed de aure in aurem ad nos pervenerunt, vivæ vocis oracula rectissimè dixeris.

3. Auctoritas Ecclesiæ Catholicæ.

4. Auctoritas Conciliorum, præsertim generalium, in quibus Ecclesiæ Catholicæ auctoritas residet.

5. Auctoritas Ecclesiæ Romanæ, quæ divino privilegio, & est, & vocatur Apostolica.

6. Auctoritas Sanctorum veterum.

7. Auctoritas Theologorum Scholasticorum, quibus adjungi possunt Juris Pontificii periti: nam Juris hujus doctrina, quasi ex alterâ parte, Scholasticæ Theologiæ respondet.

8. Ratio naturalis, quæ per omnes scientias naturali lumine inventas latissimè patet.

9. Auctoritas Philosophorum, qui naturam ducem sequuntur, in quibus sunt etiam Cæsarei Juris Consulti, qui veràm & ipsi Philosophiam profitentur.

10. Et postremus est humanæ auctoritas historiæ, sive per auctores fide dignos scriptæ, sive de gente in gentem traditæ, non superstitiosè, atque aniliter, sed gravi, constantique ratione. Ità Canus.

III. Sylvius tamen in hunc *articulum 8. quæsito 3.* enumerat solos octo, Sacram Scripturam, traditionem, auctoritatem Ecclesiæ, decreta Pontificum, & Conciliorum, auctoritatem Patrum, & Scholasticorum, & rationem naturalem; omittens auctoritatem Philosophorum, & humanæ

manæ historiæ. S. Thomas hic ad secundum enumerat solos tres, nimirùm; auctoritatem Scripturæ, Doctorum, & Philosophorum. Verùm, ut benè notat Sylvius loco laudato, vel non fuit S. Thomæ propositum, recensere omnes locos, ex quibus Theologus potest argumenta desumere; sed solùm ostendere, Theologiam esse argumentativam, eo quòd aliquos habeat locos. Vel sub illis tribus, quos exprimit, alios implicitè comprehendit, ut sub auctoritate Scripturæ auctoritatem traditionum, Conciliorum, Ecclesiæ, & Pontificium: dùm enim in causâ fidei decernunt, semper loquùntur ex Scripturâ, seu ex Verbo Dei. Sub auctoritate Doctorum, auctoritatem Patrum, Scholasticorum, & Juris Pontificii interpretum. Sub auctoritate Philosophorum, auctoritatem humanæ historiæ scriptæ, vel traditæ, & naturalis rationis. Cùm ergo in his, licèt paucioribus, alii contineantur, à Cano expressiùs distincti, ejusdem enumeratio, utpote magis distincta, sustinenda est. Per omnes enim præfatos locos velut apis volitat, & spatiatur Theologus, ut inde mel veritatis per discursum efformet, aliter tamen, & aliter.

§. II.

An ex omnibus præfatis locis æqualiter argumentari possit Theologus.

IV. Observo, quòd ubi in aliis scientiis naturalibus principem locum obtinet ratio, locus verò ab auctoritate est infirmissimus, in hâc ex opposito primum locum obtinet auctoritas, postremum ratio naturalis. Licet enim locus ab auctoritate, quæ fundatur super ratione humanâ, sit infirmissimus, locus tamen ab auctoritate, quæ fundatur super revelatione divinâ, est efficacissimus. Cùm ergo Theologia, quæ, ut dictum est, nititur principiis revelatis Fide Divinâ, procedit ex Auctoritate Divinâ, procedit ex loco sibi proprio ad directè probandas suas conclusiones; cùm verò procedit ex ratione naturali, procedit ex loco sibi extraneo; nec ratione utitur ad directè suas conclusiones probandas, sed ad manifestanda alia, quæ in hâc doctrinâ traduntur; vel ad ostendendum ea, quæ ipsa tradit, rationi naturali non repugnare. Ut autem hæc, quæ indicat D. Thom. hoc *art. 8. ad 2.* pressiùs explicentur.

V. Observandum est, quòd licèt Theologus ex omnibus, & singulis præfatis locis possit sumere argumenta, non tamen ex omnibus æquè efficaciter argumentatur. Nam ex aliquibus argumenta sumit ad concludendum efficaciter, & necessariò; ex aliis verò solùm probabiliter: & propterea primi vocantur loci intrinseci, & proprii Theologiæ, alii verò extrinseci, seu extranei, & quasi in famulatum ejus ab externo advenientes.

VI. Locos ergo Theologiæ proprios, septem priores esse, censet Canus, nempe auctoritatem Scripturæ, Traditionis, Ecclesiæ Catholicæ, Conciliorum Generalium, Pontificum Romanorum, omnium Sanctorum Patrum, & omnium Scholasticorum in unâ aliquâ re fidem spectante concorditer, ac perpetuò consentientium. Alii solos tres assignant, ut proprios, & domesticos, nempè Scripturam Sacram Veteri, & Novo Testamento exaratam, Traditionem Christi, & Apostolorum, ad quam revocant communem Patrum, & Doctorum sensum in loquendo, & docendo, & fidelium in credendo; & auctoritatem Ecclesiæ, quæ Conciliorum, & Summorum Pontificum decreta complectitur.

VII. Loci verò Theologici, quasi extranei, & solùm probabiliter concludentes, sunt auctoritas unius, vel plurium Patrum, aut Scholasticorum, non tamen omnium, nec perpetuam, nec ex verbo Dei, sed ex humano sensu doctrinam loquentium, auctoritas Philosophorum, historiæ humanæ, & ratio naturalis.



DU-

DUBIUM II.

De Sacræ Scripturæ usu in argumentis Theologicis.

§. I.

Quid sit Sacra Scriptura, & quotuplex.

NOn agam hìc omnes quæstiones, de Sacrâ Scripturâ agitari solitas; has enim Lectoribus Sacræ Scripturæ tractandas relinquam; sed eas solas, quæ Theologo inservire possunt, ut ex Scripturâ Divinâ firmum trahere possit argumentum.

I. Scriptura Sacra nil aliud est, quàm Verbum Dei scriptum, seu epistola Dei ad homines. Sic D. Chrysostomus *hom.* 2. *in Genes.* postquam ait, Deum ab initio per se ipsum hominibus locutum fuisse: *sic enim ad Adam venit, sic Cain increpavit, sic cum Noë locutus; sic apud Abraham hospitatus est.* Posterioribus tamen temporibus, quia homines malitiâ suâ Dei familiaritate sese indignos reddiderant, nec se totum volens à genere humano avertere, imò suam amicitiam renovare, *quasi longè absentibus litteras mittit, conciliaturus sibi universam hominum naturam.* Et S. Augustinus *Conc.* 2. *in Psalm.* 90. *De illâ* (inquit) *Civitate, unde peregrinamur, littera nobis venerunt. Ipsa sunt Scriptura, qua nos hortantur, ut benè vivamus.* Denique S. Gregorius Magnus *lib.* 4. *ep.* 31. *al.* 40. ad Theodorum Medicum. *Imperator,* inquit, *Cali Dominus, Hominum, & Angelorum, pro vitâ tuâ tibi suas epistolas transmisit, & tu gloriose fili easdem epistolas ardenter legere negligis? Quid est autem Sacra Scriptura, nisi quadam epistola Omnipotentis Dei ad Creaturam suam?*

II. Triplici autem viâ scribere homini Deus consuevit. Primò viâ naturæ, hoc est per universas creaturas scripsit naturalem illam epistolam, & scripturam, seu potiùs patentissimum illud, & ubique diffusum librum naturæ, in quo, Apostolo teste *Roman. c.* 1. *v.* 20. *invisibilia ipsius à creaturâ mundi, per ea, qua facta sunt, intellecta conspiciuntur.* In quo *psal.* 95. *v.* 1. *Cantate Domino omnis terra.* In quo *psalm.* 18. *v.* 1. *Cali enarrant gloriam Dei.* Et *psalm.* 148. *laudate eum Sol, & Luna, laudate eum Stella, & Lumen, laudate eum Cali Calorum, & aqua omnes &c.* Hic est ille liber, de quo S. Antonius Anachoretarum parens, rogatus à Gentili Philosopho, quomodo in Eremo sine libris ageret, sapienter respondit apud Socratem *lib.* 4. *hist. c.* 13. *Meus liber, ò Philosophe, est natura rerum à Deo conditarum, in qua, quotiescumque fit animo meo visum, legere possum, qua Deus dicit.*

Secundò viâ Prophetiæ, quomodo scripsit per Prophetas in veteri Testamento, & per Apostolos, aliosque Sacros Scriptores in novo. Et hoc dupliciter. Primò quasi per seipsum scribens digito suo, quo pacto scripsit in duabus tabulis Legem Decalogi in veteri Testamento, juxta illud *Exod. c.* 31. *v.* 18. *Deditque Dominus Moysi, completis hujuscemodi sermonibus in Monte Sinai, duas tabulas testimonii lapideas, scriptas digito Dei.* In Novo autem Testamento scripsit per se ipsum Christus Dominus legem suam, non in tabulis lapideis, sed in corde Ecclesiæ, non atramento, & materiali calamo, sed digito, idest spiritu Dei, juxtà illud Pauli ad *Hebraos c.* 8. *v.* 10. *Dabo leges meas in mentem eorum, & in corde eorum superscribam eas.* Quod promisit Christus *Joann.* 14. *v.* 16. *Ego rogabo Patrem, & alium paraclitum dabit vobis, ut maneat vobiscum in aternum, spiritum veritatis.* Et *v.* 26. *ille vos docebit omnia, & suggeret vobis omnia quacumque dixero vobis.* Hæc autem Scriptura Divina in corde Ecclesiæ Spiritu Dei scripta, nil aliud est, quàm communis, ac perpetuus Ecclesiæ consensus, & concors omnium fidelium doctrina per continuas successiones ad nos usque recepta, juxta illud Pauli 2. *Cor.* 3. *v.* 3. *Epistola estis Christi ministrata à nobis, & scripta non atramento, sed Spiritu Dei vivi, non in tabulis lapideis, sed in tabulis cordis carnalibus.*

III. Secundo autem modo scribit Deus, suis Amanuensibus sacris dictando, vel verba,

verba, vel saltem sensum. Hoc modo scripsit totam Scripturam veterem Legis, & Prophetarum, juxta illud *Psalm.* 44. *v.* 2. *Lingua mea calamus scribæ velociter scribentis*. Et 2. *Reg. cap.* 23. *v.* 2. *Spiritus Domini locutus est per me, & sermo ejus per linguam meam*; Et illud S. Petri *ep.* 2. *cap.* 1. *v.* 21. *Spiritu Sancto inspirati, locuti sunt Sancti Dei homines*. Ità in novo Testamento per Evangelistas scripsit Evangelia, per Apostolos canonicas epistolas.

IV. Afferri solet tertius modus, nimirùm, quo Deus, nec scribit per se ipsum, nec alteri dictat, sed alteri committit scribere, & dictare, ei assistendo, & confirmando quod scribit. Ità se gessit in veteri Testamento, dùm Summos Pontifices in Cathedrâ Mosaicâ sedentes, delegavit ad decrèta, & sententias ferendas, eas suo quasi sigillo approbans, & confirmans, ut *Deuteron.* 19. *v.* 12. Ità etiam in novâ Lege se gerit erga suos in Terris Vicarios Romanos Pontifices, erga OEcumenica Concilia, erga Ecclesiam Catholicam, cui commisit canones edere, & decreta suo quasi sigillo approbans, & muniens, ait. *Lucæ* 10. 16. *Qui vos audit, me audit: & qui vos spernit, me spernit; qui autem me spernit, spernit eum, qui misit me*: Et *Matth.* 18. 17. *Si autem Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus, & Publicanus*. Verùm, quia hoc tertio modo reverà Deus, nec scribit per se. nec per alium, sed potiùs scripta ab homine regit, & approbat; ideo nomine Sacræ Scripturæ solùm venit Scriptura primo, & secundo modo, hoc est à Deo, vel scribente, vel dictante profecta.

V. Hanc Sacram, & verè Divinam Scripturam dari, eamque esse nostram, Propheticam videlicet, & Apostolicam nobis ab Ecclesia propositam; talesque esse omnes ejus libros in Tridentino Canone recensitos *sess.* 4. Decreto de Scripturis Canonicis, nimirùm xlv. veteris, & xxvii. novi Testamenti, nec plures, nec pauciores, invictè sustinemus, & contra hæreticos, aliquos eorum expungere conantes, alibi defensamus; Hoc maximè ratiocinio nixi, quòd determinare, quinam libri sint Canonici, & Divini, non ad quemcumque privatum pertinet, sed totius Ecclesiæ Catholicæ officium est, quam (ut dicebamus) Deus suo spiritu regit, cujusque decreta approbat tamquam sua; sed Ecclesia in Tridentino OEcumenicè congregata omnes præfatos tùm ex veteri, tùm ex novo Testamento Libros, ut Canonicos, Divinosque approbavit; ergo omnes habendi sunt, ut Canonici. Hoc ad præsens intentum sit satis. Alibi enim de hâc re fusiùs, si Deus annuerit, dicemus, omnesque libros tùm generaliter, tum sigillatim vindicabimus.

VI. Ex omnibus ergo præfatis libris poterit Theologus firmissima argumenta pro suis veritatibus astruendis, deducere, hoc tamen prudentiali monito instructus, ut si res illi sit cum hæretico negante auctoritatem alicujus libri esse divinam, confugiat ad textum ex alio libro, quem ille ut divinum admittat, ne à quæstione, quam cum eo agit, cogatur divertere ad aliam, nimirùm ad probandam auctoritatem illius libri. Quare si ad probandum, pium esse, & salutare offerre Sacrificium pro fidelibus defunctis, afferret factum Judæ Machabæi, quod narratur 2. *Machab. cap.* 12. *v.* 43., & ageret contra Lutheranum, vel Calvinistam, quamvis absolutè efficaciter procederet; contra illum tamen parum, vel nihil efficeret, qui statim negaret, auctoritatem illius libri esse divinam, & sic aliam litem cum eo contraheret interminabilem, nimirùm ut probaret, librum illum esse auctoritatis verè divinæ.

Pro uberiori tamen hujus notitiâ duo supersunt. Primum cùm Sacra Scriptura plures sensus habeat, ut docet D. Th. hìc *art.* 9., & 10., videndum est, an ex quolibet Scripturæ sensu possit Theologus eruere firmum argumentum. Secundum cùm ejusdem plures dentur editiones, & versiones, ex quanam debeat procedere, ut firmè procedat. Quod in duobus §. sequentibus præstare conabimur.

§. II.

§. II.

An ex quolibet Scripturæ sensu Theologus possit argumentari.

I. SCiendum hìc, per Divinæ Scripturæ sensum nihil aliud communiter intelligi, quàm id, quod Spiritus Sanctus Divinæ Scripturæ auctor intendit per Scripturam nobis significare: dixi per Scripturam, & non per Scripturæ verba, quia (ut dicemus) in Scripturâ ex intento Spiritus Sancti non solùm significant verba, sed aliquando etiam res.

II. Duplex ergo in sui primâ divisione communiter assignatur Sacræ Scripturæ sensus, nimirùm litteralis, & spiritualis, sive mysticus. Cujus rationem reddit S. Thomas hìc *qu. 1. art. 10. Auctor enim Sacræ Scripturæ est Deus, in cujus potestate est, ut non solùm voces ad significandum accommodet (quod etiam homo facere potest) sed etiam res ipsas. Et ideò, cùm in omnibus scientiis voces significent, hoc habet proprium ista scientia, quòd ipsæ res significatæ per voces, etiam significant aliquid. Illa ergo prima significatio, quâ voces significant res, pertinet ad primum sensum, qui est sensus historicus, vel litteralis. Illa verò significatio, quâ res significatæ per voces, iterùm res alias significant, dicitur sensus spiritualis, quia super litteralem fundatur, & eum supponit.* Hæc. D. Thom.

III. Hic autem sensus spiritualis trifariàm dividitur, nempè in Allegoricum, Tropologicum, seu moralem; & Anagogicum. Allegoricus est, cùm res gesta in veteri Testamento aliquid significat gerendum in novo, v. gr., exaltatio serpentis in deserto à Moyse, quæ designabat Christum exaltandum in Cruce. Tropologicus, seu moralis est; cùm ea, quæ in Christo sunt facta, vel in iis, quæ Christum significant, sunt signa eorum, quæ nos agere debemus, & ad componendos nostros mores diriguntur. Anagogicus, seu sursùm evehens est, cùm res in Scripturâ significat aliquid spectans ad Æternam Gloriam; ut v. gr. introitus Israelitici Populi in terram promissam, significat introitum Fidelis Populi ad Æternam Gloriam. Hi autem sensus hâc unicâ voce *Jerusalem* manifesti fiunt; ex D. Hieron. *in cap. 16. Ezech.* Hæc enim vox ad litteram significat Civitatem Judeæ. Civitas autem hæc significat allegoricè Ecclesiam; tropologicè Animam Justi; anagogicè Cœlestem Patriam. Hujus triplicis sensus rationem dat D. Thom. hìc, quia ex Apostolo *Hebr. 7. lex vetus figura est novæ Legis, & ipsa nova Lex, ut dicit Dionys. Eccles. Hierarch. part. 1. cap. 5. Est figura futuræ gloriæ. In nova etiam Lege, ea, quæ in Capite sunt gesta, sunt signa eorum, quæ nos agere debemus.*

IV. Item sensus litteralis est duplex; unus proprius, quem verba propriè accepta significant: Velut cùm dicitur: *diliges Dominum Deum tuum*, sensus litteralis est, Deum, ut verba sonant, esse diligendum. Alter verò metaphoricus, seu improprius, cùm verba à suâ propriâ ad impropriam significationem transferuntur. Ut dùm dicitur *Joan. 10. v. 27. Oves meæ vocem meam audiunt*, sensus litteralis est de populo fideli, per *oves* metaphoricè acceptas significato.

V. Sed quomodo sensus metaphoricus continetur sub litterali? Nunquid, cùm nominatur in Scripturâ brachium Dei, sensus litteralis erit, quòd in Deo sit brachium?

Dico cum D. Thom. hìc *art. 10. ad 3.*, sensum metaphoricum contineri sub litterali, quia significatur non per res, ut sensus spiritualis, sed per voces: Per voces autem significatur aliquid propriè, & impropriè. In sensu tamen improprio (ait D. Thom.) *nec est litteralis sensus ipsa figura: sed id, quod est figuratum. Non enim cum scriptura nominat Dei brachium, est litteralis sensus, quòd in Deo sit membrum hujusmodi corporale: sed id, quod per hoc membrum significatur, scilicet virtus operativa.*

VI. Porrò, ut sensus allegoricus pleniùs intelligatur, observandum est cum D. Augustino *lib. 15. de Trinit. cap. 9.*; duplicem esse allegoriam, unam vocum, aliam rerum. Prior est continuata vocum translatio, cujusmodi est in illo *Isaia 11. v. 6. Habitabit lupus cum agno; & par-*

& pardus cum hado accubabit: Vitulus, & leo, & ovis simul morabuntur &c. Non enim ea animalia, quæ per dictas voces significantur, debent intelligi; sed per metaphoram significatur, quòd gentes barbaræ, ac crudeles depositâ feritate, habitabunt cum populo Christiano, simplici, & mansueto. Et hæc allegoria pertinet ad sensum litteralem, seu historicum metaphoricum. Posterior allegoria est, quando ea, quæ sunt gesta in veteri Testamento, & etiam in novo, figurant, & significant alia gerenda in novo, vel spectantia ad Christum, vel ad mores nostros, vel ad æternam gloriam. Quare non omnis allegoria indicat sensum allegoricum condistinctum à sensu spirituali, sed sola allegoria in vocibus.

Præfati quatuor Scripturæ sensus litteralis, allegoricus, tropologicus, seu moralis, & anagogicus metricè vulgo sic designantur.

Littera, gesta docet: quid credas, allegoria.
Moralis, quid agas: quid speres, anagogia.

VII. Doctrina hactenus tradita cuilibet tyroni captu facilis, & obvia est, sed in ea applicanda labor maximus, etiam provectis. Cùm enim non in quolibet Scripturæ textu hi quatuor sensus inveniantur, difficile est, determinare, quinam fuerint sensus à Spiritu Sancto intenti, & maximè in illis textibus, de quibus Sanctus Spiritus nec ibi, nec alibi sese expressit.

In hâc re supponendum videtur certum, in omnibus Sacræ Scripturæ sententiis aliquem sensum litteralem, sive proprium, sive metaphoricum reperiri, quia sensus litteralis est fundamentum cæterorum.

VIII. Porrò regulæ ad cognoscendum sensum litteralem sunt. Prima, quando verba, in propriâ significatione accepta, sensum absurdum non faciunt, sunt ad litteram accipienda, & non ad metaphoram, aut tropos trahenda. Ità ex S. August. *lib. 8. de Genes. ad lit. cap. 7.*

Secunda, si alicujus sententiæ sensus, quem putamus litteralem, conveniat cum ipso contextu, nec repugnet dogmatibus fidei, & morum honestati, verè est litteralis. Ità ex eodem de *Doctrin. Christ. lib. 3. c. 10.* Sic cùm Christus dicitur agnus, leo, vitis, patet non esse in sensu litterali proprio accipienda. ex D. August. *tract. 80. in Joannem.* Sic cùm dicitur *Matth. 18. vers. 8. Si manus tua, vel pes tuus scandalizat te, abscinde eum, & projice abs te;* & *ibid. v. 9. Si oculus tuus scandalizat te, erue eum, & projice abs te.* Hæc verba ad litteram propriè, & ut verba sonant, non sunt accipienda, cùm morum honestati non congruant; Cùm nefas sit, se ipsum mutilare, sibique pedem, vel manum abscindere, aut oculum eruere; sed per metaphoram, idest si, qui te scandalizat, tibi sit carus, aut necessarius vitæ tuæ, sicut corpori tuo manus, pes, vel oculus, hunc à tuo contubernio, & conversatione statim abscindas, & abjicias.

Tertia, est collatio Scripturæ cum loco, & tempore, & scopo personæ scribentis. Ità S. Hieron. *lib. 2. in Jerem. c. 8.* Quare si non capias, cur Jeremias prædicens, mala è Babylone super omnes habitatores terræ ventura, dicat *cap. 1. v. 14. ab Aquilone pandetur omne malum:* cùm Babylon versùs Aquilonem non sit, sed versùs Orientem, vel Austrum; id facile disces, si consideraveris, Jeremiam non in Italia, aut Galliis scribentem, sed in Judæa prophetantem, & respectu Judeæ Aquilonarem esse Babylonem, non Australem, vel Orientalem.

Quarta, est collatio Scripturæ cum Scripturâ, seu textus cum textu, antecedentium cum consequentibus Scripturę locis: cùm D. August. *lib. 2. de Doctrin. Christ. cap. 6.* dicat: *Nihil enim ferè de illis obscuritatibus eruitur, quod non planissimè dictum alibi reperiatur.* Sic duratio v. gr. regni Antichristi, quæ à Danielè *cap. 7. v. 25.* satis obscurè exprimitur hisce verbis: *per tempus, & tempora, & dimidium temporis*, clariùs expressa invenitur à Joan. *Apocal. 11. v. 2.* dùm prædicit, quòd Civitas Sancta *mensibus quadraginta duobus*, idest tribus annis cum dimidio calcabitur, & apertiùs adhuc *versu tertio*, dùm dicit, quòd tunc regnabit homo ille peccati, cùm duo testes Henoch videlicet, & Helias prophe-

tabunt, *diebus mille ducentis sexaginta*. Et Christus, referente D. Basilio *lib. 1. de Baptismo*, quod obscurè dixerat *Matth. 6. v. 12. Thesaurizate vobis Thesauros in Cælo*, clariùs expressit *Luca 12. v. 33. Vendite, quæ possidetis, & date eleemosynam; facite vobis sacculos, qui non veterascunt, Thesaurum non deficientem in Cælis*.

Quinta, est collatio Scripturæ cum SS. PP. sententiâ. Hanc tradidit Tridentinum *decret. de edit.*, *& usu S. Libr.*, cùm declaravit, non licere interpretari Sacram Scripturam, contra unanimem Patrum sententiam.

Sexta, est collatio Sacræ Scripturæ cum Ecclesiæ Judicio. Hæc est regula omnium tutissima, quam præscribit Tridentinum laudato loco, *sess. 4.* dum statuit, nemini suæ innixo prudentiæ licitum esse Scripturam interpretari, & ad suos sensus contorquere *contra eum sensum, quem tenuit, & tenet Sancta Mater Ecclesia, cujus est judicare de vero sensu, & interpretatione Scripturarum Sanctarum*. Ab hâc regulâ quotquot recesserunt, in turpissimos errores, atque hæreses lapsi sunt.

Præter omnes præfatas regulas scitu dignas, advertat, qui lectionem Sacræ Scripturæ, ejusque interpretationem suscipit, ut ad eam accedat cum fide. Scriptum est enim *Isai. 7. v. 9.* juxta lxx. Interpretes: *Nisi credideritis, non intelligetis*. Secundò cum humilitate, quia *Prov. 11. v. 2. Ubi humilitas, ibi sapientia*. Et Christus *Matth. 11. v. 25. Confiteor* (inquit) *tibi Pater Domine Cæli, & Terræ, quia abscondisti hæc à sapientibus, & prudentibus, & revelasti ea parvulis*. Tertiò cum conscientia pura, quia Sapientiæ *1. 4. in malevolam animam non introibit sapientia, nec habitabit in corpore subdito peccatis*. Quartò cum oratione, quia non tàm à Libris, quàm à Deo lumen intelligentiæ debet procedere, & ab eo petendum cum Davide *Ps. 118. v. 34. Da mihi intellectum, & scrutabor legem tuam*. Unde S. August. *lib. 2. de Doctr. Crist. cap. 37. non solùm*, inquit, *admonendi sunt studiosi litterarum venerabilium, ut in Scripturis Sanctis genera locutionum sciant .... Verùm quod est præcipuum, & maximè necessarium, orent, ut intelligant*. Quod fecisse D. Thom. legimus, qui *nunquam se lectioni, aut scriptioni dedit, nisi post orationem. In difficultatibus locorum Sacræ Scripturæ, ad Orationem Jejunium adhibebat. Quin etiam sodali suo fratri Reginaldo dicere solebat, quidquid sciret, non tàm studio, aut labore suo se peperisse, quàm divinitus traditum accepisse*. Quintò denique omnibus præfatis addere debet assiduam Divinæ Scripturæ lectionem; eam enim commendat Christus dicens, *Scrutamini Scripturas Joa. 5. 39.* Commendat & Spiritus Sanctus *Josuè cap. 1. v. 8. Non recedet volumen legis hujus ab ore tuo; sed meditaberis in eo diebus, ac noctibus*; Commendat & D. Paulus suo *Timoth. epist. 1. cap. 4. v. 13.* dicens, *attende lectioni, exhortationi, & doctrinæ*.

IX. Quòd si quæras scire, quibus ducibus possis litteralem, vel quemcumque alium Scripturæ sensum assequi: disces ex Sixto Senensi *lib. 3. sua Bibliotheca Sancta*, sic metricè respondente.

Historiam Hebræis, & Græcis fontibus haustam,
Hieronymo disces duce.
Allegorias, anagogemque recludent, Origenes, & Ambrosius.
Exponent sensus formandis moribus aptos,
Chrysostomus, & Gregorius.
In dubiis, altàque locis caligine mersis,
Aurelius lucem feret.
At brevis, & facilis non est spernenda tyroni
Lirinensis expositio.

X. Præter præfatos quatuor sensus, alius excogitatur, vulgò dictus accommodatitius, seu per accomodationem; cùm verba Scripturæ rem unam significantia, usurpantur ad aliam significandam juxta beneplacitum, & existimationem usurpantis, propter aliquam convenientiam, quam inter utramque intercedere judicat. Quo pacto Sacri Oratores textus multos Scripturæ usurpant in concionibus, eos applicando viris sanctis, quorum texunt panegyrim: ut si hæc verba de Noe prolata *Ecclesiastici 44. v. 17. inventus est perfectus, justus, & in tempore iracundiæ factus est reconciliatio*: Vel ista de

de Abramo *ibidem* afferta *v.* 20. *non est inventus similis illi*: vel denique ista *v.* 26. De Isaaco *ibidem* dicta: *benedictionem omnium gentium dedit illi Dominus &c.* usurparet extendendo, & applicando ea D. Benedicto, Dominico, Francisco, Ignatio. Sed iste non est sensus proprius Scripturæ, sed interpretis, nec à Spiritu Sancto intentus, sed à Concionatore Srripturæ affixus.

XI. Quæres, an Sacra Scriptura sub eâdem litterâ contineat plures sensus litterales.

Respond. D. Thom. hoc *art.* 10. in fine corporis affirmativè, & afferens Augustinum *lib.* 12. *confess. ex c.* 18. 19. 20., & dicens: *Quia Auctor Sacræ Scripturæ Deus est, qui omnia simul suo intellectu comprehendit, non est inconveniens, si etiam secundùm litteralem sensum in una litterâ Scripturæ plures sint sensus.* Quod etiam indicat *lib.* 2. *sent. dist.* 12. *artic.* 2. *in respons. ad* 7., *& quæst.* 4. *de potentiâ art.* 1. Quem sequitur Sylvius, aliique quamplures ab eo citati in hanc *artic.* 10. *quæsito unico*. Et prob. potuit Deus plura, ac diversa iisdem verbis significare, & decuit Sacræ Scripturæ majestatem, ac fecunditatem: sicut enim excellentior esset artifex, qui unico instrumento posset facere multa artefacta, quàm ille, qui pro diversis artefactis diversis indigeret instrumentis. Et sicut perfectioris eloquentiæ est, paucioribus verbis plura complecti, quæ alius multis deberet dicere; Ità ad majorem Dei, & Scripturæ excellentiam pertinet, iisdem verbis plura significare.

Hinc illud *Genes.* 1. *In principio creavit Deus Cœlum, & Terram*, litteraliter significat, & *initio temporis*, & etiam *ante omnia*. Prior sensus evincit, Mundum non esse æternum, sed aliquando cœpisse. Posterior ostendit, Angelos non fuisse creatos ante Mundum corporeum. Priorem sensum usurpavit S. Aug. *lib.* 12. *confess. c.* 20., *&* 28. Posteriorem *l.* 11. *de Civ. Dei c.* 4. Utrumque verò idem S. Doct. *lib.* 1. *de Gen. ad lit. imperf. c.* 1., & Innocentius III. cum Concilio Lateran. dùm *cap. Firmiter tit. de summa Trinit.* resolvit dicens, quòd Deus *simul ab initio temporis utramque de nihilo condidit creaturam, spiritualem, & corporalem, Angelicam videlicet, & mundanam.*

Hinc etiam, quòd in *Psal.* 2. legitur: *Ego hodie genui te*, Paulus *Act.* 13. *v.* 33. de Christi resurrectione interpretatur. *Ad Hebr.* 1. *v.* 5. de generatione æternâ: quod etiam de temporali generatione rectè intelligi, tùm ex contextu patet, tùm ex D. Thom. super *cap.* 1. *ad Hebræos*.

Hinc illud *Isaiæ* 53. *v.* 8. *Generationem ejus quis enarrabit?* & de æterna Christi ex Patre, & de temporali ejusdem ex Matre generatione intelligi nihil vetat. Unde ex Patribus alii de æternâ, alii de temporali, alii (ut August. *homil.* 36. inter quinquaginta, nunc *ser.* 44., & Cyril. Alex. *lib.* 5. *in Isaiam* cum D. Hieronym.) de utrâque accipiunt.

XII. Neque inferas, si una littera multa significat, sequi ambiguitatem, & æquivocationem, & argumentationem ex litterâ habente plures sensus fore fallacem; quia, ut ait D. Thom. 3. *p. quæst.* 60. *art.* 3. *ad* 1. *tunc est signum ambiguum, præbens occasionem fallendi, quando significat multa ad unum non ordinata.*

Nam benè respondet Sylvius laudato loco, tunc esse quidem signum ambiguum, præbens occasionem fallendi, & vitians argumentationem, quando aut is, qui illud assumit, non intendit, nec declarat, se ea multa significare, sed solùm unum ex illis; aut intendat quidem ea multa significare, sed disjunctivè, & cum animo illum fallendi. Non tamen quando qui assumit illud signum, intendit, & declarat, se ea multa determinatè, & simul significare, ut in casu nostro. Hinc benè ait Lorcas, æquivocationem esse vitiosam, quando unicum tantùm significatum intenditur, & exprimitur verbis æquivocis; sed quando quidquid verba significant, intenditur, non est (inquit) vitiosum, sed profundum uti verbis, quæ plura significent. Videri potest Sylvius laudato loco, alia de hâc materiâ doctè, & eruditè afferens. Nobis sufficiet pro sufficienti novitii candidati instructione

hæc delibasse. Ad rem ergo nostram veniendo.

§. III.

Resolutio quæsiti.

XIII. Dico primò. Ex sensu litterali proprio Sacræ Scripturæ firmum semper eruitur argumentum Theologicum. Prob. Ex eo sensu Scripturæ firmum semper eruitur argumentum, qui est sensus Spiritus Sancti, & à Spiritu Sancto per verba Scripturæ intentus; sed talis est sensus litteralis; ergo &c. Unde D. Thom. hoc *art. 10. ad 1.* dicit, quòd *nulla confusio sequitur in Sacra Scriptura, cùm omnes sensus fundentur super unum, ex quo solo potest trahi argumentum.*

XIV. Prob. secundò. S. Paulus *2. ad Timoth. 3. v. 16. Omnis Scriptura divinitus inspirata utilis est ad docendum, ad arguendum &c.*, sed hoc maximè præstat per sensum litteralem, qui faciliori negotio veritatem ostendit, & omnibus idioma noscentibus, & voces apertus est; & licèt in aliquibus contextibus obscurus sit, vel illi contextus non deserviunt ad suadendas, & probandas Catholicas veritates; vel collati cum aliis Scripturæ textibus illustrantur, & (ut §. præcedenti diximus) non desunt Theologo regulæ, & viæ ad illum inveniendum; ergo &c.

XV. Dico secundò. Ex sensu mystico, & etiam metaphorico potest Theologus aliquando firmum deducere argumentum, ex accommodatitio verò nunquam. Prima pars probatur. Ex eo potest Theologus firmum ducere argumentum, ex quo argumentati sunt Christus, & Apostoli; sed ex sensu mystico argumentati sunt Christus, & Apostoli: ergo &c. Min. prob. Christus ex serpente æneo exaltato à Moyse *Num. 21.* arguit se fore exaltandum in Cruce *Joan. 3. v. 14.* Ex eo, quòd Jonas tribus diebus, & tribus noctibus fuerit in ventre piscis *Jonæ 2. v. 1.* arguit, se fore similiter in corde terræ *Matth. 12. v. 40.* S. Paulus ex eo, quòd Abraham habuit duos filios, Ismael de Ancilla, & Isaac de libera *Genes. cap 16. v. 15., & 21. v. 2.* allegoricè arguit ad *Galat. 4. v. 22.* Deum esse auctorem utriusque Testamenti, veteris, & novi, & patrem duorum populorum, Judæorum, & Gentilium. Ex eo, quod de Agno Paschali dicitur *Exodi 12. v. 46. Os non comminuetis ex eo*, arguit mysticè S. Joannes in Evang. *cap. 19. v. 36.* Christo in Cruce non fuisse frangenda crura.

Probatur etiam hoc discursu: ex eo sensu potest firmum erui argumentum, qui est à Spiritu Sancto volitus, & super litteram fundatus; sed talis est sensus spiritualis, & mysticus, ut in exemplis allatis ostensum est: Deus enim Scripturæ auctor nedum voces ad significandum usurpat, sed etiam rebus imponit pro suo libito, ut alia significent. Hinc S. Paulus *1. Corinth. 10. v. 11.* Cùm præmisisset, Patres veteris Testamenti omnes sub nube fuisse, ait: *hæc autem omnia in figura contingebant illis: Scripta sunt autem ad correptionem nostram, in quos fines seculorum devenerunt*; & *ad Hebr. 10.* post longam, & accuratam per plura capita discussionem symbolorum veteris Testamenti respectu novi, intulit hanc causalem *v. 1. Umbram enim habens Lex futurorum bonorum &c.*, utique futurorum in Lege Evangelicâ, quàm figurabat Lex, & in quo persuadendo totus est in illâ epistolâ Paulus.

XVI. Dixi, sensum mysticum *aliquando* præbere Theologo firmum argumentum: non enim semper ex eo potest firmiter arguere, sed tunc solùm, quando constat, eum fuisse taliter à Christo, aut Apostolis usurpatum, vel ex Scripturâ colligitur. Cùm enim res, in quibus sensus mysticus fundatur, variam habeant similitudinem, & convenientiam, varium etiam, & ancipitem possunt referre sensum mysticum, nisi aliunde constet certò, quem referant: quod certò constare nequit, nisi ex ipsâ scripturâ, & exemplo Christi, & Apostolorum. Sic Leo ob sui rapacitatem *1. Petri 5. v. 8.* usurpatur ad significandum Diabolum, qui ibi dicitur *Leo rugiens*. Propter suam fortitudinem designat Christum, qui *Apoc. 5. v. 5.* dicitur *Leo de Tribu Juda*. Propter suam feritatem adumbrat adversarium

rium quemque, qui *Psalm. 16. v. 13.* dicitur *Leo paratus ad prædam*. Et *Psal. 21. v. 22. Salva me de ore Leonis*. Ob firmitatem, & constantiam justum designat. *Prov. 28. v. 1. Justus quasi Leo confidens absque terrore erit*. Ergo in sensu mystico, & metaphorico nulla inter probandum, & arguendum vis est facienda, nisi vel ex contextu, vel exemplo Christi, & Apostolorum constet, quo sensu sit accipiendum.

XVII. At huic resolutioni videtur obstare D. Thomas, qui hoc *art. 8. ad 1.* dicit, *sensum litteralem, ex quo solo potest trahi argumentum, non autem ex iis, quæ secundùm allegoriam dicuntur*. Et in corpore articuli dixerat, quòd *sensus litteralis est, quem auctor intendit*. Ergo ex sensu mystico non potest trahi argumentum.

Respondeo, D. Thomam confirmare potiùs nostrum assertum, quàm destruere: vult enim, quòd ex solo sensu litterali possit trahi argumentum absolutè, quia est primò intentus ab Auctore Sacræ Scripturæ, nec sensum multiplicem reddere potest; non verò ex sensu spirituali, nisi in quo sensu fuerit ab Auctore Sacræ Scripturæ usurpatus constiterit, vel Christi, vel Apostolorum exemplo, vel ex ipso Scripturæ contextu. Quod verò ità senserit D. Thomas ostendo. Ex eo enim sensu trahi potest argumentum, quem constat fuisse inditum ab Auctore Sacræ Scripturæ; sed D. Thomas ibi ostendit, non solùm sensum litteralem, sed etiam spiritualem fuisse inditum, & intentum ab Auctore Sacræ Scripturæ; dicit enim in *corp. articuli, quòd Auctor Sacræ Scripturæ est Deus, in cujus potestate est, ut non solùm voces ad significandum accommodet, sed etiam res ipsas, & quòd significatio, quâ res significant, dicitur sensus spiritualis*; ergo &c.; quia verò non semper certi sumus, quem sensum Sacræ Scripturæ Auctor illis rebus accommodarit, ideò non semper, sicut ex litterali, ex eo firmum trahere possumus argumentum, neque ex hoc *aliquid deperit Sacra Scriptura* (addit S. Doctor ad primum) *quia nihil sub spirituali sensu continetur fidei necessarium, quod Scriptura per litteralem sensum alicubi manifestè non tradat*.

XVIII. Secunda vero asserti pars probatur. Cùm enim sensus accommodatitius, non sit à Spiritu Sancto cum litterali nobis consignatus, nec eum respiciat Auctorem, sed à quolibet interprete pro ingenii sui dexteritate, & arbitrio Sacræ Scripturæ accommodatus, & quasi affutus, certum est, nullam ei vim inesse divinam ad res fidei tuendas, & contra impugnantes propugnandas, sed solùm humanam. Hinc S. Hieron. *lib. 2. in Matth.* explanans illud *cap. 13.* de fermento, quod abscondit mulier in farinæ satis tribus; postquam similitudinem hanc adorando Trinitatis mysterio adaptasset, subjunxit: *Pius quidem sensus, sed nunquam parabola, & dubia enigmatum intelligentia potest ad auctoritatem dogmatum perducere*; & D. Augustinus *epist. 48.* modò *93.* arguens Donatistas, qui Ecclesiam in solâ Africâ eorum patriâ illæsam, & puram remansisse suadere volebant ex illo *Cant. 1. 6. Ubi pascas, ubi cubes in meridie*. Postquam hujus textus pravam usurpationem variè, & mirè impugnasset, concludit: *Quis autem non impudentissimè nitatur, aliquid in allegoria positum pro se interpretari, nisi habeat, & manifesta testimonia, quorum lumine illustrentur obscura?* Quæ verba confirmant etiam observationem à nobis factam pro primâ parte hujus asserti, quâ diximus, ex sensu mystico non posse duci argumentum firmum, nisi constet, illum reverà fuisse rei à Spiritu Sancto accommodatum. Nisi enim id constiterit, hærebimus semper, an ille sensus sit Spiritus Sancti, an noster, an verè spiritualis, an solùm accommodatitius. Quibus satis instructum hâc de re tyronem meum existimo.



§. IV.

§. I V.

Quanam Scripturarum editio deservire possit Theologo ad certò probandas suas conclusiones.

DE variis Sacræ Scripturæ editionibus fusè alibi egimus. Nunc verò pro aliquali tyronis notitiâ, & regulâ, ne fortè in arguendo decipiatur

XIX. Sciat, oportet, autographos, seu originales libros, & primævos veteris Testamenti hebraicè fuisse omnes conscriptos, exceptis Tobiæ, Judith, Esdræ, nec non Danielis libris chaldaicè primitus datis, & 2. Machab. (juxta S. Hieronymum) græcè primò conscripto.

Autographos, & originales novi Testamenti libros primò datos fuisse græcè, si tamen excipias Evangelium Matthæi Hebraicâ linguâ, seu Syriacâ, Hebræis tunc vulgari, primitùs scriptum, sicut & Epistolam Pauli ad Hebræos, licèt Origenes, & Clemens Alexandrinus eam græcè fuisse scriptam autument. Excipiunt alii Evangelium Marci Romæ, & latinè primò scriptum opinantes: quibus tamen non adhæremus.

XX. Sciat secundò, nos hodie Scripturæ Sacræ autographa, seu originalia habere nulla, sed apographa sola, & exemplaria, variasque editiones diversâ linguâ, diversis temporibus ortas, quæ ad quatuor istas reducuntur, nimirùm ad Hebraicam, Græcam, Latinam, & Vernaculam, seu Vulgarem. Ad Hebraicam reducuntur Chaldaica, Syriaca, & Samaritana. Sub Græca, & Latina continentur versiones variæ ex illis factæ. Ad Vernaculam verò referuntur Arabica, Æthiopica, Persica, Gallica, Germana, Hispana, Anglica, Italica.

XXI. Editio Hebraica Sacrorum Codicum dicitur illa, quæ à Moyse, & Prophetis litteris scripta fuit Hebraicis, quæque Captivitatis Babylonicæ tempore ex integro, (ut aliqui volunt) deperdita; aut (ut alii veriùs) dispersa, vitiata, & corrupta, fuit per Esdram, vel ex integro edita, vel suæ puritati restituta, sine tamen punctis vocalibus, cùm hæc post S. Hieronymi tempora fuerint addita à Rabbinis Tiberiensibus, ut probabiliùs censent Eruditi. An hæc sit apud nos pura, an vitiata; & an levibus, vel gravibus mendis scatens, non disputamus. Authentica tamen nobis dici non potest, quia de illius cum originali conformitate, nullo nobis Ecclesiæ judicio constat.

XXII. Editio Chaldaica, qualis apud nos est, nihil aliud est quàm Divinæ Scripturæ ex Hebraicâ in Caldaicam linguam translatio, non de verbo ad verbum, sed de sensu ad sensum; unde paraphrasis Chaldaica vulgò dicitur potiùs, quàm Versio. Auctores ejus fuisse Rabbini censentur; quonam ævo, an ante, vel post Christum, sub lite est. *Targum* ab Hebræis (hoc est interpretatio) nuncupatur, Babylonicum unum, & Hierosolymitanum alterum. Quidquid tamen sit de auctore, dè tempore, quo primò prodierit, certum est, eam scatere variis Judæorum fabulis, & Talmudistarum nugis. Utilis tamen esse potest Theologo ad Judæos de Sanctissimæ Trinitatis mysterio, & Venerandæ Incarnationis convincendos.

XXIII. Editio Syriaca, cujus incertus est auctor, tempus, & auctoritas, sic dicitur, quia Syriacis scripta characteribus. Syriaca lingua ex Hebræâ prodiit & Caldaicâ, tanquam utriusque corruptio: cùm enim Hebræi in Babilonica Captivitate constituti, ut Caldaicam discerent, paulatim Hebraicam linguam dediscerent, factum est, ut nec congruè, & perfectè Chaldaicè, nec Hebraice ampliùs, sed linguam mixtam ex Chaldaicâ, & Hebraicâ loqui cæperint, quæ Syriaca dicta est, facta etiam post Captivitatem Judæis vernacula; quâque Christus fuisse usus, & Apostoli creduntur; & adhùc etiam utuntur Maronitæ in suis sacris ritibus, qui vicos, & pagos per Libanum dispersos hodie incolunt. Esto autem hæc editio judicio Ecclesiæ non fuerit comprobata, & proinde non authentica, utilis tamen esse potest. Primò, ad latinam nostram multis in locis firmandam. Secundò, ad multa ejus obscura, & difficilia penetranda. Et tertiò, ad revincendos recentiores hæreticos, quòd in titulis capitum mentionem faciat jeju-

junio-

juniorum Quadragesimæ, venerationis S. Crucis, commemorationis Defunctorum, & aliorum, quæ tanquam humanas, ac superstitiosas traditiones expuunt Lutherani, & Calvinistæ.

XXIV. Editio Samaritana, quia primitùs Hebraicâ linguâ, tunc Hebræis, & Samaritanis communi, etsi characteribus Samaritanis conscripta, ad Hebraicam meritò reducitur. Porrò characteres Samaritanos esse Hebraicos antiquos, censet S. Hieronymus in Prologo Galeato; cùm Esdram auctorem habeant characteres novi, queis hodie utuntur Hebræi. Incerti auctoris est hæc versio, & longè antiquior Christi temporibus, non tamen authentica; quia nondùm per Ecclesiam judicata hebraico autographo conformis.

XXV. Versio Græca, licèt multiplex sit (ut dicemus) omnium tamen prima censenda illa est, quam curante Ptolomeo Philadelpho Rege Ægypti lxx. Interpretes ediderunt. De quâ fusè alibi dicimus: ducentis, & quinquaginta circiter annis ante Christum edita creditur. Eâ usa est Ecclesia in suis initiis per sexcentos circiter annos, & hodie utitur Ecclesia Græca, imo eâ usos fuisse Apostolos, & Evangelistas, censent Eruditi. Proptereà esto non sit habenda, ut authentica quia Ecclesiæ judicium eam declarans autographo hebraico conformem non accessit, magnâ tamen in veneratione habenda est, utpote variis SS. Patrum commentariis illustrata, & ad vulgatæ nostræ plures locos elucidandos summopere utilis.

XXVI. Post hanc lxx. Interpretum versionem aliæ, quarum tamen nobis nonnisi fragmenta remanserunt, nimirùm Aquilæ, Theodotionis, Symmachi, Anonimæ duæ, Origenis, & S. Luciani, & Hesichii, recensentur.

Primam edidit *Aquila* genere Ponticus, primò Christianus, sed quia astrologiæ judiciariæ nimiùm vacaret, ejectus ab Ecclesiâ, ex Christiano factus Judæus, & irruens in lxx. Interpretum versionem, aliam à sui cerebro Sacrorum Codicum depromere aggressus est, in quâ vaticinia de Christo quoad posset, subverteret, quam reipsâ edidit circa annum Christi 130., de quo S. Epiph. *l. de ponderibus, & mensuris*, Euseb. *hist. lib. 6.*, & Baronius *ad ann. Christi* 130., unde hæc versio repudianda est.

Secundam adornavit Theodotion Ephesinus, Tatiani hæretici primò discipulus, deinde Marcionis Sectarius, tandem Judæus factus, eâ lege, ut vetus Testamentum, & novum græcè redderet, quod & præstitit circa annum Christi 184., multa addens, multa etiam minuens; quem inter Judaizantes hæreticos reijcit S. Hieronym. *prologo in Job.* Ex quibus vides quanti facienda sit ejus versio. Consule Baron. *ad ann. Christi* 184.

Tertiam lucubravit Symmachus circa ann. Christi 200. Is genere Samaritanus, cùm à suâ gente nil honoris sibi deferri videret, transivit ad Judæos: deinde ex Judæis ad Christianos, demùm Ebionis Sectarius factus, suam versionem, non verbum ex verbo, sed sententias ex sententiis reddens (ut ait S. Hieron. *in c. 36. Jerem.*) adornavit. Consuli possunt Hieron., Baronius, Philastrius, & Myræus. Hæc versio suspecta haberi debet.

Quarta, auctoris anonymi, Hierichuntina dicitur, quia in quibusdam doliis apud Urbem Hiericho, anno Imperii Caracallæ 7. reperta, teste S. Epiphanio.

Quinta, ignoti pariter auctoris, Nicopolitana nuncupatur, quia in dolio similiter inclusa apud Nicopolim reperta, Imperante Alexandro Mammeæ filio.

Sexta, est Origeniana, auctorem habens Origenem, quæ potiùs quàm versio, præcedentium versionum collectio dicenda est. Selegit namque Origenes quatuor præcipuas versiones, quæ suo tempore extabant, nimirùm septuaginta Interpretum (quam ipse variis in locis nunc mutaverat, nunc corruperat, nunc emendaverat) Aquilæ, Symmachi, & Theodotionis, easque in unum volumen rèdegit quatuor distinctis columnis, ità ut omnes eodem aspectu videri possent, & versus versibus, periodi periodis responderent, quas vocavit ab illis quatuor columnis *Tetrapla*; ut testatur S. Hieron. *epist.* 89. Postmodum his quatuor editioni-

nibus, & columnis è regione præposuit Hebraicam, idque duabus columnis, quarum prima continebat textum hebraicum litteris hebraicis scriptum, altera verò eundem, sed litteris græcis exaratum; cùmque hoc opus sex columnas exhiberet, vocavit *Hexapla*. Tandem his sex editionibus, & columnis adjecit alias duas græcas editiones, duabus columnis distinctas, nempe Hierichuntinam, & Nicopolitanam; cùmque jam octo essent columnę, vocavit *Octapla*. Hujusmodi tamen Octapla ab Hexaplis non distinguunt Eusebius, & Hieronymus: imò S. Epiphanius *lib. de pond.*, *& mens.* loquitur de Hexaplis, ut de opere ab Octaplis indistincto.

Septima, est versio S. Lucianum Martyrem auctorem referens, qui cùm videret Sacros Codices corrumpi, & in pravum sensum detorqueri, eosdem ad fidem Hebraici textus emendatos reddidit; quàm editionem S. Athanas. sub Constantino propriâ Luciani manu descriptam, Nicomediæ repertam fuisse refert. Vide Baron. *ad an. Christi* 230.

Octava, Hesychium parentem habuit Præsbyterum, quæque in usu erat Alexandriæ, & in totâ Ægypto recepta, atque probata. Hæ sunt præcipuę versiones græcę.

XXVII. Ad Latinas transeamus. Tot erant temporibus Sancti Augustini versiones latinæ, ut ipse dixerit, eos, qui Scripturas Sacras ex hebræo verterunt in græcum, numerari posse, eos verò, qui in latinum, non posse. Inter has tamen omnes, etsi numero multas, duę magnam in Ecclesiâ venerationem sunt consecutæ. Una antiqua, incerti auctoris opus, quam *Italam*, eò quòd latinam, vocat Sanctus Augustinus. *Communem* S. Hieronymus. *Veterem* Sanctus Gregorius. *Vulgatam* Orosius, & cum isto *Vulgatam* Universus Christianus Orbis, quia illius ubique frequentissimus in Ecclesiâ usus. Altera nova post hanc Italam à S. Hieronymo data, qui jussu Damasi Romani Pontificis vetus Testamentum ex hebræo latinum fecit, & novum à mendis purgando, græcæ fidei reddidit: *Novum Testamentum græcæ fidei reddidi*; *Vetus juxta hebraicum transtuli*, inquit ipse S. Doctor in fine sui de Scriptoribus Ecclesiasticis Libri. Evulgatâ D. Hieronymi versione, contentio orta fuit in Ecclesiâ, quænam esset præferenda. Augustinus pro Italâ, quia (ut ajebat) verborum erat tenacior cum perspicuitate sermonis. Et Sanctus Isidorus pro novâ S. Hieronymi dimicabat. Non longè post S. Gregorii tempora conflata, est una, quæ nec ex toto antiqua, nec ex toto nova, sed vulgata communis diceretur; non quia mixta ex libris antiquæ, & novæ, sed quia libri nonnulli in eâ leguntur eo modo, quo in antiquâ, & alii eo modo, quo in novâ. Et hæc est hodierna vulgata nostra, quam multorum seculorum usu in Ecclesiâ receptam, tandem Concilium Tridentinum declaravit authenticam *De decreto de edit.*, *usu Sacror. Libr.* sanciens, *ut pro authenticâ habeatur*, *& ut eam nemo*, *quovis prætextu rejicere audeat*, *vel præsumat*.

XXVIII. Vernacula tandem scripturæ versio, dicitur illa, quæ vernaculâ, seu vulgari populi, vel nationis linguâ conscripta est. Ex orientalibus præcipuæ sunt, Arabica, Etbiopica, Persica; & ex Occidentalibus variæ editæ, sive à Catholicis, sive ab Hæreticis, de quibus suo loco diximus, nulla tamen ex his habenda est, ut authentica; & si hæreticorum opus sint, rejiciendæ tanquam saltem suspectæ.

Circa versiones vulgares, duo sunt ab Ecclesia sancita. Primum ne in publico Ecclesiæ usu, præsertim in Missâ, legantur. Id constat ex Tridentino *sess.* 22. *cap.* 8. de Sacrificio Missæ dicentis: *Etsi Missa contineat magnam populi fidelis eruditionem*, *non tamen expedire visum est Patribus*, *ut vulgari passim linguâ celebraretur*. Alterum ne omnibus indiscriminatim legi permittantur, cum juxta quartam Indicis regulam à Pio IV., Sisto V., & Clemente VIII. Summis Pontificibus approbatam: *experimentum manifestum sit*, *plus inde detrimenti*, *quàm utilitatis oriri*, *ob hominum temeritatem*. His itaque præmissis, ad rem præsentem.

XXIX. Dico. Ex solâ vulgatâ latinâ versione potest Theologus tutum, ac firmum ducere argumentum. Constat ex

dictis.

dictis. Ex eâ enim solâ Sacræ Scripturæ versione potest Theologus firmum ducere argumentum, quam sibi constat, exprimere verba, & sensus ut à Deo dictatos, & continere reipsâ Verbum Dei; sed de solâ vulgatâ latinâ id constat, hæc enim longo seculorum usu probata fuit; de hâc etiam Ecclesia, ad quam (utpotè *columnam, & firmamentum veritatis*, cuique Spiritus Sanctus promissus à Christo infallibiliter assistit, *docens eam omnem veritatem*) pertinet judicium ferre de Verbo Dei, separando verum Dei Verbum à falso, sententiam tulit; ergo &c. de aliis ènim, sive versionibus, sive textibus originalibus nihil locuta est; ergo &c.

Argumenta hæreticorum contra vulgatæ latinæ puritatem à nobis alibi proposita, & soluta sunt; hìc enim authenticitas vulgatæ nostræ supponenda est, non probanda.

XXX. Adverte tamen, Tridentinum statuens, vulgatam latinam esse authenticam, & pro tali eam omnibus proponens, noluisse infirmare auctoritatem textuum originalium, Hebraici, & Græci, quia cùm de istis mentionem ullam non fecerit, eos reliquit in suâ auctoritate, quæcumque illa sit; sed solùm vulgatam cæteris latinis versionibus prætulisse. Quia tamen nulla Scriptura habenda est pro puro Dei Verbo, & ut authentica, nisi ab Ecclesiâ talis sit declarata, & Ecclesia de fontibus Hbraicis, & Græcis nihil statuerit; ideò à nobis ut authentici habendi non sunt, nec ex iis firmum argumentum trahendum, nisi in iis, in quibus cum vulgatâ concordant. Utiles etiam esse possunt versiones vernaculę ad arguendum contra eos, qui illis utuntur: ut si ad convincendum Calvinistam utaris versione Diodati, aut alterius, quem ille sequatur. Ad convincendum Lutheranum versione Lutheri. Anabaptistam versione Munsteri; & sic de aliis. Quibus satis expensus manet primus, ac præcipuus locus Theologicus.

DUBIUM III.

De Loco à Traditionibus.

§. I.

Quid, & quotuplex sit Traditio Sacra.

Traditiones, seu Verbum Dei non scriptum, sed oretenùs traditum Ecclesiæ per Apostolos, reverâ admittendas esse hìc supponam; eas enim probare alterius loci erit, cùm hìc de ipsis tantùm quærendum sit, quale argumentum possint Theologo suppeditare. Attamen ne prorsùs jejunum dimittam meum Candidatum, aliqua (raptim tamen) indicabo.

I. Traditio ergo sumi potest latissimè, minùs latè, & strictè. Traditio latissimè est omnis doctrina tradita, idest communicata ab unò alteri, sive voce, sive scripto. Sic Lex antiqua, tradita Moysi à Deo, & à Moyse tradita Josuè, à Josue Senioribus, licèt scripta, tradita dicitur, *Exodi 17. v. 14. Scribe hoc ob monimentum in libro, & trade auribus Josue*. Traditio minùs latè, ut scilicet abstrahit à Sacrâ, & Prophanâ, est quæcumque notitia, quæ sine scripto de aure in aurem per majores nostros ad nos pervenit, qualia sunt gesta majorum nostrorum, quove in sepulchro jaceant eorum ossa, quamvis nihil scriptum habeamus. Stricta denique traditio, & theologicè spectata, nimirùm sacra, de quâ hìc unicè agimus, nihil est aliud, quàm fidei, aut morum doctrina, non scripta, sed vivâ voce, quasi de aure in aurem successivè usque ad nos perveniens, qualis est ea, quâ multa credimus, quamvis nullibi, saltem expressè, in Verbo Dei scripto legamus; ut Beatam Mariam etiam post partum virginem perpetuò fuisse; parvulos esse baptizandos; & talis est omnis illa, de quâ Chrysostomus *hom. 4. in 2. ad Thessalonicenses*: *Est traditio*, inquit, *nihil quæras amplius*, & quas Paulus *Thessalonicensibus epist. 2. cap. 2. v. 15.* commendat dicens; *tenete traditiones, quas didicistis*,

stis, sive per sermonem, sive per epistolam nostram.

II. Traditio ergo sic accepta considerari potest, vel ex parte auctoris, & sic dividitur in *Divinam*, *Apostolicam*, & *Ecclesiasticam*. Vel ex parte materiæ traditæ, & sic dividitur in traditionem *de fide*, & traditionem *de moribus*. Vel ex parte ejus, cui traditur, & sic dividitur in *universalem*, quia traditur Ecclesiæ univesali, & in *particularem*, quia traditur tantùm Ecclesiæ particulari. Vel ex parte durationis, pro quâ traditur, & sic dividitur in *perpetuam*, quæ traditur pro semper, & in *temporaneam*, quę solùm traditur ad certùm tempus. Vel denique ex parte modi, quo traditur, & sic dividitur in *necessariam*, quæ necessariò servanda est, cùm sit per modum præcepti instituta; & in *liberam*, quæ per modum consilii lata, ad libitum observari, & non observari permissa est.

III. Traditio ergo divina est Verbum Dei non scriptum, sed traditum, seu Doctrina Dei in Sacris Litteris non scripta, sed à Deo immediatè majoribus revelata, & à majoribus ad posteros quasi de aure in aurem successivè tradita. Talis fuit, ante Legem à Moyse scriptam, seu in Lege naturæ, doctrina de mundo isto à Deo creato; de remedio adhibendo pro originali delendo peccato; de ritibus, quibus tunc colebatur Deus: cùm enim eo tempore Doctrina Dei non esset scripta, regebantur homines doctrinâ à Deo traditâ, & de aure in aurem communicatâ.

Talis fuit, post Legem scriptam, & ante Christum, doctrina de divinitate librorum sacrorum; de remedio pro delendo originali peccato in fœminis; de præfiguratâ Christi morte per cruenta sacrificia; & alia, quæ scripta non erant, & tamen ut à Deo dicta habebantur.

Talis est adhuc hodie in Lege Christi nova Doctrina de perpetuâ Deiparæ Virginitate; de parvulis ante usum rationis baptizandis; de non rebaptizandis hæreticis; de septenario Sacramentorum numero; de SS. invocatione; de Sacrarum Imaginum cultu; aliæque similes, vel Fidem, vel Sacramentorum materias, & formas spectantes, quæ in scripturis non exprimuntur, & tamen à Christo dictæ creduntur.

IV. Traditio Apostolica, alia est purè Apostolica, alia est Apostolico-Divina. Prima est, quæ ab Apostolis primò non scripto emanavit, sed vivâ voce, & per manus ad nos usque persusa est. Hujus generis sunt Quadragesimæ institutio; observatio diei Dominicæ loco Sabbati; & similia, quæ continuò observata dicuntur, & ab Apostolis tanquam Ecclesiæ Pastoribus instituta creduntur, Spiritus Sancti instinctu in bonum Ecclesiæ, & vivâ voce fidelibus suis præscripta, & ad nos per seculorum successiones transfusa.

Altera, nimirùm traditio Apostolico-Divina est illa, quæ ab Apostolis fuit quidem Ecclesiæ tradita, at non proprio nomine, sed nomine Christi, & tanquam Christi præconibus. Christus enim ante, vel post Resurrectionem, dùm per 40. dies apparens eis loqueretur de Regno Dei, ut habetur *Actor. 1. v. 3.*, multa creditur vivâ voce tradidisse, quę scripta non sunt, ut ea suo nomine Ecclesiis prædicarent. Et hujusmodi traditionum species est solùm denominativè Apostolica, & reipsâ divina; sicut verbum Legati enunciantis, & tradentis verbum Regis, est denominativè solùm verbum Legati, sed reverâ verbum Regium.

Fundamentum distinguendi hanc duplicem traditionum Apostolicarum speciem habemus, ex ipso Paulo: dùm enim *1. Cor. 11. v. 23.* dixit: *Ego accepi à Domino, quod tradidi vobis*: indicavit, se loqui, & tradere, non proprio nomine, sed Christi, ut ejus præco, & legatus. Sicut cùm *ibid. c. 7. v. 10.* ait: *præcipio, non ego, sed Dominus*. Dùm verò *ibi v. 12.* inquit. *Nam cæteris ego dico, non Dominus*: sicut cùm *2. Thessalon. cap. 2. v. 14.* ait: *state, & tenete traditiones, quas didicistis, sive per sermonem* (idest vivâ voce) *sive per epistolam nostram* (idest scripto) innuit, se loqui nomine proprio.

V. Traditio Ecclesiastica propriè dicitur illa, quæ nec à Christo, nec ab Apo-

Apostolis, sed postea ab Ecclesiæ Prælatis, vel Populis introducta, tandem per modum legis, seu potiùs consuetudinis, tacito sibi succedentium fidelium usu recepta, & ad nos usque delata est. Tales sunt observatio, & solemnitas quarumdam festitivitatum; abstinentia à carnibus, ovis, & lacticiniis certis anni diebus; Pia, & laudabilis formandæ Crucis consuetudo; pius aquâ lustrali aspergendi mos; Aliaque hujusmodi ad ritum, & cæremonias spectantia.

VI. Traditio fidei, seu ad fidem pertinens, est doctrina fidei, non scripta, sed vivâ voce à Deo tradita. Hâc viâ, ut fidei dogma, credimus, præter alia supra assignata ad traditionem divinam spectantia; Quòd Scriptura Sacra, quâ utitur Ecclesia Catholica, sit verè divina; Quòd quatuor sint Evangelia, nec plura, nec pauciora; Quòd baptizati ab hæreticis non sint rebaptizandi; & similia.

VII. Traditio morum, seu mores, ac ritus spectans, est doctrina quædam primitùs, non scripto, sed voce tradita, & successivè pro dirigendis, & formandis moribus, & ritibus traducta, qualis est de jeiuniorum observantiâ certis diebus; de majorum Festorum celebratione; de benedictione, & aspersione Aquæ; de formando in fronte Crucis Signo &c.

VIII. Traditio perpetua illa dicitur, quæ ab initio instituta fuit, ut semper duret, neque ullâ auctoritate creatâ mutari potest. Tales sunt divinæ omnes, & à Christo per Apostolos ad nos usque transfusæ, ut sunt, quæ circa Fidem, circa Sacramentorum administrationem, sive de necessitate Sacramenti sint, ut materia, & forma, sive solùm de necessitate præcepti; ut doctrina *de aquâ miscendâ Calici*, de qua Sanctus Cyprianus *lib. 2. epist. 3.* ait. *Admonitos autem nos sciat, ut in Calice Domini offerendo Dominica traditio servetur, neque aliud fiat à nobis, quàm quod pro nobis Dominus prior fecit, ut Calix, qui in commemoratione ejus offertur, mixtus vino offeratur.*

IX. Traditio temporanea illa dicitur, quæ ad certum tempus instituta est, vel limitatè: talis tamen naturæ est, ut possit per Ecclesiam mutari; quales sunt traditiones purè Apostolicæ; tales Ecclesiasticæ omnes. Et de facto mutatæ sunt variæ ab Apostolis habitæ traditiones; ut sunt Trina immersio olim servari solita in Baptismo; Quotidiana fidelium Communio; Communio sub utraque specie à Laicis aliquando servata; Agapes, seu communia convivia olim in Ecclesiâ fieri consueta, &c.

X. Traditio universalis ea est, quæ sive Divina sit, sive Apostolica, sivè Ecclesiastica, omnes ubique gentium fideles attingit, sive quæ universam respicit Ecclesiam; ut sunt anniversaria majorum festorum; Paschatis, Pentecostes, Nativitatis, Quadragesimæ, & quatuor Temporum observatio; Aquæ benedictæ, Signi Crucis in fronte, & similia.

XI. Traditio particularis est illa, quæ unam dumtaxat, vel particulares quasdam Ecclesias respicit. Talis esse nequit Traditio Divina, sed vel purè Apostolica, vel Ecclesiastica: sicut traditio particularis erat olim Romæ observatio diei Sabbati, quam ex Sancti Petri institutione ortam, Sanctus Augustinus innuit *epist. 86. ad Casulanum*, suo, & S. Ambrosii tempore adhuc viguisse; & idem S. Augustin. testatur *epist. 118. ad Januarium*, de eâ dicere solitum fuisse Ambrosium: *Cùm Romam venio, jejuno Sabbato, cùm hìc sum*, Mediolani, *non jejuno*.

XII. Traditio necessaria illa dicitur, quæ necessariò servanda est, quia per modum præcepti instituta. Tales sunt prefata majorum festorum observatio; aquæ Calici miscendæ usus; Paschatis celebratio Dominicâ primâ post lunam 14. Martii. Tales sunt omnes traditiones divinę, Apostolicæ perpetuæ, & Ecclesiasticæ universales.

XIII. Traditio libera illa est, quam in cujusque arbitrio est observare, vel non observare, quia non per modum præcepti instituta, sed consilii; qualis est usus signandi frontem Cruce, vel aquâ lustrali eandem aspergendi.

XIV. Pro pleniori traditionum notitiâ sciendum, non ideò traditionem dici doctrinam non scriptam, quòd nullibi reperiatur scripta, sed quia vivâ voce,

non scripto, à suo primo Auctore tradita, nulloque in libro canonico scripto (saltem expresè) mandata; quamvis deinde à successoribus de illâ testificantibus fuerit litteris consignata. Tales sunt Divinæ, & Apostolicæ in nullo libro canonico expressæ, nobis tamen per Sanctos Patres scripto successivè ostensæ. Ità ex Cano *loc. Theolog. lib. 3. cap. 5.*, & alibi. Et Aunato *de Tradition. lib. 3. artic. 1.*

§. II.

Regula pro secernendâ Traditione Divinâ à purè Apostolicâ, & Apostolicâ à purè Ecclesiasticâ.

XV. Primam regulam sumimus ex D. August. *lib. 1. contra Donat. cap. 24.*: respiciendo nimirùm initium Traditionis. *Quod* enim, ait Augustin., *universa tenet Ecclesia, nec conciliis institutum, sed semper retentum, nonnisi auctoritate Apostolicâ traditum rectissimè creditur.* Hinc si consuetudinis Quadragesimæ jejunandæ initium quæras, videasque illam ab Ecclesiâ universâ semper retentam, tamque neque ab ullo Summo Pontifice, nec Concilio primò institutam; esse traditionem ab Apostolis ortam rectissimè inferes.

Considerandum rursus est, an ejus initium supponat Christi ascensum in Cælum; si enim supponat, manifestum erit, eam fuisse ab Apostolis institutam, & purè Apostolicam, ut de observantiâ quadragesimæ dictum est; ejusmodi est praxis de vigiliis celebrandis in memoriis Martyrum; abstinentia à suffocato, & sanguine &c. Quòd si nedùm Christi ascensum, sed & Apostolorum ex hâc vitâ discessum supponat, nec Apostolica dicenda est, sed purè Ecclesiastica, ut abstinentia a carnibus &c. certis anni diebus.

XVI. Secundam regulam accipere possumus ex parte materiæ, circa quam versatur. Si enim materia talis sit, ut Ecclesiæ potestatem excedat, ut si tangat materias, & formas Sacramentorum, eorumque institutionem, dicendum erit eam à Christo initium, & auctoritatem habuisse, & Apostolos fuisse tantùm præcones, proindeque non purè Apostolicam, sed Divinam, seù Apostolico-Divinam habendam esse. Hujus speciei esse eam de aquâ miscenda vino in Calice, dicit Cyprianus *lib. 2. ep. 8.*

XVII. Tertiò considerari debet, an traditio sit mutabilis, vel saltem dispensabilis auctoritate Ecclesiæ. Si enim sit ejus auctoritate mutabilis, aut dispensabilis, clarum erit, eam esse purè Apostolicam, & non Divinam; quia in Traditione Divinâ, quæ nihil aliud est, quàm Verbum Dei non scriptum, nulla humana auctoritas potest dispensare.

XVIII. Quartò, consideranda est traditio per respectum ad communem Sanctorum Patrum consensum. Quare si adhùc dubitetur, an Ecclesiæ potestatem excedat, an sit Divina, vel purè Apostolica, consulendi sunt veteres Patres ab initio secundùm temporum suorum successiones, & videndum, an illam concordissimè tenuerint, & oppositum sentientes, ut hæreticos judicaverint, etsi nihil de eâ in Sacris Litteris habeatur. Quòd si ità erit, illa traditio habenda erit tanquam à Christo primò orta, & tanquam divina. Talis est perpetua B. M. Virginitas; descensus Christi ad Inferos; certus numerus Sacramentorum, & Evangeliorum.

XIX. Quintò, attendendum est Ecclesiæ judicium. Si enim non constet adhùc de communi Patrum consensu circa traditionem aliquam, & dubitetur, an sit Divina, vel Apostolica, qualis fuit traditio de non rebaptizandis hæreticis, quam Sanctus Cyprianus impugnabat, considerandum est, quale judicium super ea formaverit Ecclesia; & si eam judicaverit divinam, damnando ut hæreticum, qui eam non tenuerit, absque dubio ut divina habenda erit; quia Ecclesia in sui judicio est infallibilis. Et D. Augustinus *lib. 2. contr. Crescon. c. 32. Non accipio* (inquit) *quod de baptizandis hæreticis B. Cyprianus sensit, quia hoc Ecclesia non accipit, pro qua B. Cyprianus sanguinem fudit.*

§. III.

§. III.

Resolutio dubii.

XX. His expositis dico. Ex Christi, & Apostolorum traditionibus, & ex hoc, quod ab omnibus, quod ubique, quod semper observatum est, ut ait Vincentius Lirinensis *Commonitorio primo*, certissimum potest à Theologo trahi argumentum, & ad Ecclesiæ consuetudines, & ad fidei dogmata comprobanda, etsi scriptum in Sacris Litteris non reperiatur. Ex consuetudine item Ecclesiasticâ universali, perpetuâ, ac semper, & ab omnibus ubique gentium receptâ, „ potest Theologus tutò argumentari. Si „ enim (inquit Canus *lib.* 3. *loc. Theol.* „ *cap.* 6.) Apostolus Paulus Ecclesiæ con„ suetudinem Corinthiis contentiosis op„ posuit 1. *Cor.* 11. *v.* 16.: Cur nos iti„ dem Ecclesiæ morem, ab Apostolis us„ que receptum, totque seculorum usu, „ ac gentium consensione probatum, non „ opponemus hæreticis (Lutheranis, & „ Calvinistis) cùm à nobis Scripturam „ in cujusque rei confirmationem efflagitant? Certè Paulus, cùm & per scri„ pturas, & per naturæ rationem satis „ dixisse videretur, ad ejus rei fidem fa„ ciendam, quam Corinthiis persuasam „ esse cupiebat, considerans tamen, in„ ter Corinthios fore quosdam, qui illi„ usmodi fortè, & testimoniis, & ratio„ nibus repugnarent: non aliud potius „ argumentum ad causam evincendam ha„ buit, quàm si eos ad Ecclesiæ morem „ revocaret: *Si quis*, ait, *videtur con„ tentiosus esse, nos talem consuetudinem „ non habemus, nec Ecclesia Dei*. Quod „ dicit tale est. Si quis adeò est durus, „ & pertinax, ut argumentis positis non „ adducatur, sed adhuc contendat, fœ„ minam aperto capite orare oportere: „ hunc ego non aliter refello, quàm, „ quòd Ecclesiæ Dei consuetudinem non „ habent. Tanta vis in traditione est, „ ut quos nec scripturæ, nec naturæ ra„ tio movisset, eos Paulus existimavit, „ Ecclesiarum more, & instituto moven„ dos. Hæc Canus. Quòd si (dicam ego) tanta vis consuetudinis Ecclesiæ in rebus ad merum ritum spectantibus, ut erat fœminam non debere aperto capite orare, quantò major erit in rebus fidem spectantibus? Prosequitur Canus. In priore rursum ad Timotheum *epist. cap.* 6. „ *v.* 3. *Si quis*, ait, *aliter docet, & non „ acquiescit sanis Sermonibus*. Non dicit „ *Scripturis*. Et ad *Galat.* 1. *v.* 9. *Si „ quis vobis evangelizaverit, præter id, „ quod accepistis, anathema sit*. Quibus „ ex locis rectè Origenes in commentar. „ ad Titum (his commentariis caremus, „ sed refertur locus in *Apolog.* Pamphi„ li) definit hæreticum eum, qui se „ Christo credere profitetur, & aliud de „ veritate Fidei Christianæ credit, quàm „ habeat traditio Ecclesiastica. Et *lib.* 1. „ *Periarchon.*... illa sola credenda est „ veritas, quæ in nullo ab Ecclesiasticâ „ traditione discordat. Prosequatur studiosus lector, quæ laudatus Canus ibi subjungit, ne videamur, diutiùs in hoc immorantes, ab instituto nostro deflectere, qui traditiones non statuere intendimus, sed iis suppositis probare solùm, posse firmum ex iis trahi argumentum.

XXI. Hoc usque adeò verum est, ut præcitatus Canus *lib.* 3. *laudato c.* 3. di„ xerit: Quòd ad confutandos hæreticos „ major vis in traditione, quàm in scri„ pturâ sit. Egesippus enim apud *Euse„ bium lib.* 3. *Hist. Eccl. c.* 32. refert, „ virginem, mundam, & immaculatam „ Ecclesiam permansisse, donec Discipuli „ Domini extiterunt... ut verò omnis „ illa ætas, quæ à Domino susceperat vi„ væ vocis auditum, de hâc luce disces„ sit, tùm hæreticos, nudato, ut ajunt, „ capite, Apostolicam Veritatem oppu„ gnasse. Et Ignatius apud eundem eâ „ maximè ratione docet, hæreticorum vi„ tari contagia, si diligentiùs, ac tena„ cius Apostolorum traditionibus inhærea„ tur. Tertullianus quoque adhuc apertius „ monet *lib. de præscript. hæret.*, ut, ad„ versum hæreticos, magis traditionibus, „ quàm scripturis differamus. Scripturæ „ enim in varios sensus facilè trahuntur, „ traditiones non item. Nemo hæretico„ rum est, ut Hilarius ad Constantium „ Augustum tradit, qui se non secundùm „ Scripturas prædicare ea, quibus blas„ phemat, mentiatur. Omnes Scripturas

„ sine

„ fine fenfu loquantur. Et Irenæus *lib.* „ 1. *cap.* 1. Hæretici, inquit, fcripturis „ nituntur fua dogmata confirmare, ne „ fine tefte effe videantur, fed deformant „ eloquia Dei, atque ex figurâ hominis, „ vulpis, aut urfi figuram reddunt. Hactenus ille. Faciunt porrò hæretici, „ quod Patrem fuum feciffe vident, ut „ Vincentius Lirinenfis eleganter ait, & „ Auctoris fui callida machinamenta fectantur. Nam quid ille non faciet mifellis hominibus, qui ipfum Dominum „ Majeftatis Scripturarum teftimoniis appetivit? Si Filius, inquit, Dei es, „ mitte te deorfum, Scriptum eft enim, „ &c. Ità quodcumque dogma hæreticus „ proferat, ftatim ait, fcriptum eft enim, „ & non unum, fed mille teftimonia, „ mille exempla parat de Lege, de Pfalmis, de Apoftolis, de Prophetis, quibus novo more interpretatis, fententiam fuam approbare conatur. Hęc Canus, qui ulteriùs profequitur oftendendo etiam omnem fermè cum hæreticis „ difputationem, ad traditiones à majoribus acceptas, effe referendam. Nam, „ cùm utrique, & Catholici, & Heretici pro fuâ fententiâ quifque Sacras Litteras referant, in fenfu, & interpretatione difcrimen eft. Quis autem verus, & legitimus Scripturæ fenfus habendus fit, nifi Ecclefiæ traditione cognofci certò non poteft...... Atque „ hine patet caufa graviffima, cur traditiones Apoftolorum fuerint neceffariæ. „ Senfus enim Scripturarum Apoftolicarum non erat ab Apoftolis fcripturis „ aliis explicandus, nifi in opera fua ederent commentarios, quòd à viris graviffimis femper alienum fuit. Intelligentiam ergo Scripturæ Sacræ Difcipulis fuis vivâ voce tradiderunt &c. Ità Canus, quo meliùs nemo.

XXII. In eruendis tamen ex traditione argumentis, advertere debet Theologus, qualis fit traditio. Quòd nempè fit perpetua, non temporanea; univerfalis, non particularis; neceffaria, non libera. Unico verbo: quòd de illâ verificetur effe id, quod ab omnibus, quod ubique, quod femper traditum eft. Si enim velles probare, Pafcha effe celebrandum lunâ 14. Martii; quia olim exiftimata fuit traditio Apoftolica, à S. Joanne Evangelifta haufta; dandum effe Regnum millenarium Chrifti poft univerfalem refurrectionem; hæreticos fore rebaptizandos, quia olim traditio fuit; peffimè concluderes, quia affumeres traditiones ab univerfâ Ecclefiâ, nedùm non acceptatas, fed expressè reprobatas. Similiter fi argueres, Baptifmum conferendum effe per trinam immerfionem; abftinendum effe à fuffocato, & fanguine, quia fic Apoftoli tradiderunt; non benè argueres, quia traditio hæc non fuit perpetua, & pro omni tempore, fed folùm ad certum tempus. Sicut etiam fi probare velles Sabbato effe jejunandum, quia fic, ex traditione Sancti Petri, Ecclefia Romana jejunabat; non benè argueres: quia hæc erat traditio particularis, nec perpetua, cùm hodie nec Romana Ecclefia Sabbato jejunet ampliùs.

DUBIUM IV.

De Loco ab Ecclefiâ.

§. I.

De Ecclefia definitione.

Ecclefiam veram Catholicam Chrifti Sponfam, hoc eft Cœtum, & Congregationem Fidelium, reverâ dari, alibi probabimus, hìc tamen fupponimus; ubi folùm quærimus, quantæ firmitatis fit argumentum, ex ejus auctoritate petitum. Pro claritate tamen.

I. Sciendum primò Ecclefiam tripliciter fumi poffe. Primò, pro loco materiali, in quo homines congregari folent, de quo locutus eft Chriftus, dùm ait *Matth.* 21. *v.* 13. *Domus mea domus Orationis vocabitur.* Secundò, pro aliquâ locali fidelium congregatione, de quâ Paulus 1. *Cor.* 11. *v.* 18. *Primùm quidem convenientibus vobis in Ecclefiam, audio fciffuras effe inter vos, & ex parte credo; & v.* 22. *Aut Ecclefiam Dei contemnitis, & confunditis eos, qui non habent?* Sumitur tertiò, pro fidelium cœtu, ac focietate, abftrahendo à locis, in quibus ejufmodi focietas reperitur, & de eâ in hoc fenfu loquitur Apoftolus ad Galatas fcri-

scribens *cap. 1. v. 13. supra modum persequebar Ecclesiam Dei, & expugnabam illam*. Quod repetit *1. Cor. 15. v. 9.*, *ad Philipp. 3. v. 6.*, & de quâ Christus ipse *Matt. 18. v. 17.*, *dic* (inquit) *Ecclesiæ; si autem Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus, & Publicanus*. De Ecclesiâ ergo in hâc tertiâ acceptione loquimur.

II. Sciendum secundò, Ecclesiam hoc modo acceptam, si nomen spectes, esse vocem græcam, quæ latinè reddita significat *Cœtum*, *Convocationem*, venitque à verbo græco *eccaleo*, idest latinè *evoco*, *convoco*. Quare, ut advertit Bellarm. *lib. 3. de Ecclesiâ militante cap. 1.* Ecclesia dicitur cætus vocatorum, quia nemo ad hunc populum se adjungit per se, & suo proprio instinctu, sed omnes quotquot veniunt, à Dei vocatione præveniuntur. *Quos vocavit* (ait Apostolus *Rom. 8. v. 30.*) *hos, & justificavit*; Est enim vocatio primum beneficium, quod Sancti à Deo recipiunt. Hinc toties idem Apostolus Christianos appellat *Vocatos*, ut *Rom. cap. 1. v. 6. & 7.*, *1. Cor. 1. v. 2. & 9.*, & alibi. Quare D. Augustinus perpendens Pauli verba, *Rom. 1. v. 1. Paulus servus Jesu Christi, vocatus Apostolus, segregatus in Evangelium Dei* (expositione inchoatâ *in epist. ad Romanos*) ex illis colligit discrimen Ecclesiæ à Synagogâ, dicens: *breviter in duobus verbis Ecclesia dignitatem à Synagoga vetustate discernit; Ecclesia quippe ex vocatione appellata est, Synagoga verò ex congregatione. Convocari enim magis hominibus congruit, congregari autem magis pecoribus, unde greges propriè pecorum dici solent*, quia in veteri Lege temporalium promissionum terreno cibo homines erant contenti, & brutorum more solo timore movebantur, & in officio continebantur.

III. Si verò Ecclesiæ naturam spectes, variè definitur nedùm ab Hæreticis, sed etiam à Catholicis. Hæretici namque hodierni, qui solos justos, imò & solos prædestinatos intra Ecclesiam concludunt (ut suo loco dicetur) dicunt, Ecclesiam esse cætum Sanctorum, Justorum, & Prædestinatorum. Ità olim Wicleffus, quem in substantiâ secuti sunt Lutherus, & Calvinus. Ex Catholicis verò Juenin *dissert. 4. de Locis Theolog. cap. 2.* definit Ecclesiam, quod sit: *Cœtus Sanctorum sub uno Capite Christo Deo servientium*. Verùm hæc definitio videtur describere solam Ecclesiam Triumphantem in Cœlis, vel Ecclesiam abstrahentem à triumphante, & militante; non verò Ecclesiam militantem, de qua hìc sermo est. Meliùs ergo ab aliis definitur, quòd sit *Fidelium cœtus, sub uno Capite Christo, fidei unione, & Sacramentorum participatione coadunatus*. Cui alii addunt, *& gubernatus à legitimis Pastoribus, præcipuè verò ab uno Christi in terris Vicario Romano Pontifice*. Quæ definitio, ut ait Bellarminus *citato loco cap. 2.*, tres continet partes. Nimirùm veræ Fidei professionem sub Christo Capite, quâ excluduntur omnes Infideles, qui nunquam fuerunt in Ecclesiâ, ac Judæi, Turcæ, Pagani; & qui fuerunt, & recesserunt, ut Hæretici, & Apostatæ. Rursùs Sacramentorum participationem, quâ excluduntur ab Ecclesiâ Cathecumeni, qui nondùm sunt admissi, & Excommunicati, qui ab Ecclesiâ sunt dimissi. Et denique subjectionem ad unum Christi Vicarium, quâ excluduntur Schismatici, qui habent Fidem, & Sacramenta, sed non subduntur legitimo Pastori Vice Christi, & ideò foris profitentur Eidem, & Sacramenta percipiunt. Includuntur verò omnes alii, etiamsi Peccatores, ac Reprobi, dummodò tamen veram Christi Fidem profiteantur, in Sacramentis communicent, & legitimum Pastorem loco Christi agnoscant; Sed de his suo loco.

IV. Solùm in præsens observandum censeo, nomine Ecclesiæ non intelligi Catholicorum quorumcumque coadunationem præcisè, sed etiam, imò & præcipuè, Principes, & Pastores ipsos Ecclesiasticos, in quibus scilicet hujus Reipublicæ auctoritas residet, juxta illud preclarum Aristotelis effatum *Ethic. 9. cap. 9. Civitatem maximè esse, quod est in eâ principale*. Inde enim, quæ Principes, ac Gubernatores Civitatis faciunt, & sentiunt, ea Civitas facere, sentireque dicitur. Hinc Moyses expositurus mandata Domini *Exod. 19. v. 7. Convocatis majoribus natu populi, exposuit omnes*

nes sermones, quos mandaverat Dominus, deinde populus respondit. Similiter Salomon, ut deferret Arcam Domini in Templum à se extructum 3. *Regum* 8. *vers.* 1., *congregavit omnes majores natu Israel cum Principibus Tribuum, & duces familiarum filiorum Israel*, & inferiùs *v.* 14. dicitur: *Convertitque Rex faciem suam, & benedixit omni Ecclesiæ Israel; omnis enim Ecclesia Israel stabat*. Christus enim Ecclesiam non penes Populares principaliter esse voluit, sed penes Sacerdotes, ac Pastores, quidquid in contrarium obstrepant hæretici. Unde Sanctus Cyprianus *epist.* 69. ad Florentium, *etsi*, inquit, *contumax, ac superba obaudire volentium multitudo discedat; Ecclesia tamen à Christo non recedit, & illi sunt Ecclesia plebs Sacerdoti adunata, & Pastori suo Grex adhærens. Unde scire debes, Episcopum in Ecclesia esse, & Ecclesiam in Episcopo: etsi qui cum Episcopo non sit, in Ecclesiâ non esse; & frustra sibi blandiri eos, qui pacem cum Sacerdotibus Dei non habentes obrepunt &c.*, his prębitis.

§. I I.

Resolutio dubii.

V. Dico primò. Ab auctoritate Ecclesiæ Catholicæ potest Theologus firmum sumere argumentum. Prob. primò, nam Ecclesiæ fides deficere non potest: Est enim Sponsa Christi per fidem, sicut scriptum est *Osea* 2. *v.* 20., *& sponsabo te mihi in fide:* Quòd si Ecclesiæ fides deficeret, jam sponsi, & sponsæ matrimonium dirimeretur, quorum indissolubilis est, & perpetua conjunctio: *sponsabo te* (ait *Oseas v.* 19.) *mihi in sempiternum*. Ideò sponsa *Cantic.* 3. *v.* 4. *tenui eum, nec dimittam*. Et Christus *Matth. ult.* postquam *v.* 19. dixit Apostolis, *euntes ergo docete omnes gentes*. Et *v.* 20. *docentes eos servare omnia quæcumque mandavi vobis*, promisit, se illis nunquam in tali munere defuturum; *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem seculi*.

VI. Hinc præcluditur vana quorundam explicatio dicentium, Christum futurum quidem semper Ecclesiæ præsentem, ne unquàm vera illi fides, & charitas desit: posse tamen Ecclesiam rem aliquam ignorare, putà credere ut revelatum id, quòd à Deo non est revelatum; in quo casu Ecclesia fidem non amitteret, sed solùm erraret, error autem inculpabilis, & probabilis fidem Eccclesiæ non excluderet.

Præcluditur inquam: qui enim promisit, Apostolis docentibus servare omnia, quæ ipse mandavit, omnibus diebus se adfuturum, & usque ad consummationem seculi Successoribus eorum, promisit eis, & eorum Successoribus talem firmitatem in docendo, ut nedùm à fide verâ recedere non possent ex pertinaciâ, sed neque ex ignorantiâ, docendo ut à Christo mandatum, & revelatum id, quod ab ipso, nec mandatum est, nec revelatum. Rursùs Ecclesia Corpus Christi est, ut docet Apostolus *Ephes.* 4., & 5., Christus autem hujus Corporis caput est, ipsum gubernans, ac regens; ergo si Ecclesia erraret, error iste in Caput refunderetur. Quod si in casu, quo Ecclesia à fide deficeret, deficeret etiam Christi promissio, cur hæc pariter non deficeret, si Ecclesia per errorem deficeret à veritate? Nullo ergo pacto, nec fidem amittere, nec in fide errare potest Ecclesia. Nam spiritus veritatis est hujus corporis anima. *Unum* (inquit Paulus *Ephes.* 4. *v.* 4.) *corpus, & unus spiritus*. Spiritu veritatis Ecclesia agitur: ergo ad nullum errorem, ne insciens quidem, moveri potest.

VII. Scio, hæreticos hunc discursum duplici viâ eludere conari. Primò ejusmodi promissionem ad solos Apostolos referri, nec ad posteros in Ecclesiâ pertinere. Secundò, hanc promissionem factam fuisse, non omnibus Apostolis conjunctìm sumtis, sed singulis seorsim Apostolis, Discipulis, & Fidelibus.

Sed omninò futiliter. Quid enim aliud indicant verba, quæ post promissum spiritum veritatis subjungit Christus *Joann.* 14. 16., *ut maneat vobiscum in æternum*. Quid ista jam relata, ex *Matth. ult. Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem seculi?* Nunquid

quid Apostoli mansuri erant in æternum? Nunquid vitam protracturi usque ad consummationem seculi? Alloquebatur ergo Apostolos quidem, sed in Apostolis totam Ecclesiam, quæ erat, & quæ futura erat, huic promittens spiritum veritatis. Quod Christus ipse expressit, dùm *Joan.* 17. *v.* 20. ait, *non pro eis autem rogo tantùm, sed pro eis, qui credituri sunt per verbum eorum in me.* Quorum potiùs, quàm Vates, Interpres fuit *Isaias*, dùm *c.* 59. *v.* 21. conversis occidentalibus ad fidem, cùm venerit Sion Redemtor, promittit Spiritum Dei ipsis, & semini eorum usque in sempiternum: *Spiritus meus, qui est in te, & verba mea, quæ posui in ore tuo, non recedent de ore tuo, & de ore seminis tui, dicit Dominus, amodo, & usque in sempiternum.* Super quæ Sanctus Hieronymus ait: *Quòd scilicet gratia Prophetarum in Apostolis veniat, & per eos, qui de Israel per Apostolos credituri sunt.* Quem igitur spiritum veritatis Christus Apostolis promisit, Ecclesiæ item post eos futuræ promisit, nisi velimus, Ecclesiam, defunctis Apostolis, fuisse à Domino destitutam. Aliàs simili ratione dicere possemus, ad Ecclesiam nec consilia, nec præcepta Evangelii pertinere, si ea, quæ Dominus Apostolis loquebatur, ad illos solùm, non ad futuros in Ecclesiâ post ipsos spectare dicamus. Quo quid stultius?

VIII. Non minus futiliter dicitur secundum. Nam etsi hoc daremus, quòd spiritus veritatis fidelibus quibuscumque seorsim, ac singulatim sumtis adesset, docendo omnem veritatem, ut Calvinus, aliique ejusdem surfuris volunt: numquid proinde negabimus, quod sigillatim cuique membrorum convenit, id plenius toti corpori convenire? Numquid dùm oculus videt, non magis videt homo? an non lucerna corporis est oculus? Quid verò absurdius, quàm membrum posse quicquam, quod corpus nequeat efficere, partem habere, quod non habeat totum? Nos ergo, quemadmodum scimus, animam esse actum, & perfectionem primò quidem totius corporis organici, secundò autem loco membrorum etiam singulorum, in quibus varias licèt edat functiones, omnes tamen illæ, & corporis propriæ sunt, & propter corpus ipsum membris à naturâ tributæ: Ità spiritum veritatis ad corpus primùm Ecclesiæ referimus, deinde propter Ecclesiam ad singulas ejus partes analogiâ quadam, & proportione, scilicet secundùm actum suum, *omnia* enim *membra non eundem actum habent*, ait Apostol. *Rom.* 12. *v.* 4. Imò si veritas, omnium membrorum donum est, tunc illa profectò erit, & firmior, & certior, cùm in eam omnia simul membra concurrerint; Cùmque omnia simul membra Ecclesia sint, planè sequitur, Ecclesiam spiritum veritatis habere. Quis enim putet singulis spiritum veritatis adesse, & non adesse omnibus simul, cùm Christus dicat: *Ubi fuerint duo, vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum? Matth.* 18. *v.* 20. Quomodo rursùs stabit, Ecclesiam esse columnam, & firmamentum veritatis? 1. *ad Timoth.* 3. *v.* 15. Quomodo, qui Ecclesiam non audierit, habendus erit tanquam Ethnicus, & Publicanus, *Matth.* 18. *v.* 17., si Ecclesia, adhuc insciente, à veritate in suo judicio potest recedere? sed his alibi.

IX. Dico secundò. Non solùm ab auctoritate Ecclesiæ antiquæ, sed etiam Ecclesiæ, quæ nunc est; imò & Pastorum, & Ecclesiæ Principum potest Theologus firmum ducere argumentum. Duas habet partes hoc assertum; & prima quidem ex dictis præcedenti asserto constat. Nam pollicitationes Christi de præsentiâ suâ usque ad consummationem seculi, & de spiritu veritatis, mansuro in æternum, non ad Ecclesiam tantùm, quæ fuit tempore Apostolorum, vel quæ fuit primis Ecclesiæ seculis, sed ad Ecclesiam quoque, quæ nunc est, & futura est usque ad seculi finem, pertinere necessarium est. Certè Ecclesiæ, quæ nunc est, Caput est Christus, qui influit in membra sicut priùs; Et qui Ecclesiæ modò spiritum veritatis abriperet, is eâdem ratione poterit eidem abripere, & potestatem ligandi, atque solvendi, & Sacramenta, & Sacerdotium, & omnia Spiritus Sancti Charismata, dicens, omnia hæc fuisse concessa tantùm Ecclesiæ pro tempore Apostolorum, sicque Ecclesiam præ-

præsentem ad purum nomen redigere.

X. Adde. Si errores, qui sanæ Doctrinæ adversantur, Ecclesia, quę nunc est, certò condemnare nequit, profectò, judicibus de medio sublatis, hujus seculi hęretici impunè grassari poterunt. Ecclesia ergo pręsens docere eos, qui Christi fidem susceperunt suo jure potest, & à veritate aberrantes corripere, qui ejus judicio stare debent, & credere ipsi proponenti, ut à majoribus acceptam, & à Verbo Dei haustam, doctrinam aliquam. Is enim ordo in Ecclesiæ definitionibus statui debet, qui in humanis disciplinis servatur. Sicut ergo in disciplinis duo principiorum genera cernimus, unum remotum, aliud proximum: unum postremum, aliud primum: & principia proxima, & immediata probamus per resolutionem ad principia remota, & prima; Ità fides, quæ à nobis tenenda sit, referenda est ad fidem, quam tenuerunt, qui nos immediatè pręcesserunt, & sic ascendendo, donec ad Apostolos, & tandem ad Christum perveniamus, in quo ut in primo fundamento Catholica Fides consistit. Et sicut etiam utraque disciplinarum principia, si firma sunt, utraque item conclusiones certò probant, licèt altera mediata sint, altera immediata; ita & Ecclesia, quæ non est, certum argumentum Christiani Dogmatis exhibet, quamvis ipsius demum Fides ad Christi, & Apostolorum sit doctrinam referenda.

XI. Quâ in re multi non modicè hallucinantur. Aliud enim est, quærere, quid Ecclesia pręsens definire possit, & quòusque ejus protendatur auctoritas; aliud verò, investigare, quânam viâ, & ratione ad rectam, & firmam harum rerum definitionem valeat pervenire. Nos enim in Ecclesiâ certam definiendi auctoritatem agnoscimus. At ingenuè fatemur, non fieri hoc per novas revelationes, sive Summo Pontifici, sive Conciliis, sive etiam toti Ecclesiæ factas: sed per inquirenda potiùs majorum documenta, ac sanctorum scripta, Apostolicas rursum traditiones, sacras item litteras consulendas, atque per hujusmodi conquisita media, quæstionem de fide propositam decernendam. Hoc fecerunt Apostoli, & Seniores in primo Hierosolymitano Concilio; magnâ enim factâ conquisitione, tùm ex rebus anteactis, tùm ex Scripturis Prophetarum, sententiam de re in quæstionem vocatâ tulerunt. Apostolorum exemplum secutos fuisse Nicænę primæ Synodi Patres, scribit Eusebius Pamphili apud Sotratem, *hist. Eccles. lib. 1. cap. 8.*; quod in subsequentibus Synodis usque ad nos factitatum fuisse, quisque deprehendere poterit.

XII. Restat dubitandum, an, cùm de auctoritate à testimonio, & judicio Ecclesiæ loquimur, nominæ Ecclesiæ veniant soli Pastores, & majores in Ecclesiâ, an verò etiam Laici fideles. Quam dubitationem solvit Canus *lib. 2. de Loc. Theol. cap. 7.* cum distinctione. Quæ enim ad fidem spectant, alia sunt, quæ omnes fideles explicitè credunt, ut Deum esse unum, & trinum; Filium Dei incarnatum fuisse. Altera sunt, quę soli majores credere tenentur explicitè, populus verò solùm implicitè; in fide scilicet majorum; ut Patrem, & Filium esse unum principium Spiritus Sancti; Hunc, vel illum librum esse Canonicum. In rebus ergo fidei, quæ sunt secundi generis, non est curandum in casu quæstionis testimonium populi rudis, idque maximè, si non sit consulenda tantùm Ecclesia præsens, sed ad eam, quę fuerat temporibus præcedentibus quæstio sit referenda. In rebus autem primi generis jure forsitan testimonium etiam populi postulaveris, quia earum fides æquè ad minores pertinet, ac ad majores. Ità Canus, dubitans tamen.

XIII. Secunda verò pars asserti probatur ex illo Apostoli ad *Ephes. 4. v. 11.*, ubi postquam dixit, *Deum dedisse quosdam Apostolos, quosdam Prophetas, alios Evangelistas, alios autem Pastores, & Doctores, in ædificationem Corporis Christi*, rationem assignat dicens *v. 14. Ut jam non simus parvuli fluctuantes, & circumferamur omni vento doctrinæ, in nequitiâ hominum, in astutiâ ad circumventionem erroris.* Si ergo Deus cętum Pastorum, & Doctorum in Ecclesiâ posuit, ne circumferamur omni vento doctrinæ, ne ab errore circumveniamur, dici debet, cętum istum errare non posse

ſe collectivè ſumtum. Si enim Paſtores omnes collectivè, & Doctores errare poſſent, nec firma eſſet eorum auctoritas, quomodo populus eorum dictis crederet? Si Doctorum cętus ab errore poſſet circumveniri, multò magis id poſſet populus; dum enim Paſtor per abrupta graditur, neceſſe eſt, ut per pręcipitium grex ſequatur. Si enim Chriſtus nullum Eccleſiæ ſuæ dediſſet Paſtorem, quid eſſet de grege? atqui melius eſſet, nullos habere, quàm errantes habere: ſi enim populus nullum paſtorem haberet, aliqui fortè errarent, alii non. At ſi errantes haberet Paſtores, his errantibus totus populus erraret. Faciamùs itaque hunc caſum, omnes ſimul Eccleſiæ Paſtores in unam ſententiam convenire, hancque populo rudi credendam proponere. Tunc rogo, an populus hanc ſequi debeat, an non? ſi debet: cum errantibus ergo paſtoribus plebs quoque errabit. Si non: quæ major in Eccleſiâ confuſio? Circumferentur omnes omni vento doctrinæ, eruntque ſicut parvuli fluctuantes. Si namque populus Sacerdotum doctrinam repudiaverit, cujus ſententiam ſequetur? Si ſalem abjecerit, in quo ſalietur? quos conſulet pro veritate inveniendâ? interrogabit unumquemque ſeorsùm, delirum ſenem, garrulam anum, ſutorem indoctum, bajulum cauponarium? quid magis ineptum? interrogabit hos omnes in cętum coactos de quæſtione, at quid magis ridiculum? imò quomodo certus eſſet, in cętu plebis idiotæ nullum ſubeſſe errorem, cùm certus non ſit, errorem non ſubeſſe in cętu Sacerdotum, ac Paſtorum? Quandonam ergo controverſiæ finirentur? Quod ergo Chriſtus dixit *Matth. 23. v. 3.* de Scribis, & Phariſæis; quia ſedebant in Cathedrâ Moyſis, *omnia quæcumque dixerint vobis ſervate, & facite*, multò magis dixit de Eccleſiæ ſuæ Paſtoribus, ac Doctoribus. Sed his alia addemus, dum de Conciliis infrà ſermo erit.

§. III.

Solvuntur argumenta.

XIV. Objicies primò contra primum aſſertum. Eccleſia aliquando tota defecit; ergo poteſt tota deficere: ergo non erimus de illius auctoritate certi. Anteced. prob. Aaron Summus Sacerdos, aliique, ſive majores, ſive minores vitulum aureum adoraverunt; ergo Eccleſia Chriſti poterit eodem modo ſculptile, & Imagines adorare. Id ſi faciat, ut facit, errabit ſine dubio in fide, ac religione. Rursùs Iſaiæ, & Jeremiæ temporibus tota Eccleſia à vero Dei cultu lapſa eſt. Quid igitur prohibet, idem accidere poſſe Eccleſiæ Chriſti? antecedens probat. *Iſaias cap. 1. v. 3. Cognovit*, inquit, *Bos poſſeſſorem ſuum, & Aſinus præſepe Domini ſui: Iſrael autem me non cognovit, & Populus meus non intellexit;* & *v. 6. A plantâ pedis uſque ad verticem non eſt in eò ſanitas. Jeremias* autem *cap. 2. v. 26. Quomodo confunditur fur, quando deprehenditur, ſic confuſi ſunt domus Iſrael, ipſi, & Reges eorum, Principes, & Sacerdotes, & Propheta eorum: dicentes ligno: Pater meus es tu; & lapidi: tu me genuiſti &c. v. 29. Omnes dereliquiſtis me;* & *cap. 5. v. 1. Circuite vias Jeruſalem, & aſpicite, & conſiderate, & quærite in plateis ejus, an inveniatis Virum facientem judicium, & quærentem fidem, & propitius ero ei. v. 4. Ego autem dixi, forſitan pauperes ſunt, & ſtulti, & ignorantes viam Domini, judicium Dei ſui. Ibo igitur ad optimates, & loquar eis: ipſi enim cognoverunt viam Domini, judicium Dei ſui: & ecce magis hi ſimul confregerunt jugum, ruperunt vincula.* Ergo omnes eo tempore, & Populus, & Optimates, & Sacerdotes: uno verbo: tota Eccleſia Iſrael tunc à Deo, & à Fide defecerat.

Reſpond. neg. antecedens. Ad primam probationem multis modis reſpondetur. Primò certum eſt, nec Moyſen, nec Joſuè, penes quos ſumma rerum tunc erat, in populi furorem, & inſaniam incidiſſe. Secundò nec omnes, qui in caſtris remanſerant, in flagitium conſenſerunt, præ-

fertim illi, qui ad Moysi vocem surgentes, ultionem de flagitiosis sumserunt: à Domino enim stetisse certius est, nec in scelere consortes fuisse, quos Dominus justitiæ administros in ultione esse voluit. Tertiò Aaron nondùm fuerat Sacerdotio initiatus, nondùm superhumerale fuerat ei impositum, & rationale, in quo erat doctrina, & veritas, alligatum, & aptatum, ut legitur *Levit.* 8. *v.* 8. Quid ergo si Aaron, filiique ejus, nec Pastores populi constituti, nec Sacerdotes consecrati, in fide, ac religione errarint? Quartò Aaronis error, ut similiter Petri, & Marcellini, ex metu, non ex infidelitate processit. Nihil ergo hoc argumento contra nos concluditur.

XV. Ad secundam probat., quæ erat unum ex argumentis Donatistarum, respondit jam Sanctus Augustinus *lib. de unit. Ecclesiæ cap.* 13., & *lib. post collationem ad Donatistas* cap. 20., *quòd more suo Scriptura loquitur, quæ sic arguit malos, tanquam omnes in eo populo mali sint; & sic consolatur bonos, tanquam omnes ibi tales sint.* Sicut ergo Paulus 1. *Corinth. cap.* 1. *v.* 2. scribens Corinthiis, eos primò appellat sanctos, divites in omni verbo, in omni scientiâ, & ità ut nihil illis desit in ullâ gratiâ; & tamen cùm inter illos aliqui essent Schismatici, qui Christum dividebant, aliqui non adhuc credentes resurrectionem mortuorum, & proinde indignè accedentes ad Eucharistiam, eos sic arguit, & increpat, ac si omnes hoc horrendo vitio inquinati essent; ut observat S. Augustinus laudatus *cap.* 21. Ità Isaias, & Jeremias totum populum Israeliticum de relicto veri Dei cultu increpant: non quia nullus esset in toto populo, qui cultum veri Dei custodiret; sed cùm multi, imò major pars hoc crimine esset inquinata, adeò ut viri justi comparati ad illos, utpote pauci, essent quasi nullus: ideò sic impiis exprobrant, ac si omnes penitùs impii essent. Quare dùm ajunt, omnes, Populum, Reges, Optimates, Sacerdotes Deo terga vertisse, ly *omnes* non est (ut ajunt Logici) accipiendum cum distributione completa, seu pro singulis generum, ac si ex omni statu omnes, & singuli Deo terga verterint; sed cum distributione incompletâ, seu pro generibus singulorum; quia ex omni statu Regnum, Principum, Optimatum, Sacerdotum aliqui, & quidem multi, imò pars major, hoc flagitio laborabat: unde ex hoc non evincitur, ex totâ Ecclesiâ Israel fidem defecisse. Quòd autem hoc verum sit, Scriptura ipsa ostendit. Ezechiel eodem, quo Jeremias, tempore vaticinatus est. Quid dicat ei Dominus, audiamus. *Ezech.* 3. *v.* 7. *Domus autem Israel nolunt audire te, quia nolunt audire me: omnis quippe domus Israel attritâ fronte est, & duro corde.* Quis credat in tota hâc depravatâ domo aliquam partem superesse, cui generalis illa sententia non conveniat? Sed audiatur quid iterùm dicat Dominus (*Ezech. c.* 9. *v.* 4.) Ezechieli. *Transi per medium Civitatem, in medio Jerusalem: & signa Thau super frontes virorum gementium, & dolentium super cunctis abominationibus, quæ fiunt in medio ejus.* Ergo non omnes in populi flagitium consenserant, non omnes erant attritâ fronte, & duro corde; sed erant qui flagitia populi detestarentur, qui propterea signati Thau in fronte fuere, ut in cæde generali præservarentur. Rursùs. *Salvum*, inquit David, *psalm.* 11. *v.* 2., *me fac Domine, quoniam defecit sanctus, v.* 3. *Vana locuti sunt unusquisque ad proximum suum.* Ecce David quasi relictus solus totius humani generis culpas deplorat. Sed quid dicat illi Dominus, audiamus. *Propter miseriam inopum, & gemitum pauperum nunc exurgam.* Ergo aderant cum Davide socii gementes super cæterorum culpis, propter quos exurgere decreverat Dominus Deus, ad puniendos scilicet oppressores, & sublevandos oppressos. Elias item 3. *Reg. cap.* 19. *v.* 10. & 14. conquerens, ajebat, *derelictus sum ego solus*, ac si cęteri omnes dereliquissent Deum suum, & tamen ait D. Paulus *Rom.* 11. *vers.* 4. *quid dicit illi divinum responsum? reliqui mihi septem milia virorum, qui non curvaverunt genua ante Baal.* Quod legitur etiam 3. *Reg. cap.* 19. *v.* 18.

XVI. Objicies secundò, ut simus certi de judicio, & auctoritate Ecclesiæ, debemus esse certi, quænam sit vera Chri-

Christi Ecclesia; atqui certi non sumus, quænam sit Christi Ecclesia: ergo. Minor probatur primò. Ecclesia digito monstrari non potest; quomodo enim poterat monstrari Ecclesia Judæorum temporibus Eliæ, cùm se solum relictum deploraret? Quomodo, cùm Populus ille apud Babylonios, Persas, Egyptiosque dispersus sine Sacerdotio, sine Templo, sine Sceptro Gentibus, ac Diis alienis serviebat? An Christi etiam Ecclesia taliter obscurari non poterit, & occultari? Hilarii tempore Ariana hæresis omnia adeò miscuerat, ut credi quidem posset, sed non discerni. Quid, quòd sub diversis Pontificibus, schismate diù perdurante, nulla Ecclesiæ tuta facies apparuit? Quòd si prætertis retrò seculis vera Ecclesia resplenduit, quis certus est, eam perdurasse, & perdurare adhuc? Quis scit, aliquando non fore, ut ob eorum delicta Pastores omnes, & oves stupore, ac cæcitate Deus percutiat? & quis certus est, hoc jam factum non fuisse? Id, quod de Orientali Ecclesiâ dicimus accidisse, cur de Occidentali accidere non poterit, vel fortè jam non accidit? Ubi erit, & qualis Ecclesia illo tempore, de quo Dominus ait, *Luca 18. v. 8. Verumtamen filius hominis veniens, putas, inveniet fidem in terra?* Quis certus est, hoc tempus nondùm advenisse? His hæretici quasi re confectâ gloriantur.

Secundò probatur minor. Ecclesia ex solo prædestinatorum numero constituitur: sed soli Domino electorum numerus notus est; ergo. Major suadetur. Tùm quia Petrus *epist. 1. c. 3. v. 20.* dixit, Arcam Noe Ecclesiæ typum fuisse; atqui in Arcâ Noe ii soli fuerunt, qui salvandi erant; ergo in Ecclesiâ &c. Tùm quia Christus non est alterius Ecclesiæ Caput, nisi ejus, cujus est Salvator, & quam sibi exhibet gloriosam, ut ad *Ephes. 5. v. 27.* Tùm quia ovile Christi nonnisi ex Christi ovibus conficitur; at oves Christi illæ modò sunt, de quibus ipse ait *Joa. 10. v. 27. Oves mea vocem meam audiunt, & ego vitam aternam do eis.* Tum denique Ecclesiam constituunt filii Dei, eorum enim Ecclesia est mater, quorum Deus est pater; at filii Dei soli sunt, qui hæreditatem gloriæ sunt percepturi, dicente Apostolo Rom. 8. v. 17. *Si filii, & heredes: heredes quidem Dei, coheredes autem Christi*; ergo &c.

Tertiò probat. minor. Vera Christi Ecclesia debet esse perfecta, tota pulchra, & sine macula, *Cant. 4. v. 7. Cant. 6. v. 3. Ephes. 5. v. 27. Immundus per eam transire non poterit. Esai. 52. v. 1.*; atqui Ecclesia immaculata, vel fabulosa est, vel nobis ignota, ut Apostolus *Hebr. 12. v. 18. & 22.* innuere videtur, cùm Ecclesiam Christi à Synagogâ discernens, non eam sensibilem, & tractatam, sed spiritualem, & intractatam describit. *Non enim accessistis* (ait) *ad tractabilem montem, & accensibilem ignem . . . sed accessistis ad Sion Montem, & Civitatem Dei viventis, Hierusalem cœlestem &c.*

Tùm etiam. Nam Ecclesiam, non quamlibet, sed sanctam, fideles tenentur credere; At in sanctâ congregatione non nisi sancti intelliguntur. Quòd si mali Ecclesiæ membra sunt, non erit sancta; imò si mali membra Ecclesiæ sunt, membra etiam Christi erunt, cùmque mali membra diaboli sint, iidem erunt membra Christi, & Diaboli, Cives Hierusalem, & Babylonis: quo quid absurdius?

XVII. Respondeo ad argumentum, neg: minorem. Ad primam ejus probationem, quæ erat argumentum Donatistarum, respondet Augustinus *de Unit. Eccles.* cap. 16.: *Non est autem ista operta, quia non est sub modio, sed super candelabrum, ut luceat omnibus, qui in domo sunt. Et de illa dictum est;* non potest Civitas abscondi super montem posita. *Sed Donatistis operta est, qui audiunt tam lucida, & manifesta testimonia, que illam toto Orbe demonstrant, & malunt clausis oculis offendere in montem, quàm in eum ascendere.*

Eliæ etiam temporibus monstrari poterat; unde, ut dictum est supra, ostensa illi fuerunt septem millia virorum, qui non curvaverant genua ante Baal. Erat insuper in Hierusalem Templum Dei, erant Summi Sacerdotes, vera itidem erat de religione, ac lege doctrina, quamvis eam pauci profiterentur. Populo etiam inter gentes disperso, aderant, qui

qui eminerent pietate, ac religione Prophetæ, aliique populum eam docentes: non erat sacrificium, quia templum eversum erat Hierosolymitanum, in quo solo sacrificium offerre licebat. Quòd si adeò publicè, ut priùs, cultum Dei non profitebantur: hoc erat, quia inter gentes captivi erant, ut hodie Christiani, inter Idololatras, & Turcas degentes, & Catholici in regionibus hæreticorum. Verùm, ut benè advertit Canus *lib. 4. cap. ult.*, non benè sequitur. Si populus ille ità vacillavit, ut penè cecidisse videatur, Christi quoque Ecclesiam usque adeò obscurari posse, ut ejus species non affulgeat. Vetus enim Ecclesia, utpote quæ casura esset, ruinam sæpe minabatur; & maximè dùm suo casui appropinquabat, sicut candela jam moritura, emicabat modò, modò occultabatur. De illa dictum non erat, ut de Ecclesiâ Christi: *Portæ inferi non prævalebunt. Vobiscum sum usque ad consummationem seculi.* Nec illi promissus fuerat Spiritus Sanctus, ut cum ea maneret in æternum.

XVIII. Quod opponitur de Hilario, oppositum fuit D. Augustino à Vincentio Rogatista, ut videre est *epist. olim 48.* modò *93. c. 9.* Cui Augustinus respondebat: Ecclesia *aliquando obscuratur quidem multitudine scandalorum... sed etiam tunc in suis firmissimis eminet... Aliquando autem tribulationem fluctibus operitur, atque turbatur. Tale tunc erat tempus, de quo scripsit Hilarius: unde putasti insidiandum contra testimonia tot divina, tanquam perierit Ecclesia de orbe terrarum. Potes hoc modo dicere, nec tot Ecclesias Galatia tunc fuisse, quando dicebat Apostolus: O stulti Galatæ &c. Sic enim calumniaris docto viro, qui tardicordes, & timidos graviter increpabat &c. Quis enim illo* (Hilarii) *tempore obscuris verbis multos parvi sensus fuisse delusos, ut putarent, hoc credi ab Arianis, quod etiam ipsi crederent: alios autem timore cessisse, & simulatè consensisse?... Quamquam & ipsi, qui tunc firmissimi fuerunt, & verba hæreticorum insidiosa intelligere potuerunt, pauci quidem in comparatione cæterorum, sed tamen etiam ipsi quidam pro fide fortiter exulabant, quidam toto Orbe latitabant.... Hilarius ergo decem Provinciarum Asianarum, aut zizania, non triticum arguebat, aut ipsum etiam triticum, quod defectu quodam periclitabatur, tantò utiliùs arguendum putabat. Habent enim etiam scripturæ canonicæ hunc arguendi morem, ut tanquam omnibus dicatur, & ad quosdam verbum perveniat.* Hucusque Augustinus.

Ecclesia ergo Catholica Hilarii tempore Arianorum fraudibus circumventa, adhuc, licèt in paucis, eminebat, ac digito monstrari poterat. Et licèt visa fuit mergi, & obscurari, clarior tamen emersit, & illuxit. Audiendus est Sanctus Hieronymus adversus Luciferianos. *Ingemuit* (inquit) *totus Orbis, & Arianum se esse miratus est.* Infra: *Periclitabatur navicula Apostolorum, urgebant venti, fluctibus latera tundebantur, nihil jam supererat spei: Dominus excitatur, imperat tempestati; bestia* (Constantius) *moritur, tranquillitas rediit. Manifestiùs dicam. Omnes Episcopi, qui de propriis sedibus fuerant exterminati, per indulgentiam novi Principis, ad Ecclesias redeunt. Tunc triumphantem suum Athanasium Ægyptus excepit: tunc Hilarium de prælio revertentem, Galliarum Ecclesia complexa est: tunc ad reditum Eusebii lugubres vestes Italia mutavit &c.* Non fuit ergo in tempestatibus submersa Ecclesia; jactata quidem, ac penè fluctibus operta, sed quò magis in eâ tuendâ remigantes laborabant Catholici, eò magis adspectabilem, & claram reddiderunt. Quòd si de Ecclesiâ Romanâ loquar, ejus fides nunquam omninò latuit, sed toti semper Orbi fuit manifesta. Quod suo loco manifestiùs ostendetur.

Nec schismatum tempore periclitatur, aut occultatur Ecclesia, manifesta semper manet ejus fides, quamvis tunc Pastorum judicia, quia absque legitimo, vel certo capite, incerta sint.

XIX. Ad id, quod additur, quòd si Synagoga defecit, posset & Ecclesia deficere, nego assumtum. Synagogam namque defecturam Prophetæ testati sunt; At non sic de Christi Ecclesiâ, quam potiùs in æternum mansuram pollicitatione suâ

Chri-

Christus firmavit. De Orientali Ecclesiâ: ejus à Latinâ pertinax defectio, abundè eam collapsam esse testatur: at Occidentalis adhuc magis resplendet, & quamvis Lutherus, & Calvinus eam obscurare conati sint, eò fulgentiorem reddiderunt. Ad dictum illud Christi respondent Augustinus, & Hieronymus. Hieronymus quidem *Dialogo adversus Luciferianos*, Christum de eâ fide loqui, *de quâ ipse ajebat Matth. 9. v. 22.* fides tua te salvam fecit: *& alibi de Centurione Matth. 8. v. 10.* non inveni tantam fidem in Israel. *Et rursùs ad Apostolos Luca 7. v. 9.* Quid timidi estis modicæ fidei? *nec non in alio loco Luca 17. v. 6.* Si habueritis fidem, sicut granum sinapis &c. *Nec enim Centurio, aut illa mulierula, qua per duodecim annos fluxu sanguinis tabescebat, in Trinitatis Sacramenta crediderant ... sed simplicitas mentis, & devota Deo suo anima approbata est ... hac est fides, quam rarò inveniri Deus pronunciavit: hac est fides qua etiam apud eos, qui benè credunt, difficilè perfecta invenitur.* Hæc Hieronymus, qui accipit fidem pro fiduciâ. Fiducia enim, ait *D. Thom. 2. 2. qu. 129. art. 6. in corp.* dicitur à fide: *ad fidem autem pertinet aliquid, & alicui credere.* Pertinet etiam ad form, quia *nomen fiducia hoc principaliter significare videtur, quòd aliquis spem concipiat ex hoc, quòd credit verbis alicujus auxilium promittentis ... Vel eùm aliquis confiderans, alium amicum suum esse potentem, fiduciam habet adjuvari ab eo.* Et hâc fide, nimirùm fiduciâ, Mulier illa, & Centurio accesserunt ad Jesum; & de hâc Christus loquebatur, cùm dixit *Luca. 18. v. 8 putas, inveniet fidem in terra?*

Eodem fermè modo respondet Sanctus Augustinus *de Unit. Eccl. cap. 15.*, ubi post relata Christi verba: *Quod* (inquit) *nos intelligimus dictum, vel propter ipsam fidei perfectionem, qua ità difficilis est in hominibus, ut in ipsis quoque admirabilibus sanctis, sicut in ipso Moyse, inveniatur aliquid, ubi trepidaverint, vel trepidare potuerint, vel propter illam iniquorum abundantiam, & paucitatem bonorum &c.* Addit rursum *propterea enim tanquam dubitans hoc Dominus dixit, Putas inveniet fidem in terra? Cui utique cuncta scienti, & præscienti de aliqua re dubitare non convenit: sed illius dubitatio nostram dubitationem figuravit: quia propter multa scandala circa finem seculi pullulantia, hoc erat quandoque infirmitas humana dictura.*

XX. Ad secundam prob. nego majorem. Ad primam probationem dico, Arcam Noemicam adduci à D. Petro in typum Ecclesiæ, non quòd omnes intra eam facti sint salvi, sicut omnes intra arcam salvi facti sunt à diluvio: sed quòd sicut nullus extra Arcam salvus factus est; ità nullus extra Ecclesiam salvatur. Quapropter (benè advertit Canus citato loco) ne quis in hunc errorem incideret, ut putaret omnes, qui per Baptismum in Arcam Ecclesiæ transeunt, esse salvos, idcircò Petrus cautè, & sapienter adjecit: *non carnis depositio sordium*, idest pura detersio corporalium sordium, per aquam Baptismi non salvat, sed *conscientia bona interrogatio*, idest vita, quam conscientia non reprehendat. Quo fit, ut omnes quidem, qui per Baptismum Arcam Ecclesiæ ingressi sunt, salventur, sed si vitam ad normam Evangelii componant. Imò, si ad similitudinem Arcæ attendamus, potiùs colligitur oppositum. Primò, quia dicit D. Petrus, quòd per Arcam pauci, idest octo animæ, salvi facti sunt; ergo dùm subjungit similitudinem in Baptismo, eam induc't ad ostendendum paucitatem salvandorum. Secundò, quia Sanctus Hieronym. dialogo adversus Luciferianos. *Ut in illâ (Arcâ), inquit, omnium animalium genera, ità & in illâ (Ecclesiâ) universarum gentium, & morum homines sunt. Ut ibi pardus, & hædi; lupus, & agni: ità & hîc justi, & peccatores, idest vasa aurea, & argentea, cum ligneis, & fictilibus commorantur.* Hæc Hieronymus, qui in aliis pluribus Arcam cum Ecclesiâ ibi comparat; ergo Ecclesia non solos prædestinatos, & sanctos, sed fideles omnes, sive justos, sive peccatores concludit, si Arcæ cum Ecclesiâ similitudo attendenda est.

Ad id, quod secundò subjicitur, do antecedens, quod non est adeò certum. Nam

Nam Christus Angelorum Caput est, quorum non est propriè Servator, & nego consequentiam. Non enim valet: Christus est Ecclesiæ Salvator; ergo omnes, qui sunt in Ecclesiâ, salvat re ipsâ, & quoad efficaciam eventus. Sicut enim dux dici potest verè servator Civitatis, etsi aliquæ Civitatis partes, & Cives pereant, si maximè pereant, quia volunt; ità Christus est verè Salvator corporis sui, quod est Ecclesia, etsi reipsâ aliquę partes ejus non salventur, quia nolunt. D. Paulus verò dicit, Christum seipsum tradidisse, ut Ecclesiam exhiberet gloriosam, non tamen dicit, in omnibus suis partibus. Sicut autem mortuus ille est, ut omnes viveremus, nec tamen vivunt omnes: sic se tradidit pro Ecclesiâ, ut eam mundaret, & glorificaret, nec tamen omnes, qui in Ecclesiâ sunt, mundantur, & glorificantur, suo defectu, non Christi.

Ad id, quod tertiò dicitur, Ecclesia Christi est ovile, fateor: at in ovili non solæ sunt oves, sunt & hędi ovibus mixti. Sunt etiam oves, quæ vocem Pastoris audiunt, & ipsum sequuntur; sunt etiam quę ipsum non audiunt; sunt oves sanæ, sunt etiam infirmæ. Nomen ovis sæpe in Scriptura pro justis, & pro electis usurpatur, sed non semper. Quid enim illud Ps. 118. v. 176. *Erravi sicut ovis, quæ perierat?* Quid illud Isaiæ 53. v. 6: *Omnes nos quasi oves erravimus?* Quid illud Psalm. 73, v. 1. *Iratus est furor tuus super oves pascuæ tuæ?* Quid illud Psalm. 48. v. 15. *Sicut oves in Inferno positi sunt?* In Evangeliis Matth. 18.; & Lucæ 15. habemus ovem errantem. Et *Matt.* 15. *v.* 24. oves, quę perierunt domus Israel. Oves ergo, quæ veræ sunt Christi, quæ audiunt vocem ejus, sunt justi, & electi; & his dat vitam æternam; quod non tollit, quin in ovili sint aliæ, quæ fidem quidem habent, sed non audiunt Christi Pastoris vocem.

Ad id, quod quartò additur, dico, majorem veram esse, si per *filios Dei* intelligas eos, qui per Baptismum Christo, & Ecclesiæ geniti sunt: sed in his sunt improbi quidam, & stulti filii, quos Patris, Matrisque cura parturire iterùm gestit, donec formêtur in eis Christus. Si verò intelligas tantùm filios Dei, juxta frequentiorem scripturæ usum, eos tantùm, qui probi, & sapientes sunt; certè non ex his solis conflatur Ecclesia, sed ex illis etiam, qui paternæ probitatis effigiem deleverunt; Nam, & in hos nomen *filii* quandoque diffunditur. *Nunquid* (ajebat Moyses ad populum contumacem Deuteron. 32. v. 6.) *nunquid non ipse est pater tuus?* & v. 20. *generatio enim perversa est, & infideles filii.* Isaiæ 1. v. 2. *filios enutrivi, & exaltavi, ipsi autem spreverunt me.* Jerem. 3. v. 14. *convertimini filii revertentes.* Hinc Cant. 2. v. 2. *sicut lilium inter spinas, sic amica mea inter filias.* *Quod* (ait Aug. de unit. Eccles. c. 14.) *de Sanctâ Ecclesiâ dictum, omnis Christianus agnoscit .... Unde appellat spinas, nisi propter malignitatem morum? & easdem, unde filias, nisi propter Communionem Sacramentorum.* Hinc non colligitur: filius est; ergo percipiet hæreditatem: nisi adjungas hoc, scilicet, & jus, quod accipit, non amisit. Videmus enim filios aliquando verè, ac justè ob demerita exhæredari. Sed de hoc satis.

XXI. Ad tertiam probat. minoris principalis respondet D. Augustin. *lib.* 2. *retract. cap.* 18. *Ubicumque commemoravi Ecclesiam, non habentem maculam, aut rugam, non sic accipiendum est, quasi jam sit, sed quæ præparatur, ut sit, quando apparebit gloriosa. Nunc autem propter quasdam ignorantias, & infirmitates membrorum suorum habet, unde quotidie dicat, dimitte nobis debita nostra.* Et lib. de perfectione justitiæ cap. 15. *Tunc plenè* (inquit) *atque perfectè erit Ecclesia, non habens maculam, aut rugam, aut aliud hujusmodi, qui tunc etiam erit verè gloriosa. Cùm enim non tantùm,* (ait D. Paulus *Ephes.* 5. *v.* 27.) *ut exhiberet sibi Ecclesiam, non habentem maculam, aut rugam, sed addidit gloriosam, satis significavit, quando erit sine maculâ, & rugâ, aut aliquo hujusmodi: tunc utique, quando gloriosa. Non enim modò in tantis malis, in tantis scandalis, in tanta permixtione hominum pessimorum, in tantis opprobriis impiorum, dicendum est, eam esse gloriosam ....*

mun-

mundat ergo eam nunc lavacro aqua in verbo, abluens peccata praeterita, & pellens ab eâ dominationem malorum Angelorum. Deinde perficiens ejus sanitates; facit eam occurrere in illam gloriosam sine maculâ, & rugâ. Hucusque Augustinus. In hanc sententiam veniunt S. Thomas 3. *p. quaest. 8. art. 3. ad 2.* Quin, & Hieronymus in *cap. 31. Jeremiae circa finem.* Eodem modo exponit idem Augustinus allatum testimonium ex Isaia lib. contrà donat. post collationem cap. 8. *Quomodo ergo (inquit) testimonium propheticum, quod in suâ responsione (Donatistae) posuerunt, quod Ecclesia dictum est,* non adjicit ultra per te transire incircumcisus, & immundus, *ad hoc tempus pertinere intelligitur, quando Ecclesia retibus comparata est, quibus in mari adhuc positis pisces malos bonis permixtos, vel occultos esse confessi sunt? Unde manifestum est, nonnisi in futuro seculo post judicium nullum incircumcisum, & immundum per Ecclesiam transiturum.*

XXII. Aliâ tamen viâ, & quidem probabiliter, sustineri potest, in citatis Scripturae textibus sermonem fieri de Ecclesiâ, quae nunc est. Haec enim dici potest sancta, & immaculata, sine maculâ, sine rugâ tùm sanctitate sui conditoris Christi, & suarum legum; tùm etiam aliquomodo sanctitate suorum membrorum. Sanè in parvulis, & in adultis nunc primùm per baptismum lotis sancta, & immaculata est. Est etiam immaculata in iis, qui legem observant, & si quandoque in venialia cadunt peccata, haec purgare non negligunt; ut Augustinus ipse testatur *lib. de perfect. justitiae c. 9.* hine Psalm. 17. v. 44. *ero immaculatus cum eo.* Et quomodo *& observabo me ab iniquitate mea.* Item Psalm. 118. v. 1. *Beati immaculati in viâ, qui ambulant in Lege Domini.* Est ergo Ecclesia praesens immaculata prorsùs quidem in aliquibus suis membris, ut in infantibus, & adultis nunc baptizatis; in aliquibus etsi non prorsùs est sine maculâ, est munda à crimine, & culpâ gravi, imò culpas etsi leves continuò abluere conatur, & tendit, ut aliquando prorsùs sine ullâ maculâ sit. Hanc solutionem sequuntur D. Hieron. *in epist. ad Ephes. cap. 5.*, Gelasius Papa *in Decreto de Apocryphis*, Concil. Tolet. VI. *c. 1.*, & D. Thom. *in ep. ad Ephes. c. 5. lect. 8.* utramque amplectitur. Juxta hanc solutionem verba Isaiae *non transibit per eam incircumcisus, & immundus* debent sic intelligi, ut incircumcisus, & barbarus populus non sit Ecclesiam oppressurus, quemadmodum opprimit, qui pede calcat.

XXIII. Ad id, quod additur, dico, nos credere Ecclesiam Sanctam, quia omnes suos ad sanctitatem suis monitis, ac legibus perducere conatur. Sanctam insuper, quia omnes, qui verè, & propriè ejus membra sunt, sancti sunt. Pro hujus explicatione noto, quod in aliquo toto aliud est esse membrum, aliud esse partem: pars refertur ad totum, membrum verò solùm ad totum, seu corpus animatum. Sic pars invenitur sine vitâ, ut in lapide, vel ligno; membrum autem sine vitâ nec concipi quidem potest. Sic improbi partes quidem Ecclesiae sunt; membra Ecclesiae, aut Christi non sunt, sunt autem Diaboli membra. At Ecclesiae partes, & in Ecclesiâ esse censentur, quia facti per fidem baptismatis hujus Civitatis Cives, & huic adscripti, per infidelitatem ab eâ non recesserunt. Cives ergo adhuc sunt, sed cives mali: & flagitiosi. Fide cives Jerusalem, opere cives Babylonis. Nec quòd improbi in Ecclesiâ sint, ejus sanctitati praejudicat. Totum enim dicitur tale à partibus ejus praecipuis, ideòque cùm viri probi, ac justi, qui Ecclesiae partes, & membra sunt, caritate cum eâ copulati, Sancti sint, Ecclesia sancta ratione istorum dicitur, quamvis toleret alias partes, non membra tamen, quibus nec vita inest, nec sanctitas. Ità ex Cano *laudato lib. 4. cap. ultimo.*

XXIV. Attamen D. Thomas 3. *p. qu. 8. art. 3. ad 2.* dicit, peccatores, & improbos esse membra Christi, non actualiter, quasi ab ipso vitam perfectam participantia, & simpliciter talem, sed esse membra Christi potentialiter: nisi *fortè imperfectè per fidem informem, qua unit Christo secundùm quid, & non simpliciter, ut scilicet per Christum homo* con-

consequatur vitam gratia: fides enim sine operibus mortua est, ut dicitur Jacobi 2. Percipiunt tamen tales à Christo quendam actum vitæ, qui est credere; sicut, si membrum mortificatum moveatur aliqualiter ab homine. Sicut enim, (est doctrina ejusdem in serm. dist. 13. qu. 2. art. 2. quæstiunc. 2.) *in corpore naturali invenitur quadruplex unio membrorum ad invicem. Prima secundùm conformitatem naturæ, quia omnia membra constant ex iisdem similibus partibus .... sicut manus, & pes ex carne, & osse: & sic dicuntur membra unum, sicut genere, vel specie. Secunda est per colligationem eorum ad invicem per nervos, & juncturas; & sic dicuntur unum continuatione. Tertia est secundùm quòd diffunditur vitalis spiritus, & vires animæ per totum corpus. Quarta est secundùm quòd omnia membra perficiuntur per animam, quæ est una numero in omnibus membris. Ità hæ quatuor uniones inveniuntur in corpore mystico. Prima est inquantum omnia membra ejus sunt unius naturæ, vel speciei, vel generis. Secunda est inquantum collegata sunt ad invicem per fidem, quia sic continuantur in uno credito. Tertia est secundùm quòd vivificantur per gratiam, & caritatem. Quarta est secundùm quòd in eis est Spiritus Sanctus, qui est .... quasi anima in corpore naturali.* Subdit deindè *quòd prima dictarum unionum non est unio simpliciter, quia illud, in quo est unio hac, non est unum numero, sicut est in tribus sequentibus, quia per fidem, & caritatem in uno credito, & amato secundum numerum uniuntur; similiter Spiritus Sanctus unus numero omnes repelet.* Postquam autem dixit, infideles non pertinere ad unitatem Ecclesiæ, nec eorum Christum esse caput, *nisi in potentiâ, quatenus ei sunt unibiles*: si venerint ad fidem, de fidelibus peccatoribus subdit: *homines autem fideles peccatores pertinent quidem aliquo modo ad unitatem Ecclesiæ, inquantum continuantur ei per fidem, quæ est unitas materialis, non tamen possunt dici membra propriè, nisi sicut membrum mortuum, scilicet æquivocè.* Quia nempe eis deest gratia, & Spiritus Sanctus, qui est forma, & vita membrorum Christi. Sed hæc satis.

XXV. Objicies tertiò. Duæ Ecclesiæ sunt, Græca, & Latina, cui ex his credendum erit? Si dixeris, Græcos esse schismaticos, idcircò apud eos Ecclesiam periisse, quia à Romano Pontifice desciscendo privilegium Ecclesiastici nominis amiserunt.

Contrà est. Ex uno Pontifice Ecclesiæ nomen, ac veritas non pendet, sed ex uno Christo, unâ Fide, uno Baptismate, ut ait Paulus ad Ephes. 4. v. 5. *Unus Dominus, una Fides, unum Baptisma*; sed hæc omnia insunt Græcis, qui unum Filium agnoscunt, unum Spiritum, unam fidem, unum baptisma; in quibus etiam multi boni sunt; ergo &c. Secundò ante Christi Nativitatem una veterum omnium Ecclesia fuit, nec in ea tamen fuit unus Pastor, & Rector. Tertiò mortuo Pontifice nihilo seciùs Ecclesia una est, & tamen tunc sine Capite, ac Rectore invenitur; ergo ex hoc Capite visibili Ecclesiæ veritas non dependet; ergo arroganter Ecclesia latina Catholicæ nomen sibi usurpat; ergo nisi idem cum græca sentiat, Ecclesiæ universalis auctoritate caret, nec tenemur ejus judicium revereri.

XXVI. Respondetur, optimè, ac verissimè dictum, apud Græcos Ecclesiam non esse, ex quo à Romano Pontifice schisma fecerunt. *Primatus Petro datur* (scribebat D. Cyprianus *l. de unitate Ecclesiæ* Novatiano, qui à Cornelio Romano Episcopo schisma fecerat) *ut una Christi Ecclesia, & Cathedra una monstretur ... Hanc Ecclesiæ unitatem, qui non tenet, tenere se fidem credit? Qui Ecclesiæ renititur, & resistit, qui Cathedram Petri, super quam fundata est Ecclesia, deserit, in Ecclesia se esse confidit?* Ex uno ergo Rectore nomen, & unitas, ac proinde Ecclesiæ veritas pendet; non enim potest esse unus Christus, una Fides, unum Baptisma, nisi unus sit spiritus, teste Apostolo laudato. Unus autem spiritus non est, qui ab Episcopatu, qui unitatis tessera est, schisma facit. Prosequitur Cyprianus: *Quando & Beatus Apostolus Paulus hoc idem doceat, & sacramentum unitatis ostendat, dicens: Unum corpus, & unus spiritus, una spes vo-*

vocationis vestræ, unus Dominus, una Fides, unum Baptisma, unus Deus. Quam unitatem firmiter tenere, & vindicare debemus, maximè Episcopi, qui in Ecclesiâ præsidemus, ut Episcopatum quoque ipsum unum, atque indivisum probemus. Porrò hujus unitatis originem ex D. Petri Cathedrâ sumendam esse, jam docuerat dicens: Christus *ut unitatem manifestaret, unam Cathedram constituit, & unitatis ejusdem originem ab uno incipientem suâ auctoritate disposuit. Hoc erant utique, & cæteri Apostoli, quod fuit Petrus, pari consortio præditi, & honoris, & potestatis, sed exordium ab unitate proficiscitur. Primatus Petro datur &c.* Græci ergo, qui ab obedientiâ Petro debita, ejusque successoribus recesserunt, ab unitate, & consequenter ab Ecclesiâ recesserunt.

Nec proinde tantùm schismatici sunt, sed etiam hæretici: tùm propter alia, quæ negant: tùm hâc præcipuè causâ, quòd inficientur, unum totius Ecclesiæ Pastorem esse à Christo in B. Petro institutum. Sed hoc importunè hic agitur.

XXVII. Ad secundam probat. nego antecedens. Imò retorqueo argumentum. Ex quo enim apud Judæos forma regiminis per Moysem instituta fuit, semper usque ad Christum extitit unus Summus Sacerdos, ad quem, ceu ad Supremum Caput, & Judicem omnes causæ deferrentur, ut fatetur Calvinus *lib. 4. Inst. cap. 6. §. 2.*, & Bellarmino referente *lib. 1. de Rom. Pont. cap. 9.*, etiam Centuriatores Magdeburgenses: ergo cùm ea, quæ in veteri Lege contingebant, essent figura eorum, quæ in novâ futura erant, sequitur, in novâ lege dari debere unum totius Ecclesiæ Pastorem Supremum, ad quem omnes causæ Ecclesiasticæ referantur, & qui in negotio religionis omnibus præsit.

Ad tertiam dico: mortuo Summo Pontifice, unam sine dubio Ecclesiam manere, quia licèt tunc non habeat unum Pastorem de facto, servat ordinem ad illum habendum. Manet etiam in eâ spiritus veritatis: at si controversiæ fidei, & religionis pro eo tempore oriantur, Ecclesiæ judicia sine Capite in terris non adeò certa erunt. Quæ persequi hujus loci non est.

XXVIII. Objicies quartò contra primam partem secundi asserti. Si standum esset auctoritati Ecclesiæ, maximè Ecclesiæ Catholicæ; sed hæc modò non est; ergo Ecclesia, quæ modò est, non est indubiæ auctoritatis. Minor probatur, Catholica Ecclesia ideò vocatur, quia per omnes gentes, & per totum Orbem diffusa est, ut contra Donatistas ostendit D. Augustinus tùm *lib. 2. contra Petilianum cap. 38.*, tùm *lib. 2. contr. Gaudentium c. 2.*, *lib. de unitate Ecclesiæ cap. 2.*, & alibi passim: atqui Ecclesia diffusa per totum Orbem ampliùs non est, cùm in angulum Europæ redacta sit, Mahumetanâ sectâ totam fere Asiam, & Africam occupante, & partem etiam Europæ, cujus non modica pars hodiernis hæresibus infecta est; ergo &c.

Respond. neg. minor., ad ejus prob. concedo maj. Nomen enim græcum *Catholon* idem est latinè, ac *secundùm totum*, unde, ut ait August. laudatis locis, Ecclesia dicta fuit Catholica, eò quòd ejus doctrina prædicata sit in toto Orbe, non tamen ità, ut sola semper occupaverit, & occupet totum Orbem, sed ut sit illa, cui oportet, ut credant omnes gentes. Unde D. Augustinus *epist. 80.* nunc 199. ad Hesychium cap. 12. *In quibus ergo gentibus nondùm est Ecclesia, oportet, ut sit, non ut omnes, qui ibi fuerint, credant, omnes enim gentes promissæ sunt, non omnes homines omnium gentium: non enim omnium est fides.* Cùm ergo Ecclesia, quæ modò est, sit illa eadem, quam Christus jussit prædicari per totum Orbem, quamque omnes amplecti tenentur, licèt non omnes eam amplectantur, reverâ Catholica dici debet, & est. Rursùs nomen Catholici, teste Vincentio Lirinensi *Commonitorio 1. nu. 1.*, dicitur ab universalitate nedùm hominum, & locorum, sed etiam doctrinæ. Quod enim ab omnibus, ubique, & quovis tempore creditum est, & creditur, id verè dogma Catholicum nuncupatur, & quæ hujusmodi dogmata profitetur, ea verè Catholica Ecclesia est: *In ipsâ item Catholicâ Ecclesiâ* (ait Lirinensis) *magnopere curandum est, ut id teneamus, quod ubique, quod semper, quod ab omnibus creditum est. Hoc est etenim verè, propriè que Catholicum, quod*

ipsa vis nominis, ratioque declarat, quæ omnia ferè universaliter comprendit. Cùm ergo Ecclesia, quæ modò est, sit illa eadem, quam Apostoli de Christi mandato per totum Orbem evulgarunt, quamque omnes gentes profiteri tenebantur, & adhuc tenentur: cùm insuper eadem dogmata credat, quæ Apostoli predicarunt, quæque ab omnibus verè Christianis ubique, & semper credita sunt: etsi non totum orbem complectatur, neque modò ad eos fines protendatur, ad quos olim sese extendebat, adhuc verè Catholica est. Quare sicut Ecclesia, verè Catholica erat, dùm ab initio ad solos Apostolos, aliosque paucos Hierosolymis restricta erat, quia illa, cujus fides toti Orbi annuncianda erat, quamque omnes ad salutem tenebantur amplecti; Ita nunc. Imò si Christiana fides ad unius Provinciæ angustias redigeretur, nihilominùs eàdem ratione Catholica esset, & Provincia, quæ illam amplecteretur, esset verè Ecclesia Catholica, quia esset illa, quam Apostoli fundarunt, cujusque doctrina ab omnibus ubique, & semper credita fuit.

Quæ solent opponi contrà auctoritatem sumtam ex Ecclesiæ Pastoribus, proponentur, & solventur dubio sequenti.

DUBIUM V.

De loco ab Auctoritate Conciliorum.

§. I.

Quid sit Concilium, quibus constet, & quotuplex sit.

I. Concilii nomen latinum correspondet græco *Synodus*, & Hebraico *Synedrium*, & *Synagoga*. Nomen Concilii passim in scripturis legitur, Synodi verò nunquam, quod enim nobis Concilium est, in græca versione redditur, vel *Synedrion*, vel *Synagogi*. Synodus est vox græca ex voce *Sin*, idest *Simul*, & *Odos*, ides *Iter*. Unde Synodus idem est, ac *simul itio*, seu *coitio*, vel *conventio* plurium in eundem locum. Concilia porrò in Ecclesiâ Christi idem sunt, ac comitia in Regno: Sicut ergo ad comitia soli Optimates, ac regni ministri convocantur, & accedunt, ut ferant suffragium; sic in Conciliis soli Ecclesiarum Præsules, nimirùm Episcopi, sunt accersendi, ut de rebus controversis judicium proferant, ac sententiam ferant.

II. Hoc dico, ut obstruam os Protestantibus, qui ad suas Pseudo-Synodos admittunt quoscumque viros doctos, etsi laicos, eisque jus inesse, votum, ac sententiam in rebus fidei ferendi, asseverant; Contrà quos fusè oppositum ostendi *in verâ Christi Ecclesiâ to. 1. cap. 11. §. 5.*, & suo loco iterùm dicam. Is enim est Hierarchicus ordo à Deo statutus, tùm in veteri Lege, tùm in novâ, ut sicut de temporalibus Principes, ac Reges, ità de spiritualibus Præsules Ecclesiæ judicent, ac Sacerdotes. In veteri quidem, nam *Deuter. 17.* dicitur, *si difficile, & ambiguum apud te judicium esse perspexeris... venies ad Sacerdotes Levitici generis.. sequerisque sententiam eorum, nec declinabis ad dexteram, neque ad sinistram*. Hinc Aggei c. 2. v. 12. *interroga Sacerdotes legem*. Et Malach. 2. v. 7. *labia Sacerdotis custodient scientiam, & legem requirent de ore ejus, quia Angelus Domini exercituum est*: ergo in rebus fidei, & religionis judicium Sacerdotum expectabatur. In novâ item, doctrinam fidei & morum ab Episcoporum, & Sacerdotum labiis, & judicio pendere testatur D. Paulus *Ephes. 4. v. 11.* dicens: *& ipse dedit quosdam quidem Apostolos, quosdam autem Prophetas, alios verò Evangelistas, alios autem Pastores, & Doctores &c.* Quo loco Paulus cùm Apostolos, Prophetas, & Evangelistas quasi in tres classes distribuisset, Pastores tamen, & Doctores reipsâ prudenter conjunxit, ut iidem in Ecclesiâ esse, qui pascerent, & qui docerent, intelliguntur. Hinc Act. 20. idem Paulus v. 28. *Attendite*, inquit, *vobis, & universo gregi, in quo vos Spiritus Sanctus posuit regere Ecclesiam Dei*: & hoc, ut populum continerent in fide, quam eis annunciaverat, nec sinerent, eum decipi à lupis rapacibus, & perversa loquentibus, quos prædicit venturos, do-

ut abducant discipulos. Item 1. *ad Timot. cap.* 3. *v.* 4., ficut & *ad Titum cap.* 3. scribens, utrique dat monita pro pascendo grege bonis moribus, & sanâ doctrinâ, pro vitandis hæreticis &c. sciebat ergo Paulus, omnia hæc, quæ ad mores formandos, & sanam fidem tuendam spectant, Episcopi munus esse: uterque enim Episcopus erat, Timotheus quidem Ephesiorum, Titus verò quasi Metropolita super omnibus Ecclesiis Cretæ.

III. Quapropter *act.* 15. tradit Lucas, quòd cùm venissent Paulus, & Barnabas, & quidam alii Hierosolymam, suscepti quidem sunt ab Ecclesiâ, quæ erat Hierosolymis; sed cùm ventum esset ad quæstionem *v.* 6. *convenerunt*, ait, *Apostoli, & Seniores* (Presbyteri) *videre de verbo hoc*: non dixit, convenit omnis Ecclesia. In eo concilio locutus est Petrus, & Jacobus, Barnabas, & Paulus; tacuit autem omnis multitudo. Concilii litteræ, seu Acta ab Apostolis, & Præsbyteris destinata fuerunt, nomen Apostolorum, & Seniorum præferentia, ut ibidem legitur. Hujus Concilii, apud Christianos primi, normam secuta sunt subsequentium seculorum Concilia, in quibus solis Episcopis, ac Præsbyteris jus ferendi judicium, ac formandi decreta concessum est. Interfuere quidem aliquibus Conciliis Imperatores, Reges, Principes, Senatores, aliique ex laicis, non tanquam judices, aut suffragium ferendo, aut sententiam, sed ut Protectores, pacis, & securitatis Conciliorum custodes. Hoc pacto interfuere Conciliis Constantinus Magnus, Marcianus, aliique, & meritò quidem. Cùm enim in dubium venit, quænam pascua sint ovibus permittenda, quæ contrà vitanda, Pastorum ea consultatio est, non ovium; Iperatores autem, Reges, cæterique Laici in Ecclesiâ oves sunt, non Pastores. Rursùs solvere quæstiones circa fidem exortas, & expleto judicio ligare fideles ad credendum, cęlumque claudere detrectantibus, non quorumcunique est, sed eorum tantùm, quibus ligandi, & solvendi facultas concessa est, & quibus traditæ Calves Regni Cęlorum sunt; at hujusmodi Potestas, hujusmodi Claves soli Episcopis, & Sacerdotibus traditæ sunt: ergo solis istis traditum est jus in Conciliis ferendi sententiam. Sed hoc satis.

IV. Conciliorum quatuor sunt genera; quædam enim sunt Generalia, quædam Nationalia, quædam Provincialia, quædam Diœcesana. Generalia dicuntur ea, ad quæ Episcopi totius Orbis convocantur; inde enim dicuntur OEcumenica, idest orbis terræ Concilia. Licèt autem ad hæc omnes totius orbis Episcopi convenire teneantur, si impediti non sint; non tamen est necesse, ut omnes omnino totius orbis conveniant, sed sufficit, ut ex quâlibet orbis parte, saltem præcipuâ, adsint aliqui. His nemo rectè præsidet, nisi Summus Pontifex, aut alius ejus nomine.

V. Nationalia dicuntur ea, quibus interesse possunt, & debent Archiepiscopi, & Episcopi unius Regni, vel Nationis. His præsidet aliquis, vel Patriarcha, vel Primas: & talia sunt multa Concilia Romana, Toletana, & Africana, quæ aliquando vocantur provincialia, aliquando etiam generalia, seù universalia. Provincialia quidem, quia certis Provinciis illius Regni, aut Nationis continentur: Generalia verò, non absolutè, sed in illo Regno, vel Natione.

VI. Provincialia dicuntur ea, ad quæ conveniunt Episcopi Provinciæ, quibus Metropolitanus, sive Archiepiscopus pręest. Horum plurima in tomis conciliorum leguntur.

Diœcesana verò ea sunt, ad quæ accedunt tantum Præsbyteri unius Diœcesis, Episcopo Praeside. Hæc vix nomen Concilii merentur, cùm dempto Episcopo nullus ordinariè in eis sit, qui Jurisdictione polleat.

VII. Hâc divisione positâ, & omnium assensu probatâ, emergit alia Conciliorum divisio, sive Generalium, sive Nationalium, sive Provincialium, sive Episcopalium, seu Diœcesanorum, in Concilia congregata a Romano Pontifice, & non congregata: in confirmata ab eodem, & non confirmata. Nam Concilium Ephesinum II. auctoritate Leonis Papæ coactum est quidem, sed nec

ab

ab ipso, neque ullo Summo Pontifice confirmatum. Basileense quoque Eugenius IV. indixit, nec tamen confirmavit; At Constantiense, quamvis à principio nullius Romani Pontificis auctoritate congregatum fuerit, illud tamen Martinus V. confirmavit. Et in Concilia nec congregata, nec confirmata, quorum aliqua sunt, vel in totum, vel quoad partem reprobata, alia, nec approbata, nec reprobata. His suppositis.

§. I I.

Duae priores resolutiones.

VIII. Dico primò. Concilium Generale, quod auctoritate Romani Pontificis, nec congregatum est, nec confirmatum, argumentum Theologo praebere non potest. Probat. primò, quia in fide errare potest: sicut de facto erraverunt cum Ario Concilium Ariminense sexcentorum Episcoporum, cum Dioscoro Ephesinum, secundum Constantinopolitanum trecentorum Pontificum cum Leone Imperatore. Probatur secundò, sicut Comitia alicujus Regni nulla sunt, nullius auctoritatis, imò suspecta, quae nec à Rege convocata sunt, nec approbata; ità Concilia totius Christiani orbis nulla erunt absque auctoritate illius, qui in Christiano Orbe Caput, & Rector est; atqui hic est Romanus Pontifex, ut suo loco dicetur, ergo &c. Hinc Julius I. Romanus Pontifex ad Orientales Antiochiae congregatos scribens, doluit, quod *contrà Canones ipsum ad Synodum non vocassent: cùm Ecclesiasticâ regulâ interdictum sit, ne praeter sententiam Romani Pontificis quidquam ab Ecclesiis decernatur.* Ità Socrates *lib. 2. histor. Eccles. cap. 17.* Quod idem referens Sozomenus *lib. 3. hist. cap. 10.* exprimit his verbis Julii querelam: *quòd praeter Ecclesiae leges ipsum ad Synodum non vocassent. Legem enim esse Pontificiam, ut pro irritis habeantur, quae praeter sententiam Episcopi Romani fuerint gesta.* Et D. Athanasius ex integro Julii epistolam referens, *Apolog. contr. Arianos*, Julium refert arguentem Orientales, qui Athanasium damnaverunt his verbis: *An ignoratis, hanc esse consuetudinem, ut primùm nobis scribatur, & hinc, quod justum est decernatur? Sanè, si qua hujusmodi suspicio in illius Urbis* (Alexandrinae) *Episcopum* (Athanasium) *cadebat, ad hanc Ecclesiam illud rescribendum fuit. Nunc autem illi, & nobis non indicata, postea quam, quod libuit, egere, nos, quibus ea crimina explorata non sunt, sibi suffragatores esse volunt. Nequaquam talia sunt Pauli statuta, non hac Patres tradiderunt: sed aliena est ista forma, novum hoc institutum.* Nullum ergo erat quarto seculo, quia contra statuta Patrum, quod non erat Romani Pontificis Apostolicâ Auctritate firmatum. Quae autem Julius scribebat, à B. Petro Apostolo se accepisse, asserebat. Subjungit enim: *Nam quae accepimus à B. Petro Apostolo, ea vobis significo.* Videndus Gratianus plura Roman. Pontificum dicta in hâc materiâ congerens *distinct. 17.* Sed nedùm Romani Pontifices id sibi asseruerunt; Verùm & Concilia ipsa tale jus in ipsis noverunt. De quo videnda Synodus VII. *act. 6.*, & VIII. *act. 1.*, *& 7.*; Et Concilium Lateranense V. sub Leone X. *sess. 11.*, ubi hoc, & asseritur, & probatur.

IX. Dices. Confirmare, & approbare superioris est, non inferioris; sed Pontifex Romanus non est superior Conciliis Generalibus, sed inferior; ergo &c. minor probatur. Concilium Constantiense *sess. 4. 5., & ultimâ* definivit, Concilium esse supra Papam, quod & Concilium Basileense confirmavit *sess. 33.*, addens, haereticum esse, qui hoc negaverit.

Respondeo negando min., de cujus falsitate suo loco fusiùs agetur. Ad prob. De Concilio Constantiensi multa dicenda essent. Nunc verò dicam, Concilium illud eo tempore, quo formavit illud decretum, non fuisse universale, & integrum. Erat enim tunc schisma in Ecclesiâ sub tribus Pontificibus Joanne XXIII., Gregorio XII., & Benedicto XIII., quorum nullus erat legitimus, & ab universali Ecclesiâ acceptatus. Illud coegerat Joannes XXIII., sed timens, ne Papatum abdicare cogeretur, jam aufugerat, & cum eo ejus factionis aliqui recesserunt. Aberant Gregorius XII., & Benedictus XIII., & qui

& qui pro illis stabant. Quomodo ergo generale, & integrum erat Concilium, cui deerant duæ Ecclesiæ partes? Nec refert, quòd Martinus V. in eo Concilio electus illud approbaverit, nam Martinus approbavit omnia à Concilio statuta in materiâ fidei contra hæreticos Jo: Wiclessum, Hieronymum de Pragâ, & Joannem Hus: approbatio enim illa ad petitionem Oratoris Regis Poloniæ facta est, qui hoc tantùm exigebat, ut acta in concilio contra hæreticos confirmarentur. Insuper Martinus in dictâ approbatione dicit, se omnia conciliariter facta approbare, & non aliter, nec alio modo: eo autem tempore, quo factum illud decretum *sess.* 4. & 5., nihil adhuc conciliariter gestum erat; nondùm enim fuerant delecti viri docti ad differendum, & tractandum illa, quæ in fidei doctrinâ essent constituenda; Hi enim fuere delecti postea *sess.* 6. Hoc autem requiritur, ut aliquid conciliariter dicatur fieri, & ut decretum Concilii omnes obliget, maximè in re tam arduâ qualis est subjectio Summi Pontificis Concilio. Demum dico, decretum illud, si benè perpendatur, non esse generale & absolutum, sed restrictum ad circumstantias illius temporis, & relatè ad Papas illos dubios, quorum nullus erat ab Ecclesiâ universali acceptatus; & ideo benè dicit, quemlibet, etsi Papali dignitate insignitum, teneri obedire, idest quemlibet ex illis tribus. Et ideo addit obedire teneri, nedùm in his, quæ pertinent ad fidem, sed ad extirpationem dicti schismatis. Quis autem unquam in dubium vocavit, nullo existente in Ecclesiâ Papâ certo, & acceptato, quemlibet, etsi Papam se jactet, Concilio Generali teneri parere? hinc electo, & ab omnibus approbato ut certo, & legitimo Papâ Martino, fuit ab eo postulata Concilii approbatio. At cur hoc, si Papa esset subjectus, & teneretur obedire Concilio Generali?

Ad id, quod dicitur in Concilio Basileensi, quis ignorat, illud fuisse quidem in principio legitimum, cùm fuerit auctoritate Eugenii IV. congregatum, at in conciliabulum postea degenerasse, cùm Eugenius ab eo recedens, illud transtulit Ferrariam, deinde Florentiam? Cùm ergo decretum de superioritate Concilii ad Papam factum fuerit post Eugenii recessum, nullius momenti esse debet. Hinc

X. Dico secundò. Concilium Generale, etiam auctoritate Romani Pontificis congregatum, ab eo tamen non approbatum, certum argumentum præbere non potest. Concilium itaque Generale potest carere Pontificiâ approbatione, vel in toto, vel in aliquâ sui parte. Si careat in totum, ex nullâ ejus parte potest certum sumi argumentum: Si verò solùm careat in aliquâ parte, ex illâ parte non probatâ certò argui nequit, Hoc apertè ostenditur. Nam in fide errare potest: & de facto erravit Concilium Basileense, de quo supra, dùm hæreticum declaravit, qui negaret Concilium esse supra Papam; & tamen licèt post ea tempora aliqui negaverint, & negent, Concilium esse supra Papam, nullus adeò audax (ne dicam insanus) fuit, qui contrarium tenentes, ut hæreticos traduceret. Erravit etiam Concilium Ephesinum secundum, ubi Legatis Leonis Papæ repugnantibus, Episcopi ferinè omnes Dioscori hæresi subscripsere; ut constat ex S. Leonis litteris ad Theodosium, & ad Pulcheriam Augustos datis, & Concilio Chalcedonensi insertis. Id confirmant Synodus VIII. *action.* 7., Nicolaus I. *ad Michaelem Imperatorem*, & Eugenius IV. *in decreto super unione Jacobinorum*, qui postea quàm Ephesinam secundam Synodum sub Leone congregatam condemnavit, quæ videlicet Eutychiano errori consensit. *Suscipit*, inquit, (Sacra Romana Ecclesia) *omnes alias universales Synodos auctoritate Romani Pontificis legitimè congregatas, ac celebratas, & confirmatas.* Non dixit *congregatas* solùm, sed *celebratas*, & *confirmatas*. Et Jure quidem meritò. Nam ut in præcedenti conclusione statuimus, nullum Concilium ratum est, aut fuit, quod Romani Pontificis non fuerit auctoritate munitum; at quamvis Concilium sit, edicente Pontifice coactum, si tamen decreta in eo facta non fuerint ab ipso probata, & dogmata confirmata, vel potius ipse, vel ejus Legati repugnarunt, tùm certè Synodus non est fulcita Apostolicâ auctoritate. Non igitur rata, & firma erit, aut idonea, ut ex ea fidem faciamus. §. III.

§. III.

Resolutio præcipua de Concilio congregato, & confirmato auctoritate Papæ.

XI. Dico tertiò. Concilium Generale congregatum, & confirmatum auctoritate Apostolicâ Romani Pontificis certam fidem facit Catholicorum dogmatum. Hoc assertum, quod Catholicis omnibus usque adeò exploratum est, ut oppositum censeant hæreticum, non placuit Luthero, qui *lib. de Conciliis* propterea docuit, nullum esse Concilium quantumvis Generale, aut quantâcumque auctoritate probatum, quod à Verbo Dei recedere non possit, & proinde errare in fide, & moribus. Luthero subscripsit Calvinus *lib. 4. Instit. c. 9. §. 8.* In hanc sententiam convenerunt hi duo Heresiarchæ: quòd pleraque ex dogmatibus quæ propugnabant, quæque falsæ suæ reformationis sunt fundamenta, jampridem à Conciliis Generalibus damnata viderent, cernerentque brevì iterùm damnanda in Concilio Tridentino, quod contra illos Paulus III. convocarat. E contra Catholici omnes in hoc asserto conveniunt.

XII. Et probatur primò. Nam Conciliorum Generalium infallibili auctoritate sublatâ redibunt omnes hæreses ab illis damnatæ; Symbolum quoque Nicænum erit ambiguum. Secundò, & si Concilium Generale congregatum, confirmatum auctoritate Apostolicâ deviare potest à veritate, nulla supererit via ad finienda certò religionis negotia, & fidei controversias: non Concilii Generalis judicium hoc enim (ut ajunt) infirmum est, & errare potest: non judicium solius Summi Pontificis, hoc enim execrantur. Quem ergo vivum Judicem invenient, à cujus tribunali discedere fas non sit? Si dicant superesse Sacram Scripturam. At Scriptura, cùm nec sentiat, nec intelligat, nec eloqui judicium valeat, indiget Interprete, qui ejus verum sensum exponat. Quis ergo erit vivus Judex, de cujus sententiâ dubitari non possit? Lutherus, Calvinus, ac similes? At unde certi erimus istorum judicium certum esse, si judicium omnium Episcoporum in Concilio congregatorum incertum est, & ambiguum? Et cujus ex duobus judicio stabimus? Lutherus clamat, hæc verba, *hoc est Corpus meum*, propriè, & literaliter accipienda. Zuinglius, Calvinus è contra, figuratè. Cujus sententiæ acquiescemus? Num idem dicere potuissent Arius, Nestorius, & quotquot retroactis seculis damnati fuerunt Hæretici, nimirùm, ut effugerent sententiam Concilii, recurrendum ad scripturam, & standum interpretationi ab ipsis affixæ: & ità facere se Judices in propriâ causâ?

Judex ergo vivus in Ecclesiâ statuendus est, & is erit, quemadmodum *Deuteron. 17.* scriptum est, Summus Sacerdos cum Concilio Sacerdotum; aliàs Conciliorum fide rejectâ, Scripturarum quoque bonam partem amittemus. Nam si quis Libros Sacros, de quibus olim dubitatum fuit, è catalogo expunxerit, per Scripturam certè lis finiri non potest, Cujus ergo judicio stabimus certi, si Canones Sacrorum Librorum editi à Conciliis, vel Summis Pontificibus dubii, & suspecti esse possunt? Vivi ergo Judices constituantur, oportet. Si enim Pastorum judicium declinans, ad aliud Tribunal provoces, nil aliud facies, quàm Ecclesiæ declinatis judicibus, quos Spiritus Sanctus posuit regere Ecclesiam Christi, confugere ad judicium merè humanum, & pro divinis humanos substituere. Quoscumque enim, præter Pastores, Judices elegeris, humanâ, ac incertâ auctoritate pollebunt.

XIII. Rursùs, vel fidelis populus tenetur stare definitioni Concilii, vel repugnare potest. Si tenetur, jam errante Concilio, populus in eodem errore versabitur, sicque Christus pessimè providisset Ecclesiæ suæ, imò promissa non implevisset, quibus Spiritum suum perpetuò in eâ mansurum, ut eam omnem doceret veritatem, & se cum eâ futurum omnibus diebus usque ad consummationem seculi pollicitus est, ut dubio præcedenti expendimus. Si repugnare potest, & super statuta à Concilio instituere examen; ergo populus Judex fiet supra sententiam Pastorum. Quòd si sententia Pastorum infirma esse potest, quo sen-

ſententia populi certa probabitur? quid ſtultius, quàm quòd oves regere, ac ducere præſumant Paſtores? Rursùs. Ubi nam illud erit Chriſti effatum *Lucæ* 10. 16. *Qui vos audit, me audit: & qui vos ſpernit, me ſpernit. Qui autem me ſpernit, ſpernit eum, qui miſit me?* Ubi illud alterum *Matth.* 23. *v.* 2. *&* 3. *Super cathedram Moyſi ſederunt Scribæ, & Phariſæi: Omnia ergo quæcumque dixerint vobis, ſervate, & facite?* ubi notanda illatio illa *ergo*, quaſi dixerit: etſi Scribæ ſint, & Phariſæi, ideſt in vitâ, & moribus corrupti, ſi tamen ſedent in Cathedrâ Moyſis, & ex eâ vobis loquuntur, ſequitur infallibiliter, eos non errare, & facienda eſſe omnia ea, quæcumque dixerint.

XIV. Ajunt. Si quæcumque dixerint, ea facere jubemur, cur dicit Chriſtus *Matth.* 16. *v.* 6. *Cavete à fermento Phariſæorum: ideſt non à fermento panum, ſed à doctrinâ Phariſæorum*, ut exponitur ibi *v.* 12.? Cur rursùs *Matth.* 15. *v.* 3. *&* 9. vocat eos *docentes doctrinas, & mandata omnium*, eorumque traditiones etiam proprio exemplo contemnere docuit? Poſſunt ergo Paſtores loqui, & Legem Dei, & ſua. Si Legem loquantur, audiendi erunt, ſi ſua, & de ſuo, ſpernendi. Quòd non obſcurè interpretatus eſt Auguſtinus *tract.* 46. *in Joannem*. Et Hieronymus *in cap.* 7. *Matthæi* ſuper illis verbis *v.* 21. *Non omnis, qui dicit mihi Domine &c. ſicut ſupra* (inquit) *dixerat, eos, qui haberent veſtem vitæ bonæ, non recipiendos propter dogmatum nequitiam, ità nunc è contrariò, hic his quidem accomodandam fidem, qui cùm polleant integritate fidei, turpiter vivunt, & doctrinæ integritatem malis operibus deſtruunt. Utrumque enim Dei ſervis neceſſarium eſt, ut & opus ſermone, & ſermo operibus comprobetur.*

XV. Sed reſpondetur diſt. conſeq., ergo Paſtores aliqui, concedo conſequentiam, omnes, nego conſeq. Eſto enim aliqui Paſtores docere poſſint, quæ ſua ſunt, ea proponendo ut Verbum Dei, non tamen omnes. Reſponſio hæc eſt D. Auguſtini *tractatu* 46. *in Joannem* ab arguente citato. Prop nens enim Paulum *Philipp.* 2. *v.* 21. conquerentem, ſe non habere, quem mittat, qui pro Philippenſibus ſolicitus ſit, præter Timotheum *omnes enim, quæ ſua ſunt, quærunt, non quæ Jeſu Chriſti*, ait, *Inter mercenarios Paſtor ingemuit. Quæſivit aliqem, qui ſinceriter diligeret gregem Chiſti, & circa ſe in eis, qui cum illo eo tempore fuerant, non invenit: Non enim in Eccleſiâ Chriſti tunc præter Paulum Apoſtolum, & Timotheum nemo erat, qui germanè de grege ſolicitus eſſet.* Si ergo contingit, multos quidem quærere, quæ ſui ſunt, non tamen omnes; ità contingere poteſt, multos docere, quæ ſua ſunt, non quæ Jeſu Chriſti, non tamen omnes; & maximè cùm ad docendum populum conciliariter conveniunt. Imò & Phariſæi aliud docebant, dùm ex Cathedra Moyſis proponebant Dei Legem, aliud, dùm loquebantur ex propriis. In primo caſu ſemper docebant veritatem, & ideò Chriſtus dixit: *Omnia quæcumque dixerint ſervate, & facite.* In ſecundo verò, dùm loquebantur ſua, loquebantur fermentum, ideſt doctrinam non puram, & ab hâc cavendum monebat Chriſtus. Audiatur iterùm S. Aug. laudato loco. *Scribæ, inquit* (Chriſtus), *& Phariſæi ſuper Cathedram Moyſi ſedent; quæ dicunt facite, quæ autem faciunt, facere nolite. Quid aliud dixit: niſi per mercenarios vocem Paſtoris audite? ſedendo enim ſuper Cathedram Moyſi legem Dei docent, ergo per illos Deus docet.... certè enim tales ſua quærunt, non quæ Jeſu Chriſti: nullus tamen mercenarius auſus eſt dicere populo Chriſti: tua quære, non quæ Jeſu Chriſti. Quod enim facit malè, non prædicat de Cathedra Chriſti: inde lædit, unde mala facit, non unde bona dicit.* Hæc Auguſtinus. Ex quo ſequitur, quòd Paſtores Eccleſiæ, etſi mercenarii, dùm tamen ex Cathedrâ Chriſti loquuntur, & verbum Dei populum docent, nunquam poſſint docere falſum, quia per eos Chriſtus loquitur; & oves abſque hæſitatione debent eos audire, maximè dùm eadem omnium ſententia eſt. D. autem Hieronymus ſolùm docet, ad perfectum Dei miniſtrum utrumque requiri, & bona opera, & ſanam doctrinam, quod libenter concedimus; non verò quòd, etſi

desit bona vita, desit etiam vera doctrina, quod negamus. Dùm enim congregantur ad res fidei decernendas, & proponendas toti Ecclesiæ, congregantur in nomine Christi, & Christus in medio eorum est, ut ipse promisit *Matthæi cap. 18. vers. 20.* Insuper Christus loquitur per illos, & tunc repræsentant totam Ecclesiam, quam se nunquam deserturum Christus sæpe pollicitus fuit. Quare prudenter Martinus V. in Concilio Constantiensi inter cætera, de quibus suspecti in fide examinandi sunt, hoc proponit. Utrùm credant, quòd quodlibet Concilium Generale universalem Ecclesiam repræsentat. Si igitur Concilium Generale universalis Ecclesiæ auctoritatem habet, æquè infallibile est, ac universalis Ecclesia, ut supra probatum est; & qui auctoritatem Concilii Generalis de medio tollit, totiùs Ecclesiæ auctoritatem eàdem operâ dissolvit. Præclarè igitur D. Augustinus *lib. 1. de bapt. contr. Donatist. cap. 18.* Plenarii Concilii sententiam totius Ecclesiæ consensionem vocat.

XVI. Demum Sanctus Paulus exortâ quæstione de legalibus, non aliam tutam viam invenit ad eam finiendam, quàm ad Concilium Jerosolymitanum eam deferre. Hanc igitur viam, quam Paulus nobis aperuit, in quâ ipse præivit, ingredi, & ipsum sequi debemus, omnesque veri Christiani eam modestiam imitari, quæ in Judæis, & in Gentilibus à Luca *Act cap. 15.* laudatur. Poterant sanè Gentiles à Concilio expostulare, cur libertatem sibi à Christo datam eriperet, cur hæc humeris discipulorum tanquam necessaria imponerent, cùm tamen minùs necessaria viderentur, cùm sola in Christum fides sufficeret ad salutem. Judæi etiam opponere poterant Scripturam *Gen. 17. v. 14.* dicentem: *masculus, cujus præputii caro &c.* Ità fortè respondissent Lutherus, & Calvinus, si eo tempore fuissent. At non ità Gentiles, & Judæi conversi: audito conciliaris decreti exordio *Visum est Spiritui Sancto, & nobis*, tantum honoris illi detulerunt, ut absque ullâ cunctatione paruerint. Quod fecerunt Apostoli, fecit subsequentibus seculis Ecclesia. Cur ergo si illi Conciliorum exemplari divinus adstitit spiritus, non credatur adsistere cęteris? Cur si omnes ejus decreto acquieverunt, acquiescere recusant aliqui Novatores? Meritò igitur Ecclesia Catholica Conciliorum Generalium decreta semper accepit, atque ut hęreticos habuit, qui eorum auctoritatem infirmare frustra conati sunt.

§. IV.

Solvuntur, quæ contra præcedens assertum militant.

XVII. Primò objiciunt. Ad Concilia Generalia soli vocantur Pastores, Archiepiscopi, Episcopi, Cardinales; sed hi omnes possunt errare; imò & fidem amittere; ergo &c. min. prob. primò in veteri Testamento omnes de facto errarunt. *Isaiæ 56. v. 10. Speculatores ejus cæci omnes, nescierunt universi: canes muti non valentes latrare, videntes vana, dormientes, & amantes somnia.* Jeremiæ 6. v. 13. *A Propheta usque ad Sacerdotem cuncti faciunt dolum*, secundò, tempore Dominicæ Passionis omnes Apostoli fidem amiserunt. Hoc videtur Christus innuisse *Matth. 26. v. 31.* dum ait: *Omnes vos scandalum patiemini in me in istâ nocte. Scriptum est enim: Percutiam Pastorem, & dispergentur oves gregis*: id est *ab unitate fidei solventur*, ait glossa interlinealis. Tùm quia *Lucæ 24. v. 11* Verba mulierum renuntiantium Apostolis Resurrectionem Christi *visa sunt ante illos sicut deliramentum verba ista: & non crediderunt illis.* Hinc Christus Marci 16. v. 14. *Exprobravit incredulitatem eorum, & duritiam cordis, quia his, qui viderant, eum resurrexisse, non crediderunt.* Quare in solâ B. Virgine fidem remansisse creditur tempore Passionis Christi: quod indicare dicunt Candelam illam, quę cęteris extinctis, sola non extincta illis Passionis diebus in matutinis relinquitur. Si ergo in omnibus Apostolis defecit fides, cur deficere non poterit in omnibus Episcopis, Apostolis succedentibus?

XVIII. Respond. nego min. ad primam

mam probationem dico primò, ut supra dictum est Dub. præced. §. 3. ex Augustino *lib. de Unit. Eccles. cap. 13.*, morem esse Scripturarum sic arguere aliquos malos, ac si omnes essent mali, & sic commendare aliquos bonos, ac si omnes essent boni. Sic Paulus *ad Philippenses 2.* ait: *omnes enim quæ sua sunt quærunt, non quæ sunt Jesu Christi.* Et tamen, ut nuper observavi cum S. Aug. *tractat. 46. in Joann.* in Ecclesiâ Christi aderant multi, qui quærebant ea, quæ sunt Christi. Imò Paulus ipse *cap. 1.* dixerat, quosdam esse, qui annunciabant Christum ex caritate *v. 14.* Respondeo secundò dist. min. omnes seorsim, & distributivè sumti, concedo min. omnes collectivè, & congregati in concilio, nego minorem. Deus enim cuilibet in individuo Pastori non promisit infallibilitatem, quam tamen corpori Pastorum, dùm repræsentant in Concilio totam Ecclesiam, pollicitus est, ut diximus.

Respondeo tertiò. Dato etiam, quòd Pastores Ecclesiæ Judaicæ omnes errare potuerint, quia illis infallibilitas à Deo promissa non erat, non sequitur, errare posse Pastores omnes Ecclesiæ Christi, quibus ipse suum Spiritum in æternum mansurum, & seipsum in medio eorum fore, dùm essent in nomine suo congregati, spopondit.

XIX. Ad secundam probat. nego, omnes Apostolos Passionis tempore fidem interiùs amisisse, aliàs omnes infideles fuissent. Non enim fides semel suscepta, nisi per infidelitatem tollitur. Quid autem absurdius, quàm universis Apostolis notam infidelitatis inurere? quid magis injurium Christo, & Ecclesiæ? Quę verò in contrarium adducta sunt, solùm evincunt, Apostolos in fidei confessione defecisse, ut Petrum, aut etiam in fide vivâ, quæ per dilectionem operatur: hęc autem fuit dispersio, quam illis prædixit Christus: sicut enim percusso Pastore, timidæ dispergantur oves, sic Christo percusso, capto scilicet à Judæis, timore dispersi sunt Apostoli. Hùc etiam referri potest Ritus Ecclesiasticus extinguendi omnes cereos, uno excepto, quia scilicet omnes Apostoli fidem vivam amiserunt, uno Christo excepto, in quo cùm non fuerit fides, fuit tamen quidquid est perfectionis in fide, ut docet D. Th. 3. *p. quæst. 7. art. 9. ad 1.* Quamquam Rupertus *lib. de Divinis Officiis cap. 5.* asserit, extinctos cereos priores significare Prophetas à Judæis interemtos, illum autem, qui ad breve tempus absconditur, Christum in Passione occultatum. Nuncium autem Ressurrectionis visum est deliramentum aliquibus Apostolis, non omnibus; Christus exprobravit incredulitatem quorundam, non omnium; unde dicitur *Matth. ultimo v. 17. Et videntes eum* (Apostoli) *adoraverunt, quidam verò dubitaverunt:* quidam, ait, non omnes. Et certè exprobrandi de incredulitate non erant Petrus, & Joannes, qui audito nuncio cucurrerunt ad monumentum.

XX. Addit tamen Canus *lib. 4. cap. 4.*: etiamsi Apostoli tunc temporis fide caruissent, nihil contrà conclusionem haberetur. Dato enim, quòd omnes Apostoli fidem amiserint, ut sentit Augustinus *tractat. 103. in Joann.* Nondum tamen personam Ecclesiæ gerebant: hanc enim tunc solùm gerere primò cęperunt, quando Christus *Joann. 20. v. 21. & 22.* eis Spiritum Sanctum contulit dicens, *sicut misit me Pater, & ergo mitto vos. Hoc cùm dixisset, insufflavit, & dixit eis: accipite Spiritum Sanctum*, ut observat idem Augustinus *lib. 3. de baptismo contrà Donat. cap. 18.* Si ergo tunc, cùm Apostoli gerere personam Ecclesiæ cęperunt, Spiritu Sancto imbuti fuerunt, quo gubernati, à fide nunquam erraverunt: cur idem dicendum non erit de Episcopis, ac Pastoribus, dùm in Conciliis generalibus personam gerunt Ecclesiæ?

XXI. At inquies. Episcopi in Conciliis congregati homines sunt; ergo poterunt utique, & fallere, & falli.

Nego enim consequentiam. Aliud enim est de humanæ naturæ imbecillitate disputare, aliud de Divinâ Gratiâ, & speciali Providentiâ, quâ homines cæteroquin fallibiles, in veritate fidei continentur; tota namque fidelium concio homines sunt: Prophetæ item, & Evangelistæ homines erant, sed quoniam Spiritum veritatis accepere, in falsam fidei do-

doctrinam venire non poterant.

XXII. Replicabis primò. Undè constat, Conciliis proffimam fuiffe perpetuam, & nunquam defuturam Spiritus Sancti affiftentiam? Si dixeris, ex illo *Math. 18. verf. 20. ubi enim funt duo, vel tres congregati in nomine meo, ibi fum in medio eorum.* Contrà, quia ex hoc concluditur affiftentia Chrifti nedùm Concilio Generali, fed etiam Provinciali, imò cuique pio cętui in Chrifti nomine congregato. Deinde unde conftat, cętum effe congregatum in Nomine Chrifti, & legitimè? Ex hominibus fidem fanam habentibus, & ea quæ facienda funt, facere?

Secundò. Dato, adeffe divinum pactum, unde conftat, hoc effe abfolutum, & non potiùs conditionatum, ideft, fi qui Concilium componunt Epifcopi non recedant à viâ Dei, non fcandalizent populum lege? Quia enim hoc non implevit populus Leviticus, ideò dicitur *Malach. 2. v. 8. irritum feciftis pactum Levi.* Non ergo precisè ad Chrifti promiffum attendendum eft, fed ad eorum mores, an fcilicet vita cum dignitate concors fit.

XXIII. Refpondetur ad primam inftantiam, Promiffionem factam Conciliis Generalibus de fpeciali Sancti Spiritus affiftentiâ in negotiis fidei decernendis, conftare ex iifdem locis, ex quibus conftat, promiffum fuiffe Spiritum Sanctum Univerfali Ecclefiæ, quam Concilium Generale repræfentat, nimirùm Chriftum daturum Ecclefiæ Spiritum Veritatis, qui fuggerat ei omnia, & maneat cum ipsâ in æternum, & cum ipsâ futurum Chriftum ufque ad confummationem fæculi. Quæ teftimonia fupra expendimus. Quare Apoftoli hujus promiffionis benè confcii, in Concilio Hierofolymitano pofiti, firmarunt decretum hoc modo: *Vifum eft Spiritui Sancto, & nobis.* Hinc non unicè talis promiffio deducitur ex loco citato *Matthei cap. 18.* Verùm, quia Innocentius 20. *dift. c. De quibus*, Synodus 6. *act. 7.*, & Chalcedonenfis *epift. ad Leonem* de Synodis locum illum intelligunt; ad id, quod contra opponitur, dico, locum illum probare affiftentiam Spiritus Sancti, etiam Synodis Provincialibus, quando tamen congregantur in nomine Chrifti. Sicut autem in nomine Principis comitia cocunt, cùm ejus auctoritate indicuntur, & probantur; fic Concilia Ecclefiaftica in nomine Chrifti conveniunt, cùm auctoritate Chrifti, vel ejus Vicarii coguntur. Quare (ut dicemus) ficut Concilia Provincialia coacta præter auctoritatem Romani Pontificis errare poffunt, & de facto erraverunt, ut Concilium Cypriani: ità fi ejus auctoritate cogantur, & decreta probentur, errare nequeunt. Chriftum etiam effe in medio cujufvis pii cętus in nomine ipfius, non diffitemur: non tamen femper ad docendam veritatem, cùm non femper ad hunc finem congregentur, fed ad eos fines, ob quos congregantur, maximè fi fint ad falutem neceffarii. Specialiùs tamen eft in medio Concilii Generalis, in quo agitur de fide totius Ecclefiæ, quam fe nunquam deferturum apertè promifit. Porrò, ut certi fimus, Concilium effe congregatum in nomine Chrifti, nobis fat effe debet, quòd fit coactum ex ordinariis Ecclefiæ Paftoribus, auctoritate ejus, ad quem fpectat, de quorum fide nobis oppofitum non conftet; quamvis enim internè fidem veram non haberent, non tamen permitteret Chriftus, ut aliquid contra fidem decernerent, ac totam Ecclefiam in fuum errorem pertraherent.

XXIV. Ad fecundam inftantiam dico, Chrifti promiffiones de fuâ Ecclefiâ, & confequenter etiam Conciliis ab omni errore tuendis, effe abfolutas, & à nullâ conditione pendentes, conftare, quia abfolutè illi promifit Spiritum veritatis in eâ manfurum in æternum; fe illi adfuturum ufque ad confummationem fæculi; contrà eam portas inferi non prævaliturus. Neque eft fimile de pacto inito cum filiis Levi. Pactum enim illud, ficut & cętera, temporaria erant, ficut Lex, & Sacerdotium, ac proinde aliquando omnia hæc auferenda erant, Regnum, Lex, & Sacerdotium. At Regnum Chrifti æternum eft: *regnabit in domo Jacob in æternum* Lucæ 1. v. 32. Lex æterna eft, Pfalm. 47. v. 15. *ipfe reget nos in fecula.* Sacerdotium æternum, Pfal. 109. v. 4., *Tu es Sacerdos in æternum.* Pactum etiam æternum, Jerem. 32. v. 40., & fe-

& feriam eis pactum sempiternum. Certum autem est, Ecclesiam sine lege, sine sacerdote, & doctore, esse sine Christo, & Spiritu veritatis; Si ergo Christi Ecclesia in æternum est mansura, manebit in eâ Christus, & ejus Spiritus, & proinde etiam in Pastoribus, & Doctoribus, dùm collecti eam repræsentant. Licèt enim iniqui essent in moribus, non deesset Spiritus Sanctus quantùm ad gratiam gratis datam, esto non adesset quantùm ad gratiam gratum facientem, seu justificantem. Hæc enim non est necessaria, ut Pastores vera doceant, & Sacramenta conficiant, verique Pastores sint, nisi cum Donatistis, aliisque hæreticis sentire velimus.

XXV. Objiciunt secundò. Concilium, in quo Judæi definierunt, Christum non esse Messiam in lege promissum, fuit Concilium Generale; constabat quippe ex Summo Sacerdote, & præcipuis Judæorum Pastoribus, ut *Jo: 11.*, & *Marci 14.* colligitur: Atqui illud Judæorum concilium erravit, & quidem in re, quæ ad fidem spectabat, quæque maximi momenti erat; ergo Concilia Generalia errare possunt in rebus, quæ ad fidem pertinent.

Respondet Canus *lib. 5. cap. ultimo*, Concilium illud Judaicum firmare potiùs nostrum assertum, nimirùm Pontifices, & Pastores, etsi malos, in conciliis sua, & à seipsis non loqui, sed ex motione Spiritus veritatis. Cùm enim post longam, variamque concilii disceptationem, Caiphas, qui, ut summus Pontifex concilio præsidebat, sententiam, cui omnes fermè consenserunt, pronuntiasset Jo: 11. v. 49. & 50. *Vos nescitis quidquam, nec cogitatis, quia expedit vobis, ut unus moriatur homo pro populo, & non tota gens pereat*. Subjecit mox Evangelista: *Hoc autem à semetipso non dixit. Sed, cùm esset Pontifex anni illius, prophetavit*. Quare fit, ut si fortè nostrorum Pontificum, & Episcoporum vita, & opera contraria essent Domino Jesu, eorum tamen judicia, dùm sunt congregati, quæ à Summo Pontifice comprobata sint, & vera erunt, & ad salutem utilia, ut divinitus suggesta, & ob eam causam, quam ab Evangelistâ didicimus, quia scilicet Ecclesiæ Pontifices sunt.

XXVI. Respondent secundò alii, Concilium illud, quamvis Generale, errasse: non inde tamen sequi errare potuisse alia Concilia Generalia Judaica anteriora, & multò minùs errare posse ea, quæ apud Christianos fiunt. Erravit enim Judæorum concilium, de quo agitur; quia habitum est eo tempore, quo Judæorum Synagoga desierat esse infallibilis: infallibilitas namque illi concessa fuerat solùm ad tempus, idest usque ad Christi adventum; tunc enim Synagoga desinere debebat, & Ecclesiæ Christianæ locum cedere. Eo enim tempore, quo Ecclesia Christiana cæpit in Christo, ad judicandum eum esse Messiam, Judæis non erat necessaria Synagogæ infallibilitas, cùm hoc ad oculum demonstrarent tot, & adeò evidentia miracula, quæ in suæ missionis confirmationem Christus operabatur.

XXVII. Neque opponas. Etiam diù ante Christum concilia Judaica errasse, ut patet in Concilio 400. Prophetarum, qui omnes erraruni, ipso Deo protestante, se m sisse spiritum mendacem in ore ipsorum 3. *Reg. c. 22.*

Nam respondeo primò, Prophetas illos, ut dicit ibi Scriptura, non fuisse Prophetas Domini. Deinde concilia non ex Prophetis, sed ex Sacerdotibus cogebantur, non ad indagandum futurum exitum belli, sed ad decernendum de lege. Tertiò Concilium illud ab Achab Rege, non à summo Pontifice coactum fuit; non ergo mirum, si erravit.

XXVIII. Objiciunt tertiò Patres. Primò Gregorium Nazianzenum *ep. ad Procop.* dicentem: *Ego, si vera scribere oportet, ità animo affectus sum, ut omnia Episcoporum Concilia fugiam, quoniam nullius Concilii finem latum, faustumque vidi, nec quod depulsionem malorum potiùs, quàm accessionem, & incrementum habuerit*.

Secundò Sanctum Augustinum *lib. 2. al. 3. contr. Maximin. c. 14. Nec ego Nicænum, nec tu debes Ariminense, tanquam prajudicaturus, proferre Concilium; nec ego hujus auctoritate, nec tu illius detineris &c.* Insuper *lib. 2. de Baptismo*

c. 3.

c. 3. aſſerit, *concilia plenaria priora à poſterioribus emendari*.

Tertiò S. Leonem, qui *epiſt.* 53. *ad Anatolium*, & 54. *ad Martianum*, & 55. *ad Pulcheriam*, agnoſcit Chalcedonenſem Synodum legitimam fuiſſe, & tamen non dubitat, ei attribuere ambitionem, & inconſultam temeritatem. Ex his ergo ſic diſcurrunt: Iis cœtibus non adeſt Spiritus certus veritatis, quorum nullus felix eſt exitus, qui pro aſtruendâ fide laudari non poſſunt, qui nonnunquam à poſterioribus cœtibus emendantur, qui ex ambitione, & inconſultâ potiùs temeritate, quàm ex veritatis amore procedunt; talia ſunt Concilia Generalia; ergo &c.

XXIX. Reſpondeo. Ad S. Gregor. Nazianzenum diſtinguendo: & loquebatur de Conciliis ſui temporis, concedo: de Conciliis generatim, nego. Incidit ergo Nazianzenus in tempora inter Concilium Nicænum primum, & ſecundum Concilium Generale, nimirùm Conſtantinopolitanum, quo tempore Ariana impietas graſſabatur. Paſſim ab illis Concilia celebrabantur, & aliqua etiam à Catholicis: cùmque ex talibus Conciliis nullum vidiſſet felicem exitum, & ad quoddam Concilium à Procopio vocaretur, deſperans, ex illo aliquid boni in tan à rerum turbatione eventurum, reſcripſit præallata verba. Non tamen proinde aſpernatus eſſet Concilium plenarium, ac pacificum, ſi tunc obtinere potuiſſet. Quomodo enim aſpernari poterat Concilia, qui *orat.* 21. Nicænos Patres dicit à Spiritu Sancto fuiſſe in unum coactos; & Conſtantinopolitanæ Synodi, in quâ Macedoniani Spiritus Sancti hoſtes infenſiſſimi damnati fuerunt, pars magna fuit?

Ad Auguſtinum dico, eum in primo loco argumentari, non abſolutè, ſed ex ſuppoſitione Maximini, qui utpote Arianus, Concilii Nicæni auctoritati nihil deferebat, è contra autem Auguſtinus Ariminenſe, quod Maximinus probabat, execrabatur. Cùm ergo ex Conciliis, quæ alteruter non admittebat, nihil concludi poſſet, prudenter ait: nec ego Nicænum, nec tu Ariminenſe proferas; eumque ad rem ex Scripturis conficiendam provocavit.

In ſecundo autem loco dico, vel Auguſtinum nomine plenarii Concilii non intellexiſſe Concilium Generale, ſed Nationale, aut Provinciale, vel etiam Generale, & maximè ſi illegitimum ſit, hoc enim poteſt per ſubſequens emendari, ſicut Concilium Epheſinum ſecundum fuit per ſubſequens Calcedonenſe legitimum emendatum. Vel loqui non in rebus, quæ ad fidem, aut mores pertinent, ſed in rebus tantùm, quæ ſunt puri facti, aut ad meram diſciplinam pertinent. Et ratio eſt, quia emendationem, de quâ agit, docet, tunc per concilia poſteriora fieri, quando experimento aliquo aperitur, quod clauſum erat: Id verò locum habet ſolùm in rebus facti, aut meræ diſciplinæ, non verò in rebus fidei, circa quas locum non habet experimentum. Cæterum quanti fecerit Auguſtinus Concilia Generalia, ex hoc colligere licet, quòd dum Cyprianum in ſuo errore de rebaptizandis hæreticis excuſat, affert pro ratione, quòd Cauſa illa nondùm erat in plenario Concilio definita, cui abſque dubio Cyprianus paruiſſet, ut videre eſt *lib.* 1. *de Baptiſmo cap.* 18., *lib.* 2. *c.* 3., *lib.* 2. *contr. Creſconium c.* 33., & alibi.

Ad S. Leonem dico, eum in Concilio Chalcedonenſi damnaſſe ambitionis, & inconſultæ temeritatis canonem 27., eò quia ambitione Anatolii Epiſcopi Conſtantinopolitani, ſubdolè, repugnantibus S. Leonis Legatis, promotus fuerat ille canon; & inſuper continebat falſa, nimirùm Romano Pontifici collatum fuiſſe primatum à Synodo Nicænâ, & non ratione dignitatis Sedis, ſed ratione antiquitatis Urbis, quare in hâc parte Concilium Calcedonenſe erravit, at in hâc parte nec fuit OEcumenicum, quia à Romano Pontifice reprobatum.

§. V.

Solvuntur argumenta ex prætenſis Conciliorum erratis.

XXX. Objiciunt primò. In Canonibus, qui dicuntur Apoſtolici, nonnulli ſunt errores: reprobant enim tanquam irritum, & nullum datum ab hæreticis baptiſma. *Can.* 45.

Item in Concilio Eliberitano reperiuntur

tur errores; nam pluribus *Canonibus* vetat, ne quibusdam Reis, licèt ex animo pœnitentibus, detur etiam in ultimo vitę discrimine Sacramentalis absolutio: quod hæresim Novatianam sapit. Item *can.* 36. vetat, ne Imagines in parietibus pingantur, contrarium licèt usum probet Ecclesia Catholica. Præfatos autem Canones, tanquam Concilii Generalis habuit antiqua Ecclesia; nam Canonibus Apostolicis usa est tota Ecclesia Orientalis, Eliberitanis verò plures Occidentales Ecclesiæ.

Respondeo primò, negando, præcitatos Canones editos fuisse in aliquo Concilio Generali. Qui enim Apostolici dicuntur, nil aliud sunt, quàm collectio facta ex variis Synodis, quæ in Oriente per tria priora secula coacta sunt. Eliberitani verò sunt Concilii Pronvincialis in Hispaniâ celebrati à XIX. Episcopis anno 313., vel potiùs Collectio Canonum ex Synodis illis seculis in Hispaniâ celebratis.

Secundò respondeo, Canones dictos Apostolicos apud viros eruditos nullius esse auctoritatis, maximè ob Canonem 45. citatum, nisi fortè Canon ille intelligatur de baptismo dato non à quibuscumque Hæreticis, sed à Paulianistis, qui baptizabant non in nomine Trinitatis, quique iis seculis Ecclesiam Christi fędabant; hoc enim modo Canon ille nullum continet errorem.

Neque etiam errorem continent Canones Eliberitani. Negant enim primò quibusdam reis, etiam in mortis articulo absolutionem: non tamen, quia Eliberitani Patres censuerint, Ecclesiam non posse à quibuslibet peccatis absolvere pœnitentes, ut contenderunt Montanistæ, & Novatiani: sed disciplinæ causâ sic statuerunt, ut à quibusdam gravissimis sceleribus committendis, pęnæ adeò gravis timore custodirentur. Negant secundò, Immagines in parietibus pingi: non quia pium earum cultum damnent: sed ne Christi, aut Sanctorum Imagines Idololatrarum ludibrio exponerentur, aut saltem, ne quibusdam fidelibus, ex gentilitate recenter conversis, essent offendiculo.

XXXI. Objiciunt secundò Concilium Ephesinum secundum, quod fuit auctoritate Romani Pontificis congregatum, fuitque generale, & tamen erravit subscribendo Eutichiano errori.

Rursùs Ariminense fuit Concilium Generale, tùm quia constans 600. Episcopis: Tùm quia ejus veluti pars erat Concilium Seleuciense, quod eodem tempore, & eâdem causâ in Oriente celebrabatur. Atqui hoc erravit. Primò, erasit enim ex Symbolo vocem *consubstantialem*, quam Nicæna Synodus contra Arianos inseruerat. Secundò, quia Hieronymus *adversus Luciferianos* ait, per ipsum, Arianismum fuisse invectum in universum Orbem: *Tunc* (inquit) *Nicena fidei damnatio conclamata est, ingemuit totus Orbis, & Arianum se esse miratus est.* Tertiò, quia Episcopi, qui subscripserunt decreto Ariminensis Synodi, præmissâ tamen facti pœnitentiâ, suis fuere sedibus restituti; quod signum est, eos subscribendo errasse.

Respondeo, de Concilio Ephesino II. jam supra §. 2. *conclusione secundâ* dictum esse, quod fuit quidem generale, & auctoritate Romani Pontificis convocatum, non ab eo tamen confirmatum, imò reprobatum; ideòque potuit errare, & de facto erravit, ut benè dicit arguens. Insuper, quæ in Ephesino II. acta sunt, contrà ordinem, & per vim fuere ab Episcopis extorta. Primò enim Dioscorus contra canones, à Theodosio Juniore præsidentiam extorserat. Item vetuit, ne Flavianus, qui Eutichen Constantinopoli damnaverat, suffragium ferret. Insuper Episcopi, qui eidem Concilio interfuere, asseruerunt postea in Concilio Chalcedonensi, se vim passos fuisse à militibus, qui Basilicam, in quâ celebrabatur Concilium, occupaverant. Alia ibi contra ordinem gesta narrant Historici. Falli ergo poterat Concilium, in quo res non secundùm Canones agebantur, nec Episcoporum suffragia libera erant.

De Concilio autem Ariminensi mirum est, quòd hùc producatur tanquam Concilium Generale, & legitimum. Fuit enim à Liberio summo Pontifice reprobatum, ut legitur *in epist. ejusdem ad Episcopos Macedonianorum* apud Socrat. *lib.* 4. *hist.*

4. *hist. c.* 11.: ob quod exilium passus est, ex Socrate *lib.* 2. *hist. cap.* 37. Et coactum fuit dolo, & vi à Constantio Ariano; Episcopi Catholici, qui inviti illùc convenerant, fraudibus circumventi, minis adacti, subscribere coacti sunt. Uno verbo. Concilium Ariminense totius Orbis scandalum fuit. Quid ergo mirum si erravit?

Aliqui tamen in Concilio Ariminensi distinguunt, initium, quo Concilium liberum fuit; & tunc Patres pro Nicænâ fide contra Arianos pugnarunt, ut *ex eorum epistolâ per viginti Episcopos ad Constantium missâ*, quæ refertur ex integro apud Sozomen. *lib.* 4. *hist. cap.* 18.: & progressum. Et finè tùm minis Constantii, tùm moræ tædio (Arimini enim detinebantur diutiùs, nec ad sua reverti permittebantur); tùm denique Arianorum fraudibus circumventi, quò *æquum non esset, ut unius vocabuli, substantiæ videlicet gratia, omnes ubique Episcopi inter se dissiderent*, ut legitur apud Sozom. *laudatum cap.* 19., formulæ sibi oblatæ, Episcopi aliàs Catholici, consenserunt. Quâ in re sustinent aliqui, eos non errasse in fide, animo saltem, sed solùm abstinendo à voce *Usia*, idest *substantia*, putasse tollere dissidiorum causam. Sed cùm reverâ, ablato *Usiæ* nomine, filium non ampliùs *ejusdem*, sed *similis* substantiæ cum Patre se fateri cum Arianis ipsis, compertum esset, in tali consensu errarunt in fidei confessione, idèoque totus Orbis scandalo motus, ac miratus est. Sed de hoc satis.

XXXII. Objiciunt tertiò, sextam Synodum, nimirùm Concilium Constantinopolitanum III., *anno* 680. habitum adversùs Monothelitas, fuisse verè generale, & passim vocari sextum OEcumenicum. Illi enim præfuit Agatho Papa per suos Legatos, Leo II. illud confirmavit, ut *ex ejus epistolâ* ad calcem Concilii positâ. Eique totius Orbis Ecclesiæ consenserunt. Atqui istud erravit: nam igne damnavit Honorii Papæ *epistolas ad Sergium*, & ipsi Honorio, ut hæretico anathema dixit; Cùm tamen Honorius, nec hæreticus Monothelita fuerit, nec ejus litteræ hanc hæresim sapiant, sed dispensationem, vel œconomiam; prohibebat siquidem, ne una tantùm, ut volebant Monothelitæ, aut duplex, ut asserebant Catholici, diceretur in Christo voluntas: idque cavebat Honorius, ne Monothelitarum exasperarentur animi, quos ad fidem perducendos sperabat. Quare Catholici, tùm Honorii epistolas, tùm ipsum Honorium ab omni prorsùs hæresi liberant. Ergo &c.

In solutione hujus difficultatis divisos invenio Theologos, & Eruditos. Baronius putat, Acta sextæ Synodi fuisse corrupta, & loco Theodori Episcopi Constantinopolitani intrusum fuisse Honorii nomen, & omne id, quod contra Honorium in Actis, quæ nunc habemus, legitur.

Hæc tamen responsio voluntaria videtur. Oportuisset enim, quòd corrupta fuissent in decem locis, quia in totidem Honorii fit mentio. Insuper in omnibus omnino exemplaribus, etiam in iis, quæ missa sunt ad Leonem II. Romanum Pontificem, quæque ipse confirmavit, & etiam exprefse cum damnatione Honorii. Quòd nec ipse, neque Legati Romanæ Sedis, qui huic Synodo interfuere, hanc fraudem detexerint, quæ omnia incredibilia sunt. Propterea alii

Respondent cum Bellarmino, sextam Synodum de facto errasse in condemnatione Honorii, neque hoc præjudicare infallibilitati Conciliorum Generalium, quia fuit error in re, quæ est *humani facti*, non in re, quæ sit *Juris Divini*: Hoc est, quæ ad fidem, aut mores pertineat. Supponit ergo hæc solutio, Concilia etiam Generalia errare posse in quæstionibus humani facti, non verò Juris, & maximè Divini. Nec mirum (ajunt) quæstiones enim Juris dirimuntur, aut Scripturâ, aut Traditione, quæ cum nitantur Divino Testimonio, infallibilia sunt; quæstiones autem facti ex humanâ relatione, & judicio, quæ fallibilia sunt. Ita Bellarminus *lib.* 5. *de Rom. Pont. cap.* 11. concludens. *Itaque tutè dicere possumus, hos Patres deceptos ex falsis rumoribus, & non intellectis Honorii epistolis, immeritò cum hæreticis connumerasse Honorium.*

Ne-

Neque hoc est præferre judicium nostrum privatum judicio præfati Concilii, quasi meliùs intelligamus nos litteras Honorii, quàm illi. Nam hoc non ex nobis dicimus: sed jam dictum accepimus à Joanne IV. in Apologiâ pro Honorio ad Costantinum Imperatorem Heraclii filium: ubi conqueritur de injuriâ Honorio irrogata à Pyrrho, ipsum ad suum sensum trahente; à S. Maximo Martyre, primò in Dialogo cum Pyrrho; ubi Pyrrho objicienti: *Quid habes de Honorio dicere, qui ad Prædecessorem meum scribens, unam Domini nostri Jesu Christi voluntatem apertè dogmatizavit?* Respondet Sanctus Maximus: *Quis epistola illius fide dignus erit interpres? Qui eam ex persona Honorii composuit?... An Constantinopolitani de corde suo loquentes?* Secundò *in ep. ad Marinum*, quæ inter Anastasii collectanea extat, ubi vindicat Honorium à labe Hæreseos. Ab Anastasio Bibliothecario præfatione in suâ ad Joannem Diaconum callectaneâ, ubi & Apologiam Joannis IV. pro Honorio, & Honorium ipsum strenuè ab Hæresi defendit.

Hæc responsio probabilis est. Attamen, quia cogitur concedere, quòd erraverit etiam Leo secundus, qui dictam Synodum sextam, & Honorii damnationem expressè confirmavit: & in eodem fuerit etiam errore octava Synodus: & insuper quia præbere videtur arma Jansenii Defensoribus, nimirùm dicendi, Summos Pontifices damnasse multas propositiones, ut Jansenii, errore facti, vel quia in Jansenio non fuit, vel si sunt, ad eas damnandas processisse, ex iis non benè intellectis, quod videtur trahere quæstionem facti ad quæstionem juris. Ideò ut ab hoc discurrendi more, quam longè possumus, recedamus

XXXIII. Tutiùs respondendum existimo, Synodum sextam justè damnasse Honorium, non tamen ut hæreticum electione, & formalem, sed vel tanquam hæreticorum nimiâ conniventiâ fautorem, vel qua indulgentiâ culpabili muneri suæ Sedis defuit, & nascentem hæresim non compressit. Hoc pacto, & ab omni errore etiam in facto liberamus Synodum sextam, & Honorium ipsum ab errore in fide. Pro hujus explicatione suppono, Hæreticum dici posse dupliciter. Primò propriè, nimirum sententiâ, ac electione pravâ, & pertinaci, quæ ad formalem hæresim necessariam esse, nemo nescit. Alio modo latè, quo pacto præsumitur prudenter hæreticus, vel in hæresim propendens, qui cum hæreticis communicat, qui cùm debeat comprimere, non comprimit, sed favere videtur, & in scriptis suis ità æquivocè, & obscurè loquitur, ut det ansam præsumendi, cum Hæreticis sentire. His fundamentis Synodus sexta prudenter judicavit, Honorium ad Monothelitarum partes accessisse. Ità probabiliter sentio, salvo tamen meliori judicio. Interim fundamenta hujus solutionis exponam. Quòd enim justum motivum dederit Honorius sextæ Synodi, eum Monothelitam præsumendi, judicant ejus epistolæ, quarum prima relecta fuit *act.* 12., & secunda *act.* 13. ejusdem Synodi; Ex quibus colligitur, Honorium tuleri jussisse Sacras duarum operationum voces, atque in hoc morem gessisse Hæreticis; qui *nullum sermonem de cætero de unâ, vel duabus operationibus moveri* cupiebant; ut scribit Sergius ad Honorium. Porrò, qui voces illas usurpari vetat, quibus profligatur Hæresis, & Catholica Fides confirmatur, proculdubio Hæreticis favet. Enim verò habiti fuerunt à toto Orbe, ut supra dicebamus, Arianorum fautores Patres Ariminenses, quia Arianorum suasu à voce *Homousion*, & *Usia* abstinuere. Habitus etiam esset Nestorianorum fautor, qui vocem *Deipara* de B. Virgine vetuisset, sicut & Eutichianorum, qui ex duabus, & in duabus naturis Christum subsistentem dici noluisset, vel ab his vocibus abstinendum jussisset. Hinc Synodus Lateranensis sub Martino I. justè damnavit Ecthesim Heraclii, & Typum Constantis; quia hæc edicta unam, vel duas operationes silentio comprimebant, quamvis errorem Monothelitarum expressè non faterentur. Cùm ergo nihil minùs egerit Honorius, justè à Synodo sextâ damnatus fuit. Eo pacto, quo justè damnaretur, qui licèt errorem Calvinistarum circa præsentiam Christi in Eucharistiâ non assereret, vetaret tamen, de reali,

reali, vel solùm figurativâ Christi praesentiâ amplius loqui.

Neque simile dici debet de Sancto Basilio, qui Macedonianis indulsit, ut silentium de Spiritus Sancti divinitate servaretur, quò eos ad rectae fidei confessionem revocaret. Nam ut scribit Sanctus Gregorius Nazianzenus orat. 20. Ille *in aliis quidem vocibus è Scripturâ petitis, testimoniisque minimè dubiis eandem vim habentibus, necessariisque argumentis, Adversarios ità comprimebat, ut nullo modo repugnare, aut contra niti possent*. Quare quòd per aliquod tempus eos dispensaret à confitendâ etiam voce, prudentis œconomiae fuit. Sicut prudentis œconomiae fuit, ait Gregorius, quòd Judaeis ad aliquod tempus pro Christo vox *Uncti* concederetur. At de Honorio hoc dici nequit, ut vidimus; nec enim Monothelitas aliquando compressit, aut impugnavit, nec pro geminae operationis voce, aequivalentia vocabula substituit. Ideòque Haereticis favere justè visus est.

XXXIV. Quòd verò Honorius ut formalis, & ex electione Haereticus damnatus à Synodo sextâ non fuerit, probant ea, quae supra adduximus, ex apologiâ *Joan.* 4., ex S. Maximo, & Anastasio Bibliothecario. Hanc autem fuisse de Honorio Concilii mentem, nullus poterit tutior interpres esse, quàm Leo II. Concilii confirmator. Is enim in litteris confirmatoriis de Honorii damnatione loquens, ait: *Nec non & Honorium, qui hanc Apostolicam Ecclesiam, non Apostolicae traditionis doctrinâ lustravit, sed profanâ proditione immaculatam maculari permisit*. Ubi non ait, *maculavit*, sed *maculari permisit*, conniventiâ scilicet, & favore haereticorum; & clatiùs *Epistol.* ad Ervigium Regem Hispaniae de eodem argumento scribens, post relatos alios formalis haeresis in Synodo sextâ damnatos, subdit: *& una cum eis Honorius Romanus, qui immaculatam Apostolicae traditionis regulam, quam à Praedecessoribus suis accepit, maculari consensit*. Et ad Episcopos Hispaniae te explicans, nimirum quomodo traditionem Honorius maculari consenserit, aut permiserit, ait: *Cum Honorio, qui flammam Haeretici dogmatis, non ut decuit Apostolicam auctoritatem, incipientem extinxit, sed negligendo confovit*. Non ergo cum Monothelitis annumeratus est à Concilio Honorius, quia talis judicaretur sententiâ & electione; sed quia Monothelitam se exhibuerat conniventiâ, favore, & negligentiâ. Sed de hoc satis.

XXXV. Objiciunt quartò. Septimum Concilium Generale definit, pium esse cultum, qui Sacris Imaginibus exhibetur. E contra verò Concilium Francofordiense, quod anno 794. habitum est, & cui adfuerunt Legati Romani Pontif., & 300. Occidentales Episcopi, damnavit decretum in Concilio Nicaeno secundo, seù septimâ Synodo Generali latum de colendis Imaginibus; ergo erravit, aut Concilium Nicaenum secundum, aut Francofordiense, utrumque Universale.

Respondeo, errasse errore facti Concilium Francofordiense (quod tamen Generale non fuit, cùm nullus Orientalium ad illud vocatus fuerit, seù interfuerit, sed solùm Nationale), non juris; non enim dogma in septimâ Synodo de Imaginum veneratione statutum impugnavit, sed solùm in facto, quia Patres Francofordienses putaverunt, Nicaenos tribuisse Sacris Imaginibus eundem Latriae cultum, qui soli Deificae Trinitati tribuendus est, dicendo anathema ei, qui contrarium sentiret, ut patet apertè ex Canone secundo dicti Concilii Francofordiensis, in quo sic habetur: *Allata est in medium quaestio de novâ Graecorum Synodo, in quâ scriptum habebatur, ut, qui Imaginibus Sanctorum, ità ut deificae Trinitati servitium, aut adorationem non impenderent, anathema judicarentur. Qui supra Sanctissimi Patres nostri omnimodis adorationem, & servitutem renuentes, contempserunt, atque consentientes condemnaverunt*. Hoc autem ex scripto mendoso Nicaeni II., quod habebant prae manibus, decepti pronunciarunt. Nicaenum enim II. nusquam Sacris Imaginibus eundem, quem Deificae Trinitati, cultum, & adorationem decrevit. Quòd autem ità fuerit, ex eo colligitur, quòd detecto ab Occidentalibus germano Nicenae II. Synodi sensu, omnes Occidentales Ecclesiae pro OEcumenicâ illam receperunt, ejusque definitioni de cultu

cultu Sac. Imaginum subscripsetunt.

Alia Conciliorum prætensa errata coacervant Hæretici, à quibus referendis, & solvendis supersedemus, ne prolixi simus; maximè cùm videri possint apud Canum *lib. 5. cap. 1. & ultimo:* Bellarminum *lib. 2. de Concil. auctoritate cap. 8.:* aliosque, qui hâc de re tractaverunt. Nos interim ad alia digrediamur.

§. VI.

Auctoritas Conciliorum non Generalium.

XXXVI. Dico quartò. Concilia non Generalia, non probata à Summo Romano Pontifice, certum argumentum pro fide, & moribus non faciunt, magnæ tamen auctoritatis sunt, adeo ut temerarium sit eis non acquiescere. Prima pars probatur, quia absolutè errare possunt, ideoque non sunt prorsùs infallibilia eorum judicia. Quòd si hoc diximus supra de Conciliis Generalibus à Romano Pontifice non confirmatis, multò magis de particularibus dici debebit. Hujus veritatis testis est Concilium Carthaginense sub Cypriano, quod fuit nationale celeberrimum, legitimum, Episcoporum lxxxv., quorum plerique Martyres, aut Confessores erant, ut ex *epistolâ Cypriani ad Jubajanum:* & tamen erravit. Secundò, testis est quinta Synodus Romana sub Symmacho, & refertur 17. *distinct. c. Concilia*, ubi dicitur, *Concilia Sacerdotum Ecclesiasticis Legibus quotannis decreta per Provincias, quia præsentiam Papa non habent, valitudinem perdiderunt.* Quare cum Theodoricus Rex congregasset Synodum anno 501., ut de his, quæ contra Symmachum objiciebantur, judicaret; *Pontifices, quibus allegandi imminebat occasio, suggesserunt, ipsum, qui dicebatur impetitus, debuisse Synodum convocare: scientes, quia ejus Sedi primum Petri Apostoli meritum, vel Principatus, deinde secuta jussionem Domini Conciliorum venerandorum auctoritas et singularem in Ecclesiis tradidit potestatem*, nec prius acquieverunt, quàm Theodoricus denunciasset, *ipsum quoque Papam in colligendâ Synodo voluntatem suam litteris demonstrasse*, & litteræ exhibitæ, lectæque fuerunt. Hoc in Synodo quartâ Romanâ dictâ *Palmari.*

Quòd si *cap. ad abolendam extra de hæreticis* excommunicantur omnes illi, qui judicantur hæretici ab Ecclesiâ Romanâ, vel à Concilio Provinciali; aut Diœcesano: Ibi non est sermo de dogmate, sed de Personâ. Quia licet Synodi particulares non possint constituere, vel declarare dogmata fidei, omnes obligando, ità ut qui eis refragetur, per hoc sit hæreticus, & excommunicandus (nisi fortè id faciat ex commissione Apostolicæ Sedis, ut fecerunt Arausicana II., & Toletana I. Synodi tempore S. Leonis, & Complutensis tempore Sixti IV. Vel cum Sedis Apostolicæ approbatione, quomodo factum fuisse in Conciliis Milevitano, & Carthaginensi, testatur D. August. *epist.* 90. 91. 92. 93. modo 175. 181. 176. 182. Vel materia adeò sit facilis, & clara, ut in eâ doctores conveniant, quomodo Concilium Antiochenum judicavit olim de hæresi Pauli Samosateni apud Eusebium *lib. 7. hist. cap. 17. &c.:* Cujus judicium à Dionysio Rom. Pont., & totâ Ecclesiâ acceptatum fuit.) Possunt tamen judicare de Persona, nimirùm, an aliquis inciderit in hæresim manifestam, ipsumque declarare excommunicatum. Ad quem finem collectum fuisse creditur Concilium Aquilejense tempore Ambrosii, ubi nil aliud definitum fuit, nisi Palladium quendam verum esse Arii discipulum. Quod judicium, esto non sit prorsùs infallibile, sufficit tamen ad excommunicandum.

XXXVII. Quod verò Concilium particulare, non expresfè confirmatum, faciat argumentum adeò probabile, ut temerarium sit ei non acquiescere, planum est, tùm ex citato canone *ad abolendam*, ubi Lucius III. declarans eos, qui judicati fuerunt hæretici à Concilio particulari, esse excommunicandos, indicat, ex illo non leve argumentum pro fide sumi posse. Tùm, quia Concilia particularia perrarò in fide falluntur (licèt falli possint) quare ex innumeris, quæ à secundo seculo celebrata sunt, excepto Concilio Africano sub Cypriano in materiâ rebaptizandi hæreticos, vix ullum invenitur legitimè coactum, quod erraverit in

in dogmate; at ex Judicio, quod rarò contingit falli, potest non leve duci argumentum: Si enim aliquot Sancti Patres casu in aliquam sententiam convenientes faciunt argumentum probabile, quantò magis plures Episcopi simul convenientes, & invocato Spiritu Sancto aliquid communi consensu statuentes? Propterea plurima istiusmodi Concilia ut Toletana, Bracarensia, Arelatensia, & alia videntur ipso usu Ecclesiæ quodammodo probata; & Concilia ipsa OEcumenica de Conciliis Localibus honorificè locuta sunt. Unde Synodus septima *act.* 3. in litteris synodicis Theodori Patriarchæ Hierosolymitani, *Locales* (inquit) *autem Synodos non aversamur, sed magis amamus, amplectimur, & recipimus, earum etiam divinitus inspiratas Canonicas constitutiones, correctiones, & utiles earum legislationes summâ observantiâ colimus.* Synodus etiam octava *act.* 10. *canone* 1. Sanctiones Ecclesiæ ab Orthodoxis OEcumenicis, & Provincialibus Conciliis acceptas, servandas, & custodiendas decernit.

XXXVIII. Dico quintò. Concilia Particularia à Romano Pontifice approbata certum præbere possunt Theologo argumentum: etenim in fide, & moribus errare non possunt. Hanc licet aliqui, nondùm declarati Hæretici, inficientur, tenendum tamen sic existimo, ut oppositum temerarium, erroneum, & hæresi proximum judicem. Quod, dùm de auctoritate Romani Pontificis sequenti dubio agam, conabor ostendere. Si ergo Summus Pontifex in decernendis iis, quę fidem, ac mores spectant errare non potest, certè nec Concilium, quamvis exiguum, ab illo comprobatum. Secundò, si hæc conclusio esset incerta, multorum hæreticorum damnatio incerta esset, atque iterùm revocari posset in dubium hæresis Pelagianorum, Priscillianistarum, Joviniani, & aliorum, quæ à solis Conciliis particularibus damnatæ fuerunt. Nec enim factum est, nec fieri expedit, ut singulis Hæreticis condemnandis singula Generalia Concilia convocentur. Cùm ergo Deus Ecclesiæ suæ in necessariis prospexerit, nimirùm de medio ad hæreses in privatis Provinciis confutandas, Concilia Provincialia satis erunt, si erunt modò auctoritate Summi Pontificis roborata. Hinc Priscillianus refutatus fuit in Concilio Toletano primo firmato à Leone II.; Helvidius in Concilio Thelensi firmato à Siricio III.; & Pelagius in Conciliis Milevitano, & Carthaginensi confirmatis ab Innocentio I., & tandem à Zosimo. Unde D. Prosper in Chronico: *Concilio* (inquit) *apud Carthaginem habito* 214. *Episcoporum, ad Papam Zosimum Synodi decreta perlata sunt, quibus probatis, per totum Mundum hæresis Pelagiana damnata est.* Imò D. Augustinus *lib.* 2. *de retract. cap.* 50., eam hæresim scribit fuisse damnatam ab Innocentio, & Zosimo, cooperantibus Africanis Conciliis. Verba ejus sunt: *Posteaquam Pelagiana hæresis cum suis Auctoribus ab Episcopis Ecclesiæ Romanæ, priùs Innocentio, deinde Zosimo, cooperantibus Conciliorum Africanorum litteris convicta, atque damnata est &c.*, videndus S. Doctor *epist.* 190., alias 157. *ad Optatum*, & *epist.* 194., alias 105. *ad Sixtum*, qu m honorificè de Sedis Apostolicæ judicio loquitur. Item *lib.* 2. *contr. duas epist. Pelagian. c.* 3. apertè dicit, quòd in causâ contra Pelagium, *litteris beatę memoriæ Papæ Innocentii de hâc re dubitatio tota sublata est*, & serm. 2. de Verb. Apostoli, nunc serm. 131. cap. 10. *Jam enim de hâc causâ duo Concilia missa sunt ad Sedem Apostolicam: inde etiam rescripta venerunt. Causa finita est: utinam aliquando finiatur error.* Audiant ergo, qui ultra judicium Romani Pontificis, aliud judicium postulant. Sed hos pressiùs alloquemur sequenti Dubio.

§. VII.

De Concilio Generali per Legatos Rom. Pont. celebrato.

XXXIX. Quæres primò. An Concilium per Legatos Summi Pontificis celebratum firmam, certamque habeat auctoritatem, priusquàm accedat Romani Pontificis confirmatio?

Respondeo negativè. Superest enim ad-

adhuc ille, pro cujus fide Christus rogavit; ille nimirùm, ad quem fidei summa tandem referenda est, ut dicebam nuper. Quare nisi definitiones Conciliorum, eorum etiam, quæ per Legatos Summi Pontificis celebrata sunt, probentur, confirmenturque, ut omnino certę, ac indubiæ haberi non debent. Nam Legatus Pontificis aderat Concilio Basileensi, cùm in secundâ, & tertiâ sessione vehementer erratum est, ac errori ceterorum Legatus ipse consensit, ac subscripsit. Ratio autem est: quia Summus Pontifex nec trasfert, nec transferre potest in Legatos suæ fidei soliditatem, quam sibi soli privativè vindicat, eò quòd Christi Vicarius est, Pastor Ecclesiæ Universalis, soli enim Petro dictum fuit, dùm dicitur: *Ego rogavi pro te: tu autem confirma fratres tuos*. Sicut non potest in alium transferre, & alterum delegare, ut sit Christi Vicarius, Petri in fide, & Sede successor; Pastorque Universalis; ità nec, ut in fide habeat firmitatem.

XL. At dices. Concilium per Legatos Papæ celebratum repræsentat Ecclesiam Universalem, ut statutum est à Martino V. in fine Concilii Constantiensis; imò adest etiam per Legatos ipse Rom. Pont., qui est Ecclesiæ Caput. Quid ergo ei deest, ut habeat omnimodam firmitatem?

Ut respondeam huic instantiæ, suppono ex Mag. Cano *lib. 5. cap. 5.*, ex quo Bellarm. *l. 2. de auct. Conc. cap. 11.*, Legatos aliquando mitti ad Concilium cum instructione Sedis Apostolicæ, ut factum legimus in Concilio IV. VI., & VII.; aliquando sine instructione, ut factum est in Concilio Tridentino. Cujus ratio est, quia in præfatis prioribus Conciliis una tantum quæstio tractanda, & definienda erat; & ideò facilè poterat Papa mentem suam, & S. Sedis suis Legatis aperire. At Tridentino tot quæstiònes agitandæ erant, & tam variæ, ut non poterat instructio prę nitti.

Suppono secundò, quatuor modis contingere posse, ut fiat Concilii Generalis definitio. Primò, ut Patres definiant, dissentientibus Apostolicæ Sedis Legatis.... & hoc modo constat, Concilia errare posse, sicut de facto errasse Concilium Ephesinum II., dùm repugnantibus Sancti Leonis Legatis, definire voluit, superiùs vidimus.

Secundò, ut Patres definiant, consentientibus Legatis, sed contra instructionem Papæ agentibus: & hoc modo etiam Concilium potest errare, & de facto erravit Concilium Constantinopolitanum, sedente Nicolao I., cùm contrà Papę instructionem egerint, ut ex epistolis ejusdem Nicolai ad omnes fideles, & ad Michaelem Imperatorem datis, quibus omnia ibi acta rescindit, eò quòd Legati ipsius instructionem illis datam examinandi, & referendi tantùm, decernendo excesserint. Ratio autem est, quia non possunt dici legitima Concilia, quę cum suo Capite pugnant, & quando consentiunt Legatis agentibus contra mandatum, tunc enim Legati non agunt ut Legati, & nomine, & auctoritate Pontificis. Dùm enim Legatos mittit, non intendit dare eis auctoritatem, nisi agant secundùm sibi præscriptas regulas, ut protestatur Agatho *in epist. ad Imperatorem*, quæ lecta fuit in sexta Synodo *act. 4. Licentiam* (inquit) *eis, sive auctoritatem dedimus..... simpliciter satisfaciendi, inquantum eis dùmtaxat injunctum est: ut nihil profectò præsumant augere, minuere, vel mutare; sed traditionem hujus Apostolicæ Sedis, ut à prædecessoribus Apostolicis Pontificibus instituta est, simpliciter enarrare*.

Tertiò, Concilii definitio potest fieri consentientibus Patribus, & etiam Legatis, sed qui certam instructionem de mente Sedis Apostolicæ non habuerant, & talis definitio non habet certam auctoritatem, quousque per Summum Potificem non fuerit approbata. In hoc ergo sensu, & casu procedit supra data responsio ob rationes ibi allatas, & insuper, quia firmitas omnimoda Concilii nascitur ex conjunctione Corporis Ecclesiæ cum Capite ipsius, quæ in casu nondùm habetur; non enim Legati sciunt, quęnam sit Pontificis mens. Quare Concilium Basileense *sess. 2.* una cum Legato, communi consensu statuit, Concilium esse supra Papam, quòd certè nunc judicatur erroneum à saniori, & majori Ecclc-

clesiæ parte. Eò vel maxime, quia si potest errare Concilium, quando aliquid definit contra instructionem Papæ; ergo potest etiam errare, quando nulla habetur instructio, cùm possit contingere, quòd ejus definitio repugnet menti Pontificis.

Quare ad instantiam ab initio propositam, dinstinguo antecedens: Concilium &c. repræsentat Ecclesiam Universalem imperfectè, conced. antec.: perfectè, nego antecedens: repræsentat quippe corpus, sed nondùm repræsentat perfectum, idest cum Capite. Etsi autem adsit aliquomodo Pontifex per Legatos, non tamen adest ut sententiam ferens; dùm enim mittit Legatos non instructos, mittit eos non ad nomine suo ultimatè decernendum, sed solùm ad referendum. Quare nisi accesserit ejus judicium, Concilium non censetur absolutum, nec perfectè repræsentans Ecclesiam Universalem.

XLI. Quòd si opponas, Concilium Generale, cui Legati præsunt, in Spiritu Sancto congregatum esse: insuper anathema pronunciare contrarium sentientibus, etiam ante Papæ confirmationem,

Respondeo, utique Concilium tale esse in Spiritu Sancto congregatum, non tamen constat illi adesse Spiritum Sanctum judicantem, nisi judicium corporis comprobetur à judicio capitis, cui Spiritus Sancti infallibilis adsistentia promissa est, dùm pro Petro Christus rogavit, ne fides ejus deficeret. Quare etsi major pars Concilii aliquid statuat, non erit credenda Spiritus Sancti sententia, nisi per Summum Pontificem confirmetur. Dùm verò Concilium dicit anathema, debet intelligi, si fuerit à Pontifice approbatum, vim suam habiturum; sicut quando Judex, à quo appellari potest, fert sententiam mortis in aliquem, intelligitur, illum debere mori, nisi Princeps sententiam retractet.

XLII. At dubium est, num, quando Concilium decernit, consentientibus omnibus cum Legatis habentibus, & sequentibus Papæ instructionem.

Cui respondeo, tunc tale Concilium fore indubiæ auctoritatis, quia tunc adest expressus consensus capitis, & membrorum, & consequenter totiùs Ecclesiæ. Dùm enim Concilium consentit cum Pontificis sententiâ, formaturque à Legatis nomine Pontificis, tunc incipit esse sententia definitiva, & ultima, non solùm Concilii, sed etiam Pontificis, loquentis per suos Legatos in Concilio, neque potest illam retractare; Nam certò intelligit, sententiam suam esse à Deo, quando à Concilio approbatur: unde B. Leo *epist.* 63. ad Theodoretum. *Quæ* (inquit) *Dominus noster priùs ministerio definierat, universæ fraternitatis irretractabili firmavit assensu, ut verè à se prodire ostenderet, quod priùs à primâ omnium Sede formatum, totius Christiani Orbis judicium recepisset, ut in hoc quoque Capiti membra concordent &c.* Hinc in Concilio Chalcedonensi *act.* 3, cùm Patres judicio S. Leonis circa depositionem Dioscori consensissent, mox Legati ipsius Paschasinus, Lucentius Episcopi, & Bonifacius Præsbyter pronunciaverunt sententiam his verbis: *Unde Sanctissimus, & Beatissimus Archiepiscopus magnæ, & senioris Romæ Leo, per nos, & per præsentem S. Synodum, unà cum ter Beatissimo, & omni laude digno Beato Petro Apostolo, qui est petra, & crepido Catholicæ Ecclesiæ, & rectæ fidei fundamentum, nudavit eum Episcopatus dignitate, quin etiam, & ab omni Sacerdotali alienavit ministerio.* Quòd si in epist. ad S. Leonem, quæ habetur 3. *p. c.* 2. ejusdem, Concilium petit à S. Leone confirmationem, exprimit, se illam petere eorum, quæ definierat præter Pontificis sententiam. E contra verò S. Leo rescribens Concil. *part.* 3. *c.* 14. indicat, non fuisse opus suâ confirmatione, in rebus Fidei à Concilio statutis, nisi quia maligni aliqui dubitabant, an reverà cum ejus consensu decretum Concilii factum fuisset. Quâ ratione Pontifices confirmarunt multa alia Concilia, & decreta per Legatos ex sui sententiâ facta; non quia errare potuissent, & egerent ad firmitatem sua confirmatione, sed, ut omnibus certiùs constaret, quæ Legati egerant, ea verè ex mandato Pontificis egisse.

§. VIII.

§. VIII.

De Patribus Concilii.

XLIII. Quæres secundò. An Patres Concilii verè Judices sint, an potiùs consiliarii?

Martinus Lutherus in *assert. articulorum art. 28. & 29.* Potestatem judicialem in definiendo admit, non solùm à Pontifice, sed etiam à Conciliis, sed vult, solum Judicem scripturam esse, ità ut cuique liberum sit, à statuto Concilii iterùm ad Scripturam accedere: *Scripturam* (inquit) *volo judicem esse Conciliorum... Quòd si etiam dicerem cuilibet pro libidine licere Conciliis resistere, rectè dicerem.* Et adducit Panormitanum dicentem: *Plus esse credendum uni privato fideli, quàm toti Concilio, aut Papa, si meliorem auctoritatem, vel rationem habeat.* Hunc secutus est Calvinus *l. 4. inst. c. 9. §. 7. & 8.*, & hæc est doctrina Protestantium, ut evadant Conciliorum statuta contrà ipsos militantia, ac si privatus homo plùs saperet, ac meliùs Scripturam intelligeret, quàm tota Ecclesia in Concilio repræsentata. Ideòque in horum sententia Patres Concilii, nec Judices sunt, nec Consiliarii saltem tuti, sed eorum inquisitio cujuscumque criterio adhùc subjici poterit. Optima sane via ad excutiendum omne obedientiæ jugum, necnon effreni licentiâ omnia subvertendum.

Alii verò, quos suppresso nomine refert Canus *lib. 5. cap. 5.*, sentiunt, Conciliorum auctoritatem, non in judicandâ, & finiendâ causâ fidei, sed in quærendâ, & investigandâ veritate sitam esse. Omnem quippe judicii vim ad unum Ecclesiæ Principem, eundemque Christi Vicarium revocant, qui fidei causæ decernendæ, eò vel plures, vel pauciores in Concilium adhibet, quò causa, vel gravior, vel facilior est.

Contra primos ergo respondeo, confessum Episcoporum in Conciliis esse verum, & ultimum in causis fidei judicem, nec eorum decreta esse ulteriùs examinanda, sed debitâ obedientiâ illis esse parendum, & probo. Si enim *Deuteron. 17.*, qui dubia habebant, Deo jubente, recurrere debebant ad Sacerdotes, & ad Judicem, qui fuerit illo tempore, quærere ab eis, qui indicabunt judicii veritatem, facere quodcumque dixerint, & docuerint, sequi sententiam, non declinare ad dexteram, neque ad sinistram, indictâ pęnâ mortis ei, qui noluerit obedire, ut legitur ibi *v. 9. 10. 11. & 12.* Cur non idem facere debebit Christianus? maximè, quia Christus *Matt. 18.* confirmans legem præfatam Deuteronomii *Matth. 18. v. 17.* dicat, quòd *si non audierit, dic Ecclesiæ; & si Ecclesiam non audierit, sit tibi velut Ethnicus, & Publicanus.* Non dicit, ut sententia Ecclesiæ privato judicio examinetur, num ad normam legis pronunciata sit, ut volunt Novatores.

Rursùs. Consideremus primum Concilium Apostolorum, quod cæterorum exemplum esse debet. Ibi non ex scripturis, sed ad suffragia Apostolorum quæstio definita fuit. Ibi Apostolorum sententia non fuit permissa examini discipulorum, sed simpliciter imperatum fuit, ut obedirent, ut *act. 15. & 16.* Ibi decretum Apostolicum fuit vera lex obligans in conscientiâ. Ibi sententia Concilii fuit sententia Spiritus Sancti: *Visum est Spiritui Sancto, & nobis.* Cur non idem dici debebit de subsequentibus Conciliis legitimè congregatis, & de quæstionibus in iis propositis, & definitis? cur novo examini reducendæ sunt, & à quibus? à quocumque privato, ac si privati sententia præferenda esset sententię Concilii, & Ecclesiæ, & Ecclesia in Concilio errare posset, privatus verò non posset?

XLIV. Sed inquies. Solus Paphnutius vir laicus liberè restitit, & prævaluit Concilio Nicæno Primo volenti prohibere usum uxorum Sacerdotibus; ut referunt Socrates *lib. 1. cap. 8.*, & Sozomenus *lib. 1. cap. 23.* Cur ergo idem contingere nequit?

Respondetur variè à doctoribus. Primò, incertam esse hanc narrationem ex silentio Eusebii, Athanasii, Epiphanii, Ruffini, & aliorum. Secundò, Paphnutius erat unus ex Episcopis in Concilio sedens, restitit ante definitionem Concilii,

lii, non post eam factam. Solum optavit, ne interdiceretur usus uxorum iis, qui eas habebant, Sacerdotibus, tamen hortatus est Synodum, ut severè interdiceret Sacerdotibus, ne post sacram ordinationem uxorem ducerent. Hæc testantur Socrates, & Sozomenus: cur ergo Lutherani, & Calvinistę exemplum Paphnutii jactant, & ejus sententiam non sequuntur, dùm ipsi uxores ducunt, etsi Sacerdotes, & Monachi fuerint?

Addo, Concilium decrevisse planè oppositum ejus, quod isti ex Paphnutio referunt. Mam *can.* 3. statuit, ne in domibus Sacerdotum sint ullæ fœminæ præter matrem, sororem, & ammittam; addere debuisset *uxorem*, si eam Sacerdotibus permittebat. Dicendum ergo cum Epiphanio *haresi* 59., esse contrà canones, ut Sacerdos, aut Diaconus, aut Subdiaconus liberos gignat. Sed hoc allibi locuti sumus.

Contra secundos verò respondeo, Episcopos in Concilio sedentes, non merè Consiliarios esse, sed Judices. Eodem enim modo ibi sedent, sicut Apostoli in Concilio Hierosolymis habito; at isti fuerunt Judices, non puri Consiliarii, *Visum est* (inquiunt) *Spiritui Sancto, & nobis*. Sicut ergo Spiritus Sanctus consiliarius non est, ità nec fuerunt Apostoli, nec sunt Episcopi eorum successores. Hinc sententiæ Episcoporum in Conciliis non vocantur consultationes, sed decreta, statuta, sanctiones, definitiones, ut legenti Conciliorum acta constabit. Præterea in Conciliis adhibentur etiam docti Theologi ad examinandas, & discutiendas quęstiones, & consiliandum; ergo si Episcopi nil aliud faciunt, pares erunt Theologi cum Episcopis in ferendâ sententiâ, quod tamen est inauditum: soli enim Episcopi sententiæ Concilii subscribunt. Rursùs. Non solus Romanus Pontifex, verùm reliqui etiam Episcopi potestatem ligandi, & solvendi à Christo acceperunt; ergo in causâ fidei omnes pręceptum imponunt, omnesque simul sententiæ Synodalis auctores sunt; *Visum est* (inquiunt) *Spiritui Sancto, & nobis nihil ultra imponere vobis oneris*, Non ergo solus Petrus, sed omnes Apostoli decretum Synodale formarunt.

XLV. Dices. Si ità est, nimirùm quòd omnes Episcopi in Concilio sint Judices, Summus Pontifex tenebitur in ferenda sententiâ majorem partem judicum sequi, eorumque doctrinam approbare. In omni enim recto tribunali, is qui præest plurium judicium confirmare debet. Quid ergo si major pars erraret, ut contingere potest? Contigit hoc in Concilio Ephesino II., ubi major pars errori Eutichetis subscripsit.

Respondeo negando sequelam. Esto enim Præses, qui non est supremus, teneatur majoris partis sententiam approbare, non tamen Præses, qui supremus est. Is enim judicium majoris partis, si sibi videatur injustum, retractare potest, ut in comitiis alcujus Regni sæpè accidit, ubi Princeps rescindit aliquando acta, esto à majori parte statuta. Cùm ergo Summus Pontifex sit in Ecclesiâ Supremus, non tenetur majoris partis sententiam amplecti. Imò sive pauci, sive multi ad errorem deflexerint, munus est Apostolici Antistitis eos ad veram fidem revocare, juxta illud, quod Petro dixit Christus, *Ego rogavi pro te, ne deficiat fides tua, & tu*, non unum, aut alterum, sed sive paucos, sive multos *confirma fratres tuos*. Hinc Damasus Papa scribens ad Episcopos per Illyricum constitutos, numerum Concilii Ariminensis magnâ libertate contemsit, eique tantæ multitudini unum Vincentium, aliosque paucos opposuit, qui contrà illius Concilii sententiam dixerunt. Et S. Leo *epist.* 51. *ad Anatolium*, qui decretum Concilii Chalcedonensis de Ecclesiæ Constantinopolitanæ Primatu sexcentorum triginta Patrum consensione firmatum jactabat. *Quasi* (inquit) *refutari nequeat, quod illicitè voluit multitudo..... nulla sibimet de multiplicatione congregationis concilia blandiantur &c.* Videndi in hâc materiâ Turrecremata *summ. de Eccles. lib.* 3. *c.* 63. 64., & Canus *lib.* 5. *c.* 5. *quæsito* 2.



§. IX.

§. IX.

Auctoritas Concilii relatè ad Sacram Scripturam.

XLVI. Alia quæstio ex hactenus dictis emergit. Si enim Concilium Summi Pontificis auctoritate firmatum Spiritu Sancto regitur in fidei causis judicandis, ejus ergo definitiones ad Sacram Scripturam pertinebunt, vel saltem paris erunt auctoritatis cum Sacrâ Scripturâ; hæc enim talis dicitur, quia Spiritu Sancto aflante scripta est.

Respondeo, Sacræ Scripturæ majorem esse auctoritatem, quàm Conciliorum etiam Generalium. Pro cujus intelligentiâ observo, multiplex esse discrimen inter Scripturam Sacram, & Conciliorum decreta.

Primum, quòd Sacra Scriptura est Verbum Dei immediatè revelatum, & Deo inspirante, & quasi loquente scriptum, juxta illud 2. Petri 1. 21. *Spiritu Sancto inspirati locuti sunt sancti Dei homines, & 2. ad Timoth. 3. v. 16. Omnis Scriptura divinitus inspirata &c.*, quia Sacris Scriptoribus, vel nova quædam, & antea eis incognita revelabantur, vel Deus immediatè inspirabat ad scribenda ea, quæ viderant, vel audierant, eosque dirigebat, ne aliquomodo errarent. At Concilia non scribunt immediatas Dei loquentis revelationes, nec decreta Concilii sunt Verbum Dei: sed potiùs declarant, quodnam sit Verbum Dei, & ex Verbo Dei scripto, vel tradito suas conficiunt definitiones, quæ ex conformitate cum Verbo Dei suum pondus, & auctoritatem accipiunt. Ex quo formatur hìc discursus: id majoris auctoritatis est, propter quod, & ratione cujus Conciliorum decreta, & Pontificum definitiones firmitatem, & auctoritatem habent, juxta Philosophicum axioma: propter quod unumquodque tale, & illud magis; sed Conciliorum decreta, & definitiones Pontificum suam firmitatem, & auctoritatem habent ex Verbo Dei, quia nimirùm secundùm Verbum Dei pronunciant: ergo Sacra Scriptura majoris auctoritatis est, quàm decreta Conciliorum.

Secundum discrimen, quod ex hoc primo oritur est, quòd Scriptores Sacri non debuerunt multum laborare in suis libris edendis, sed tantùm sibi revelata scribere, vel revocare in memoriam, quæ viderant, vel audierant: Concilia verò debent rem ipsam disquirere, discutere disputando, legendo, inquirendo; unde in I. Concilio *act.* 15. magnam legimus factam fuisse conquisitionem. Quare cum dixerunt: *Visum est Spiritui Sancto, & nobis*, idem fuit ac dicere: Visum est Spiritui Sancto nostram industriam, & disquisitionem adjuvanti, & dirigenti. Porrò Scriptores Sacri soli Deo tribuunt ea, quæ scribunt, unde frequenter ajunt *dicit Dominus*, & de suo nihil ponunt, nisi fortè sermonem, non sensum.

Tertium discrimen est, quòd in Scripturâ nullus potest esse error, sive agatur de fide, sive de moribus, sive affirmetur aliquod generale, & toti Ecclesię commune, sive aliquid particulare, & ad unum tantum hominem pertinens. Tam enim certum de fide est, Christum fuisse passum sub Pontio Pilato, quam neminem sine gratiâ Christi posse salvari; Cùm utrumque eadem Scriptura verissimum testetur. At Concilia in judiciis particularibus, & in quæstionibus facti errare possunt.

Quartum, quod in Scripturâ nedùm sententiæ, sed etiam verba omnia, & singula ad Fidem pertinent. At in Conciliis licèt de fide sint definitiones, non tamen disputationes, quæ præmittuntur, aut rationes, quæ adducuntur, neque ea, quæ ad explicandum, aut illustrandum afferuntur, sed sola decreta, & hæc non omnia, sed ea tantùm, quæ tanquam de fide proponuntur.

Denique, quod Scriptura non eget approbatione Pontificis, ut sit authentica, sed tantùm, ut innotescat ejus auctoritas. At Concilia etiam legitima, & generalia, non sunt certæ, ac indubię auctoritatis, nisi sint à Pontifice confirmata, ut vidimus.

XLVII. At dices. Gratianus Divi Augustini testimonio confirmatus 19. *distinct. cap. in Canonicis* Summorum Pontificum epistolas decretales, canonicas scripturas dicit; cur ergo non etiam Conciliorum decreta?

Resp. negando antecedens. Nec enim Gratianus, nec D. Augustinus hoc dixere, sed solùm in judicando quænam Scripturæ sint canonicæ, videndum esse, quid Catholicæ Ecclesiæ sentiant, atque ex potissimùm, quę vel Sedes Apostolicæ fuerunt, vel ad quas Apostolicę litteræ directæ fuerunt. Videatur Gratianus *cit. loco*, & Augustinus *lib. 2. de Doctr. Christ. cap. 8.* Vel si hoc Gratianum dixisse credimus, ut refert arguens; vel ex codice depravato Augustini, quod habuit ad manus Gratianus, contigisse credendum est; vel nomine Scripturę Sacræ, & Canonicæ non intellexisse Gratianum Scripturam, ut à prophanâ distinguitur, in quo sensu etiam Innocentius III. *de celebrat. Missæ c. Cum Martha*, ait, Scripturam Sacram asserere, quod injuriam facit Martyri, qui orat pro Martyre. Ubi Scripturam Sacram usurpat pro Scripturâ alicujus Sacri Doctoris; tale enim dictum in nullâ Scripturâ Divinâ reperitur. Sic cùm D. Gregorius *lib. 2. epist. 24.* dixit, se venerari quatuor prima Concilia, sicut quatuor libros Evangeliorum, ly *sicut* sumendum est non secundum æqualitatem, sed similitudinem, eo modo, quo dixit Christus *Matth. 5. vers. 48. Estote perfecti, sicut Pater vester Cęlestis perfectus est*, quia sicut Evangelia infallibilis veritatis sunt, ità & Concilia, licèt in inferiori gradu.

XLVIII. At instabis. Fides Catholica nihil credit, nisi quod est à Deo revelatum; sed Conciliorum decreta tenemur certa tenere secundùm fidem; ergo sunt à Deo revelata; ergo sunt Scriptura Canonica.

Secundò. Secundùm aliquos in Scripturis Sanctis non omnia verba sunt à Deo dictata, sed Scriptor Sacer aliqua interserit de suo, licèt Spiritu Sancto ipsum dirigente, ideòque Sacer Scriptor aliquando excusationem facit, si non disertè, & ornatè scripsit, ut patet in auctore 2. libri Machab. c. 15. v. 39. Ergo cùm similiter decreta Conciliorum fiant ab homine de suo sententiam proferente; dirigente tamen Spiritu Sancto, dici poterunt paria cum Scripturis Canonicis, & Divinis.

Respondetur ad primam instantiam disting. min., tanquam novæ revelationes, nego min., tanquam explicationes eorum, quæ Apostolis revelata fuerunt, conc. min. Duplex genus definitionum considerari potest in Conciliis. Unum earum quæ sunt Theologicæ Conclusiones, quoniam vel ex duabus præmissis de fide, vel ex unâ de fide, & alterâ naturali certò colliguntur; & istæ spectant ad fidem solùm mediatè, & qui eas negaverit hæreticus erit, quia ex consequenti censebitur negare principium, unde inferuntur. Alterum verò earum, quæ concernunt res immediatè à Deo Apostolis, Evangelistis, aut Prophetis revelatas: & istæ immediatè de fide sunt, & ut tales habendæ; non quia novæ revelationes sint, sed quia sunt explicationes eorum, quæ Deus jam revelaverat, licèt non adeò clarè; nec quia Ecclesia sic definivit; sed quia Deus illas dixit.

Ad secundam instantiam dico, in illâ opinione adhuc esse disparitatem inter definitiones Conciliorum, & Sacros Scriptores, quòd Sacris Scriptoribus, dum facta historica narrabant, eiu verba, & elocutionem Deus immediate non dictaret, tamen eis sic adsistebat, eosque ità regebat, ut nil erroris, ac mendacii vel in minimo committere possent; at in Conciliis, esto Deus adsistat in rebus fidei decernendis, & in hoc error contingere non possit, in factis tamen, in rationibus, quæ ibi adducuntur, Deus non adsistit, ideòque error accidere potest. Unico verbo. In Scripturis Sanctis, vel omnia verba sunt à Deo Sacro Scriptori dictata, vel omnia Spiritu Sancto suggerente, ac mentem dirigente à Sacro Scriptore conscripta. Non ità in Conciliis.

XLIX. Inquires, Cùm supra diximus, definitiones Conciliorum habere Spiritus Sancti adsistentiam, suppositâ tamen humanâ diligentiâ, ac disquisitione, quis nos certos reddit, à Concilio, aut Summo Pontifice adhibitam fuisse omnem necessariam diligentiam?

Respondeo. Ille idem, qui promisit, Ecclesiæ, Conciliis, & Petro semper adfuturum, ne in fidei negotio errarent, promisit etiam, se non defuturum, quin

in

in tali negotio omnis necessaria diligentia adhiberetur. Quemadmodum enim, si Christus dixisset Petro: ergo rogavi pro te, ne deficiat caritas tua, certò certiùs intelligeretur promisisse, aut ei impetrasse diligentiam, curam, vigilias, preces, ceteraque auxilia opportuna, quę ad caritatem conservandam sunt necessaria: ità, cùm dixit: ego rogavi pro te, ne deficiat fides tua, procul dubio intelligimus, id eum à Patre suo consecutum, ut quæ ad rectum fidei judicium oporterent, ea adessent Petro omnia, quæ sive a Deo, sive ab homine expectarentur; sicut si Deus in sequentem annum frugum abundantiam polliceretur, statim intelligeremus, homines, ut oportet, semina terræ mandaturos. Vide Canum *lib. 5. cap. 5.*

DUBIUM VI.

De Loco ab Auctoritate Summi Pontificis.

§. I.

Aliqua prænotantur.

Locum ab Auctoritate Ecclesiæ, & Conciliorum præmisimus. Nunc locum ab Auctoritate Summi Pontificis, in quem auctoritas Ecclesiæ, & Conciliorum, sicut corporis in suum caput resolvitur, & à quo accipit firmitatem, expendere aggredimur. Neque hùc intendimus advocare omnes quęstiones, quæ de Summo Pontifice agitari solent, de quibus egimus de *Verâ Ecclesiâ tom. 2. part. 1. articul. 3*, & *in colloquiis Theologico Dogmat. Class. 2. Colloquio 1. &c.*; & si Deus dederit speciali tractatu complectemus. Supponimus hic, dari, & existere in Ecclesiâ Summum Pontificem, qui Christi vices gerat in Terris in gubernio totius Catholicæ Ecclesiæ, qui sit in auctoritate, sicut in Episcopatu D. Petri successor, & hunc esse Episcopum Romanum. De ejus auctoritate in fidei causis finiendis seorsim à Conciliis, & prævie ad consensum Ecclesiæ, etso non pro dignitate materiæ, (quod plures præstantissimi Theologi perfecerunt) saltem pro sufficienti tyronum instructione, ut sciant, quale ex ejus auctoritate trahere possint argumentum, disserimus.

Hic nobis erit concertatio non solùm contra Lutheranos, Calvinistas, aliosque, qui Pontificum Romanorum decreta, constitutiones, definitiones nihili faciunt, imò probris, ac dicteriis insectantur, Primatum Episcopi Romani in Catholicâ Ecclesiâ audacter negantes, sed etiam cum aliquibus, qui se Catholicos profitentur, Primatum Romani Pontificis venerantur, auctoritatem ipsius summi faciendam prædicant; sed cùm ad infallibilitatem in judicandis etiam rebus fidei venitur, claudicant dicentes, esse, quidem infallibilem, sed accedente consensu Ecclesiæ. Cui opinioni, ne dixerim errori, quidam adeò inhæserunt, ut cùm ad hanc infallibilitatem Pontificis præviè ad Ecclesiæ consensum aliquando ventum fuit, ausi sint, vocare hanc Apostolicam infallibilitatem, chimeram infallibilitatis, Potestatis Apostolicæ falsam prærogativam, illius propugnatores Monstra, Emissarios Curiæ Romanæ, Monasticam cabalam &c.: ut videre est apud Matthiam à Coronâ *tract. 2. de potest spirituali &c. c. 16.*

Cæteri verò Theologi sanioris consilii, non adulandi animò, sed veritatis amore, sustinent, auctoritatem Romani Pontificis esse infallibilem, dùm definit circa res fidei, & dùm, ut Pastor Ecclesiam universalem ex Cathedrâ docet, etiam extra Concilium, nulloque expectato Ecclesiæ consensu, quibus subscribimus.

§. II.

Romani Pontificis infallibilitas asseritur.

II. Dico. Romanus Pontifex, dùm per Bullas toti Ecclesiæ aliquid fide divinâ credendum proponit, est ex se infallibilis, præviè ad Ecclesiæ consensum. Igitur in Romano Pontifice separo personam à dignitate Vicarii Christi, successoris Divi Petri in Cathedrâ Apostolicâ; & Pastoris universalis Ecclesiæ. Ut

Persona, homo est, sicut caeteri, fallibilis. Ut verò Christi vices gerens est, ex Cathedrâ loquens, tanquam Pastor, & doctor toti Ecclesiae aliquid, ut credendum proponit: assero infallibilem in judicando, nec aliud judicium esse expectandum. In hâc assertione probanda dicam primò, quod ait Christus *Joannis* 5. Judaeis, qui sua oracula contemnebant v. 30. *Sicut audio, judico, & judicium meum justum est*: deinde v. 39. ipsos remisit ad Scripturas *scrutamini Scripturas*. Sic Apostolica Romana Sedes Judicii sui infallibilitatem detrectantibus respondere potest: non à me judico, sed sicut audio à Spiritu Sancto huic Cathedrae promisso, judico, & judicium meum justum est; quod si non vultis credere, scrutamini Scripturas.

III. Sic igitur discurro. Quod à Christo fuit Divo Petro concessum in ordine ad regimen Ecclesiae, credendum est continuari in eo, qui illi in eodem regimine, & in eâdem Cathedrâ succedit: sed qui in regimine universalis Ecclesiae Petro, sicut, & in Cathedrâ succedit, est Romanus Pontifex, ut modò suppono; ergo in hoc continuatur, quod pro Ecclesiae regimine fuit Petro concessum. Atqui Petro fuit à Christo collata infallibilitas in judicandis quaestionibus fidei; ergo haec perseverat in ejus Successoribus. Maj. videtur certa, nam esto Privilegium Personale corruat extinctâ Personâ, cui concessum est, Privilegium tamen reale concessum Personae, non ratione Personae, sed ratione officii, continuatur in omnibus in eodem officio illi succedentibus.

Tota difficultas est in minori subsumtâ, quam primò ostendo, ex illo *Matth.* 16. *v.* 18., ubi Petro, qui ipsum confessus fuerat Filium Dei vivi, Christus in praemium talis confessionis dixit, se ipsum destinasse, ut sit Petra, supra quam ipse aedificaturus esset Ecclesiam suam, contrà quam portae Inferi non forent praevaliturae: *Et ego dico tibi, quia tu es Petrus, & super hanc Petram aedificabo Ecclesiam meam: & portae Inferi non praevalebunt adversus eam.* Neque hìc in Petro alloquitur totam Ecclesiam; quod indicant illa verba, *ego dico tibi*, nimirùm, qui me confessus es. Insuper statuit Christus, Petrum fore Petram, super quam aedificaturus erat Ecclesiam. Petra autem ista non est Ecclesia; nam si Petra esset Ecclesia, Christus aedificasset Ecclesiam super Ecclesiam. Petrus ergo fuit Petra, & Fundamentum Ecclesiae perpetuò mansurae, atque ità firmae, ut inferorum impetus non essent praevalituri contrà eam. Ergo hoc modo loquendi Petro promisit stabilitatem, firmitatem in doctrinâ, & judicio inconcussam, immobilem, quae ex ipso derivaret in Ecclesiam, cùm firmitas fundamenti influat firmitatem in aedificium, non è contrà.

Secundò, eadem minor probatur ex verbis Christi *Lucae* 22. *v.* 32. *Ego autem rogavi pro te* (Petro) *ut non deficiat fides tua: & tu aliquando conversus confirma fratres tuos.* Hic Christus rogavit pro Petri indefectibilitate in fide, eique commisit officium confirmandi fratres suos: quae verba ad Petrum, non ad Ecclesiam referenda sunt; Ecclesia enim non habet fratres, sed filios. Vel ergo Oratio Christi inanis fuit, & vacua, si Petro non impetravit indefectibilitatem in fide, & in eâ confirmandis fratribus: quod nullus dixerit: vel Petrus, & consequenter ejus Successores in Officio, indefectibiles in fide sunt. Audiendus hìc est Jansenius Yprensis in Tetrateucho super hunc locum. Ego autem rogavi pro te, *peculiariter tanquam pro capite caeterorum, per quem reliquos ad salutem adducere decrevi*: ut non deficiat, *idest non penitùs eradicetur, & extinguatur* fides tua. *Nam quamvis cribrandus, & concutiendus esset usque ad negationem Christi, quamvis ore fecit, fidem tamen internam, quâ ad justitiam corde creditur, non amisit; sicut arbor folia vi tempestatis abjicit, non tamen vitam in radice permanentem, ut sentit Ambrosius in vers.* 22. *psalm.* 43., *& explicat Theophylact. Et hoc quidem personale fuit Petri privilegium, de quo August. lib. de corrept., & gratiâ cap.* 8. *Quando, inquit, rogavit, ne fides ejus deficeret, quid aliud rogavit, nisi ut haberet in fide liberrimam, fortissimam, invictissimam, perseverantissimam voluntatem? Sed, quia confirmare fratres, quod*

quod sequitur, ad Officium Pastoris pertinet, & proinde perpetuum esse debet, hinc juxta sensum antiquorum impetravit ei, & aliud privilegium, ad Successores propagandum, ut videlicet tanquam Caput Ecclesia nunquam nec ipse, nec Successores ejus in docendâ verâ fide deficerent.

Idem probatur ex verbis Christi *Joan. 21. à v. 15.*, ubi cùm Petrum ter interrogasset, an plus cæteris eum diligeret: semel atque iterum dixit ei: *Pasce agnos meos*; tertiò autem: *Pasce oves meas*. Ubi ait Jansenius præfatus: Vel *per agnos bis repetitos significantur duo populi, Judaicus, & Gentilis*: per oves *verò Episcopi, & Pastores tanquam matres agnorum. Vel commodiùs* Agni *primo loco significant simplices fideles*: Agni *secundo loco* (vel Oviculæ, ut legitur in græco) *Presbyteros velut minores Pastores*: Oves *verò Episcopos*. Si ergo Petrus datur Pastor agnorum, oviculàrum, ovium, idest fidelium simplicium, Presbyterorum, & Episcoporum; ergo omnes debet regere, omnes ab eo doceri debent fideles, Presbyteri, & Episcopi. Quis enim dicat, Pastorem doceri, vel ab agnis, vel ab oviculis, vel ab ovibus, aut expectandum totius gregis votum, ut judicium Pastoris firmum, ratumque habeatur? *Hoc autem officium cùm sit ordinarium, ac tamdiù necessarium, quandiù erit ovile, profectò iisdem istis verbis eandem potestatem omnibus Petri legitimis Successoribus tribuit*. Ità claudit Jansenius.

IV. Hâc potestate definiendi, & docendi, & interpretandi Scripturas, easque proponendi toti Ecclesiæ primò usus est Petrus *act. 1. v. 15.*, ubi legitur, *& exurgens Petrus*, tanquam Princeps Apostolorum, tanquam Universalis Pastor gregis dominici sibi concrediti. *Quàm est fervidus? Quam agnoscit creditum à Christo gregem? Quàm in hoc choro Princeps est? & ubique primus omnium incipit loqui?* ait Chrysost. *hom. 3. in act.* Deinde *v. 16. Viri fratres* (inquit) *oportet impleri Scripturam, quam prædixit Spiritus Sanctus per os David de Juda &c.*: ubi dictum Scripturæ interpretatur de Juda. Tandem communibus suffragiis duo fuerunt statuti, Barsabas, & Matthias, datisque sortibus, Matthias in locum Judæ suffectus est; ut legitur *vers. 23. 24. 25. 26.* Ubi observo, quòd licèt in electione personæ Petrus vota singulorum requisivit, etsi (ut ait Chrysostomus *laudato loco*) solus ipse posset eligere, tamen in definiendo negotio, in Scripturâ interpretandâ, nullius expectat votum nullum requirit consensum. *Oportet* (inquit) *impleri Scripturam* &c. *Oportet ex his viris* &c. *Fieri unum ex istis* &c. Quod iterùm præstitit D. Petrus *act. 15. v. 7.*, ubi dicitur: *Surgens Petrus dixit ad eos: Viri fratres, vos scitis, quoniam ab antiquis diebus Deus in nobis elegit, per os meum audire gentes verbum Evangelii, & credere* &c. Petrum ergo (observat Canus *lib. 6. cap. 3.*) peculiariter inter cæteros elegit Christus, ut cum gentes in fidei controversiâ non audirent solùm loquentem, sed etiam crederent. Ità enim cùm Petrus sententiam edixisset, tacuit omnis multitudo, Petro definienti consentiens, ut *actorum 15.*

Quòd si audire oportebat Petrum loquentem Evangelium, & credere; cur non oportebit audire Petri successorem, dùm Evangelium, & Fidem loquitur Ecclesiæ, quæ ex gentibus collecta est, & nullo alio expectato eidem credere? Si Petro succeditur in Primatu, ut adversarii Catholici fatentur, cur non succeditur in infallibilitate judicii, cùm hoc Primatus dos, & prærogativa sit, quam Christus Petro, ut Capiti Ecclesiæ, impetravit in bonum fratrum, ideft Ecclesiæ, non Personæ, ut supra vidimus? Si Petri indefectibilitas ad posteros non est translata, nec cæterorum quidem Apostolorum potestatem, & firmitatem ad succedentes Episcopos transmissam agnoscemus; Ità nunc in Ecclesiâ, nec in Sacerdotibus; & Episcopis collectim, ulla indefectibilitas erit; sicque omni vento doctrinæ circumferemur.

V. Sanè hujus rei exemplum nobis exhibet Synagoga ipsa *Exodi 18.*, in quâ statutum erat, ut minores quidem causæ à Judicibus inferiobus terminarentur; at graviores, & maximè pertinentes ad Deum, ad Judicem Supremum referrentur. Cùm enim Jethro Moysen observasset levioribus causis judicandis nimiùm fati-

fatigari v. 19. *audi* (inquit) *verba mea, atque consilia, & erit Deus tecum. Esto tu populo in his, quæ ad Deum pertinent, ut referas, quæ dicuntur ad eum, ostendasque populo ceremonias, & ritum colendi, viamque, per quam ingredi debeant, & opus, quod facere debeant. Provide autem de omni plebe viros potentes, & timentes Deum, in quibus sit veritas.... qui judicent populum omni tempore, quidquid autem majus fuerit, referant ad te* &c. Quibus auditis, Moyses fecit omnia, quæ Jethro suggesserat. Quæ Moyses instituerat, apud Hebræos perdurarunt. Hùc respicit illud *Deuteron.* 17., ubi præcipitur, *si quid ambiguum fuerit* &c. adeundos esse Sacerdotes, & Judices, & faciendum quidquid ipsi dixerint, & qui superbierit nolens obedire mandato Sacerdotis, qui pro eo tempore ministraverit Domino, morte moreretur. Hæc fuit forma apud Synagogam, ut omnes causæ graviores, & maximè legem spectantes ad unum Supremum Judicem Sacerdotum deferrentur, cujus judicio standum erat sub mortis pœnâ. Quem Judicem in suis Judiciis indefectibilem fuisse, comprobatur exemplo Cayphæ, qui etsi impius, protulit tamen sententiam contra votum Concilii, quæ vera fuit; & hoc, quia cùm esset Pontifex, non à semetipso, sed spiritu prophetico locutus fuit. Si ergo hoc in Synagogâ provisum fuit, ut omnes referrentur ad unum Supremum, qui non à seipso sententiam, sed Spiritu Divino afflante sententiam proferebat, cujus sententiæ standum erat: cur credemus, minori providentiâ cautum esse à Christo in Ecclesiâ suâ, ut esset unus Supremus, ad quem omnes fidei causæ ultimò deferrentur, cujusque judicio ab omnibus standum sit, cùm non minùs sit necessarium? audiatur igitur D. Bernardinus *ep.* 188. scriptâ ad Episcopos, & Cardinales, qui sunt in Curiâ Romanâ, ostendens, ad ipsos pertinere, errores Petri Abailardi suffocare. *Sic enim* (inquit) *præcepit Moyses cùm montem subjit* (Exod. 24. v. 14.) Habetis *inquiens* Aaron, & Hur vobiscum: si quid natum fuerit quæstionis, referetis ad ipsos... *& quoniam pro Hur, & Aaron stat zelus, & auctoritas Romana Ecclesiæ super populum Dei; ad ipsam meritò referimus, non quæstiones, sed læsiones fidei, & injurias Christi: Patrum probra, atque contemtus, præsentium scandala, pericula posterorum.*

VI. Quòd si dixeris, ex typo, & figurâ non sumi idoneum argumentum; memineris, omnia, quæ in veteri delineata reperies, ad speciem Ecclesiæ, cujus Synagoga fuit continua figura, referenda esse. Cæterum dico, nuperrimè non fuisse nos argumentatos ex typo, aut figurâ, sed à minori ad majus. Incredibile enim est, Synagogam pro componendis de fide, lege, & religione controversiis: unum Judicem à Deo auctore habuisse, quæ tamen minori pretio habebatur, atque in unâ tantùm gente restringebatur; & Ecclesiam majoris dignitatis, quæque ex tam variis nationibus, linguis, ingeniis, & institutis coalescit, talem Judicem, ad quem controversias deferat, cujusque judicium sequi teneatur, non habere.

Nec dicas, habere Concilia. Nam ista non ità facilè convocari possunt, obsistentibus sæpe Principibus, bellis, aliisque incommodis, quæ nonnisi morâ temporis superari vix possunt. Præterea, ut supra ostendimus, Concilia, nisi sint Summi Pontificis judicio comprobata, nullam in rebus fidei firmitatem habent. Insuper Christus Ecclesiam voluit monarchicè regi. Eam unus ipse fundavit, super unum, idest supra Petrum, ædificavit, uni, idest Petro dixit, ut confirmaret fratres suos, uni, ut pasceret oves suas, & agnos; cur ergo eam ad Aristocratiam trahere conantur?

VII. Inquies primò contra dicta. Sicut Petro dicitur, *super te ædificabo Ecclesiam*, ità idem de aliis Apostolis dictum est, *Ephes.* 2. *v.* 20. Fideles dicuntur *superædificati super fundamentum Apostolorum, & Prophetarum. Apoc.* 21. *v.* 14. Iidem dicuntur *fundamenta duodecim sunt nomina Apostolorum*. Imò ipsa Ecclesia 1. *ad Timoth.* 3. *v.* 15. vocatur *Columna, & Firmamentum veritatis*. Item Apostolis, & Episcopis dicitur *Act.* 20. *v.* 28. *Vos Spiritus Sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei.* Se-

Secundò, dùm Christus Petrum alloquebatur, restat ostendere, Christum allocutum fuisse solum Petrum, & non potiùs in Petro totam Ecclesiam, cujus Personam gerebat Petrus, & consequenter infallibilitatem in judicando immediatè esse in Ecclesiâ, mediatè verò in Summo Pontifice. Vid. D. Aug. *ser.* 85. *aliàs* 53. *de Verb. Dom.*

Respondeo ad primam instantiam, aliter dici fundamentum ædificii Ecclesiastici Petrum, aliter Apostolos ceteros. Hi enim sunt fundamentum ratione doctrinę, & prædicationis. Petrus autem est fundamentum nedùm ratione doctrinæ, quam sicut cæteri prædicavit, sed ratione jurisdictionis ordinariæ, quam loco Christi lapidis angularis, & fundamenti primarii, exercet in Ecclesiâ, eam gubernando, & in doctrinâ Apostolorum, & Prophetarum fratres continendo, & confirmando. Et quidem, si non obstante, quòd cæteri Apostoli fundamenta vocentur non minùs, ac Petrus, adhuc subsistit in Petro singularis prærogativa Primatus, non solùm ordinis, sed jurisdictionis, ut auctores Catholici, cum quibus hic agimus, admittunt; cur non subsistet etiam specialis prerogativa infallibilitatis? Ecclesia dicitur columna, & firmamentum veritatis. Fateor. Sed qui, insurgente in eâ aliquo errore contra fidem, eam continet in veritate, Petrus est, & qui Petro succedit. Item Spiritus Sanctus posuit Apostolos regere Ecclesiam Dei: non singulis tribuendo auctoritatem Supremi Capitis in Ecclesiam Universalem, aliàs rueret in Petro dignitas Supremi Capitis, & Pastoris, quam adversarii supponunt: sed singulos posuit regere Ecclesias particulares, quas ut Episcopi fundabant; vel si sermo sit de totâ Ecclesiâ: posuit eos regere auctoritate extraordinariâ, quam singuli ut Apostoli habebant ad effundendum Evangelium per Orbem universum, non ad eam gubernandam tanquam Caput jurisdictionis. Audiendus est Cyprianus lib. de unit. Eccl. *Super illum unum ædificat Ecclesiam suam, & illi pascendas mandat oves suas; & quamvis Apostolis omnibus post resurrectionem suam parem potestatem tribuat, & dicat: sicut misit me Pater, & ego mitto vos, accipite Spiritum Sanctum: si cui remiseritis peccata remittuntur illi: si cui tenueritis, tenebuntur: tamen, ut unitatem manifestaret, unam Cathedram constituit, & unitatis ejusmodi originem ab uno incipientem suâ auctoritate disposuit: Hoc erant utique & cæteri Apostoli, quod fuit Petrus, pari consortio prædìti, & honoris, & potestatis, sed exordium ab unitate proficiscitur. Primatus Petro datur, ut una Christi Ecclesia, & Cathedra una monstretur: & Pastores sunt omnes, sed grex unus ostenditur, qui ab Apostolis omnibus unanimi consensione pascatur.* Audiendus etiam est D. Hieronymus *lib.* 1. *advers. Jovin. At dicis* (inquit) *super Petrum fundatur Ecclesia, licèt idipsum in alio loco super Apostolos omnes fiat, & cuncti Claves Regni Cælorum accipiant: & ex æquo super eos Ecclesiæ fortitudo solidetur: tamen propterea inter duodecim unus eligitur: ut Capite constituto, schismatis tollatur occasio.* Testibus ergo istis Patribus apparet differentia inter Petrum & cæteros Apostolos. Quamvis argumentum ex Apostolis nec contrariis faveat, nam si Episcopos cum Apostolis comparemus, cùm isti infallibiles essent in docendo, nedùm simul congregati, sed etiam sigillatim sumti, dicere tenerentur, non solùm Episcopos conciliariter congregatos esse infallibiles, sed unumquemque illorum. Dicendum igitur est, infallibilitatem in multitudine ab unitate proficisci, ut statuit Christus; non autem infallibilitatem in uno originem trahere à multitudine.

Ad secundam instantiam, dato, quod supponit arguens, & videtur esse mens D. August. loco citato: dist. antec.: cujus Personam gerebat tanquam Caput, quod designabatur ad eam regendam, conc. anteced., aliter nego. Erat ergo tunc Petrus gerens Personam Ecclesiæ, vel significans Ecclesiam, sive Populum Christianum, ut dicit D. August. loco citato; sed in Petro significabatur etiam unitas Ecclesiæ; unde D. Augustinus ibi *unus* (inquit) *pro multis dedit responsum, unitas in multis*; & infra, Petrus (inquit) *Ecclesiæ figuram portans, Apostolatus Principatum tenens &c.* Ergo Petrus significabat Ecclesiam, sicut Rex

ge-

gerit figuram Regni, quod regit, sicut Princeps ditionis sibi commissæ, sicut unus, ad quem multitudo debet referri. Cùm ergo causæ Regni, Ditionis, Populi, multitudinis debeant referri ultimatè, non ad multitudinem, sed ad unitatem, non ad Comitia, sed ad Regem, ad Principem, cujus judicio standum sit; ideo causæ fidei, ad Petrum, ejusque Successores ultimatè referendæ sunt. Unde Sanctus Augustinus *Dub. præced.* § 5. relatus *serm.* 131. *cap.* 10., alias *serm.* 2. *de Verb. Apost.* de causâ Pelagii agens: *Jam enim* [inquit] *de hâc causa duo Concilia missa sunt ad Sedem Apostolicam; inde etiam rescripta venerunt. Causa finita est.* Si finita causa est ex rescripto Sedis Apostolicæ; ergo ejus judicium infallibile est. Recolantur jam dicta supra de Auctoritate Summi Pontificis confirmandi Concilia etiam Oecumenica. Nam si Pontifex acciperet infallibilitatem à Conciliis, & acceptatione Ecclesiæ, acta Concilii non deberent confirmari à Pontifice, sed potiùs definitiones Pontificis deberent à Concilio confirmari.

Supersedeo à referendis auctoritatibus PP., Pontificum, Conciliorum, in infallibilitatem Summi Pontificis conspirantium; has enim studiosus adire poterit apud Doctores, & nos earum multas referemus, agentes de Summi Pontificis Primatu.

VIII. Omnia hactenus dicta paucis comprehendit D. Thom. 2. 2. *qu.* 1. *ar.* 10. *in corp.* his verbis: *Ad illius ergo auctoritatem pertinet editio symboli, ad cujus auctoritatem pertinet finaliter determinare ea, quæ sunt fidei, ut ab omnibus inconcussâ fide teneantur. Hoc autem pertinet ad auctoritatem Summi Pontificis, ad quem majores, & difficiliores Ecclesiæ quæstiones referuntur, ut dicitur in decretalibus extra de Baptismo c. Majores. Unde & Dominus, Lucæ 22., Petro dixit, quem Summum Pontificem constituit:* Ego pro te rogavi, Petre, ut non deficiat fides tua, & tu aliquando conversus confirma fratres tuos. *Et hujus ratio est, quia una fides debet esse totius Ecclesiæ, secundùm illud, 1. Cor. 1.* Idipsum dicatis omnes, & non sint in vobis schismata. *Quod servari non posset, nisi quæstio fidei exorta determinetur per eum, qui toti Ecclesiæ præest, ut sic ejus sententia à totâ Ecclesiâ firmiter teneatur. Et ideò ad solam auctoritatem Summi Pontificis pertinet nova editio symboli, sicut & omnia alia, quæ pertinent ad totam Ecclesiam, ut congregare Synodum generalem, & alia hujusmodi.*

Et ibidem ad secundum argumentum, quo intendebat probare, non esse sub alicujus hominis potestate novam symboli editionem condere, quia in Synodo Ephesinâ *p.* 2. *ar.* 6. *in decr. de fide*, nova editio symboli interdicitur sub anathemate, quod reiteratur in Synodo Chalcedonensi *part.* 2. *art.* 5. *sub fine.* Respondet *: dicendum, quòd prohibitio, & sententia Synodi se extendit ad privatas Personas, quarum non est determinare de fide. Non enim per hujusmodi sententiam Synodi Generalis ablata est potestas sequenti Synodo, novam editionem symboli facere, non quidem aliam fidem continentem, sed eandem magis expositam. Sic enim qualibet Synodus observavit, ut sequens Synodus aliquid exponeret supra id, quod præcedens Synodus exposuerat, propter necessitatem alicujus hæresis insurgentis, Unde pertinet ad Summum Pontificem, cujus auctoritate Synodus congregatur, & ejus sententiâ confirmatur.* Hæc D. Thomas. Videndi Porrecta, & Cajetanus *super hunc articul.*, & insuper Commentatores. Videndus quoque D. Thomas *qu.* 10. *de pot. artic.* 4. *ad* 13., ubi ostendit, particulam *filioque* justè additam fuisse symbolo, quia id factum auctoritate Ecclesiæ, & maximè Romani Pontificis, cujos auctoritas sola sufficit; nec est necessarium, Universale Concilium ad symboli expositionem faciendam convocare.

IX. Tandem ex antiquâ Ecclesiæ praxi constat, plures doctrinas, ut hæreses fuisse declaratas, & damnatas à solo Summo Pontifice, nullo coacto Generali Concilio, & tanquam hæreses à totâ Ecclesiâ fuisse habitas. Quodnam enim Concilium Generale Pelagianos damnavit, ut pro Hæreticis haberentur? Quodnam condemnavit Novatianos, qui jam tempore Cypriani inter hæreticos censebantur? Concilium Nicænum omnium Oecumeni-

menicorum primum 125. annis præcesserunt Appellitæ, Valentiniani, & Marcionitæ, qui ab Ecclesiâ, ut hæretici habiti sunt; quodnam quæso Generale Concilium celebratum fuit, ut tanquam hæretici à totâ Ecclesiâ haberentur? Romanus Pontifex sine Concilio Generali hæreses Prisci llliani, Joviniani, Vigilantii damnavit, & ut hæreticos Catholicâ Ecclesiâ statim rejecit. Si ergo priorum seculorum hæreses solus Romanus Pontifex judicavit, ejusque judicio tanquam infallibili tota Ecclesia absque ullâ cunctatione paruit: Cur non modo? audiatur quàm magnificè de Cœlestino Romano Pontifice loquatur Sanct. Prosper *lib. contr. Collatorem* cap. 21. *Unde, & venerabilis memoriæ Pontifex Cœlestinus, cui ad Catholicæ Ecclesiæ præsidium multa Dominus gratiæ suæ dona elargitus est, sciens, damnatis non examen judicii, sed solum pœnitentiæ remedium esse præstandum; Cœlestium, quasi non discusso negotio, audientiam postulantem, totiùs Italiæ finibus jussit extrudi: adeò, & Prædecessorum suorum statuta, & decreta synodalia inviolabiliter servanda censebat, ut quod semel meruerat abscindi, nequaquam admitteret retractari. Nec verò segniore curâ ab hoc eodem morbo Britannias liberavit, quando quosdam inimicos gratiæ, solum suæ originis occupantes, etiam ab illo secreto exclusit Oceani, & ordinato Scotis Episcopo* (scilicet Palladio) *dùm Romanam insulam studet servare Catholicam, fecit etiam Barbaram Christianam. Per hunc virum etiam Orientales Ecclesiæ geminâ peste purgatæ sunt, quando Cirillo Alexandrinæ Urbis Antistiti, gloriosissimo Fidei Catholicæ Defensori, ad exsecandam Nestorianam impietatem, Apostolico auxiliatus est gladio: quo etiam Pelagiani, dùm cognitis confœderantur erroribus, iterùm prosternerentur &c.* Ecce igitur Cœlestinum Romanum Pontificem proscribentem eos, qui damnati ab Apostolicâ Sede petebant, causam ab ipso judicatam iterùm in examen vocari, & hoc sequendo Prædecessorum suorum statuta, & rursùs damnantem hæreses etiam in Orientali Ecclesiâ. Et infra: cùm Pelagiana hæresis subdolè adhuc pullulare tentaret, ait: *Quod ne hypocritarum obtineatur insidiis, confidimus, Domini protectione præstandum, ut, quod operatus est in Innocentio, Zozimo, Bonifacio, Cœlestino, operetur in Xisto, & in custodiâ Dominici gregis, hæc sit pars gloriæ huic reservata Pastori, ut, sicut illi lupos abegere manifestos, ità hic depellat occultos.* Vides, qualis esset quarto seculo Ecclesiæ consuetudo? à Romanis Pontificibus judicio irretractabili hæreses damnabantur.

Meritò igitur Conventus *Episcoporum Galliæ* factus Parisiis 15. Julii anno 1653. in epistolâ (quam refert Dominicus à SS. Trinitate. Biblioth. Theol. *art.* 3. *sect.* 4. *c.* 16.) Innocentium X. sic affatur. *Hujus doctrinæ lucem...... pristino decori restituit, juxta veterem fidei regulam..... Prolatum à sanctitate vestra, postulantibus quampluribus Galliarum Episcopis, decretum, de quo in negotio illud observatione dignum accidit, ut quemadmodum ad Episcoporum Africæ relationem, Innocentius I. Pelagianam hæresim damnavit olim, sic ad Gallicanorum Episcoporum consultationem, hæresim ex adverso Pelagianæ oppositam Innocentius X. auctoritate sua proscripserit. Enim verò vetusta illius ætatis Ecclesia Catholica, Cathedræ Petri communione, & auctoritate fulta, quæ in decretali epistolâ Innocentii ad Africanos datâ elucebat, quamque dein Zozimi altera ad Universos Orbis Episcopos subsecuta est, Pelagianæ hæresis damnationi absque cunctatione subscripsit. Perspectum enim habebat, non solùm ex Christi Domini pollicitatione Petro facta, sed etiam ex actis priorum Pontificum, & ex anathematismis adversùs Appollinarium, & Macedonium, nondùm ab ullâ Synodo OEcumenicâ damnatos, à Damaso paulò antea jactis, judicia pro sancienda regula fidei à Summis Pontificibus lata, super Episcoporum consultatione (sive suam in actis relationis sententiam ponant, sive omittant, pro ut illis collibuerit) divinâ æquè, ac summâ per universam Ecclesiam auctoritate niti; cui Christiani omnes ex officio ipsius quoque mentis obsequia præstare teneantur. Et nos quoque sententiâ, ac fide imbuti, Romanæ Ecclesiæ præsentem, quæ in Summo Pontifice*

Innocentio X. viget, auctoritatem debitâ observantiâ colentes, Constitutionem divini numinis instinctu à Beatidine vestra conditam, nobisque traditam ab Illustrissimo Athenarum Archiepiscopo, Nuncio Apostolico, promulgandam curabimus in Ecclesiis, ac Diœcesibus nostris, atque illius executionem apud fideles populos urgebimus. Hæc Gallicani Episcopi: quæ sigillatim ponderanda sunt.

Comparant ergo primò Innocentium X. Innocentio I., ajuntque, quòd sicut ad relationem Africanæ Ecclesiæ Episcoporum Innocentius I. hæresim Pelagianam auctoritate Apostolicâ damnavit; ità Innocentius X., postulantibus compluribus Galliarum Episcopis, hæresim oppositam, scilicet Jansenianam, auctoritate suâ proscripsit.

Secundò ajunt, utrique Innocentio Africanos respectivè, & Gallicanos paruisse, memores à vetustâ ætate, idest semper, hoc Privilegium Romanam Sedem habuisse, ut suâ auctoritate, nullo expectato Concilio OEcumenico, hæreses profligaret, ejusque judicio mens omnium captivaretur fidelium: & hoc perspectum haberi, non solùm ex pollicitatione factâ Petro à Christo *Lucæ 22. Ego rogavi pro te &c. confirma fratres tuos &c.*: sed etiam, quia priores Pontifices, nullo prævio OEcumenico Concilio, suâ auctoritate hæreticos damnarunt, ut Damasus Apollinarium, & Macedonium.

Tertiò fatentur, judicium Summi Pontificis esse indeclinabile, quia divinâ æque, ac summâ per universam Ecclesiam auctoritate nititur.

Quartò asserunt, ejus auctoritati Christianos omnes ex officio ipsius quoque mentis obsequia præstare teneri. Quare Clerus Gallicanus non petit, Jansenianas propositiones auctoritate Concilii Generalis iterùm examinari, & condemnari, sed ex quo Pontificiâ damnatio *Divini*, ut ajunt, *Numinis* instinctu ad ipsos pervenit, pollicentur, se ejus decisionem apud fideles sibi commissos promulgaturos, executionem promoturos: & tandem concludunt, absque ullâ conditione, violatores, & contumaces statis pœnis per Episcopos, Regis Christianissimi præsidio, fore puniendos. Hic placuit aliquantulum immorari, ut noverit studiosus, contrariam sententiam non à totâ Gallicanâ Ecclesiâ esse adoptatam, ut quidam vel decepti, vel decipere volentes, in vulgus spargunt.

§. III.

Referuntur contraria motiva, & solvuntur.

X. Afferam ea præsertim, quæ opponit Dupin in suis de antiquâ Ecclesiæ disciplinâ dissertationibus, *dissertat. 5. cap. 1.*

Primò ergo sic arguit. *Galat. 2. v. 14.* Petrus à Paulo reprehensibilis fuisse perhibetur, & accusatur, quòd non rectè ad Evangelii veritatem ambularet, quòdque Gentes auctoritate suâ ad judaizandum impelleret. Si potuit ergo Petrus adversùs veritatis regulam, quam Ecclesia postea secuta est, cogere Gentes ad judaizandum; Cur non poterunt Petri successores contrà veritatis regulam aliquid, aut docere, aut præscribere?

Hinc D. Augustin. *lib. 2. de Baptismo cap. 1.* ex hoc facto Petri infert: *quantò faciliùs, & fortiùs, quod per universa Ecclesia statuta firmatum est, vel unius Episcopi auctoritati, vel unius Provincia Concilio praferendum est!*

Ante Augustinum verò Cyprianus idem ex hoc Pauli erga Petrum facto intulit *in epist. ad Quintum* concludens, quòd si Petrus, *super quem Christus ædificavit Ecclesiam, cùm secum Paulus de Circumcisione postmodum disceptaret, non sibi aliquid insolenter, aut arroganter adsumsit, ut diceret, se Primatum tenere, & obtemperari à novellis, & posteris sibi potiùs oportere, sed consilium veritatis admisit, & rationi legitima, quam Paulus vindicabat, facilè consensit, ut non pertinaciter nostra amemus, sed quæ aliquando à Fratribus, & Collegis nostris utiliter, & salubriter suggeruntur, si sint vera, & legitima, nostra potiùs ducamus.* Ex quibus conficitur, exemplo Petri doceri, Episcopos omnes in errorem prolabi posse, & ab aliis emendari.

Id

Id verò ad Romanos etiam Pontifices petrinere, docet Pelagius secundus *in ep. ad Istria Episcopos*, ubi ex Petri facto excusandos dicit esse Vigilium, & Prędecessores suos in causâ trium Capitulorum, si affirmarunt postea, quod antea improbaverant.

Primò retorqueo argumentum: si ex facto Petri, ut exposito ab arguente, Romanus Pontifex æquè fallibilis est, ac quilibet alius Episcopus; Cur Gallicani Episcopi ad Innocentium X. recurrerunt, ut suum de propositionibus Jansenianis judicium definitivum pronunciaret, ad eum ità scribentes: *Majores causas ad Sedem Apostolicam referre solemnis Ecclesiæ mos est, quem fides Petri nunquàm deficiens perpetuò retineri pro jure suo postulat. Æquissimæ huic legi obsequentes &c.*? Cur rogant, *ut quid in hâc re sentiendum sit, clarè, distinctèque definiat?* Cur subdunt: *Experta est nuper Beatitudo tua, quantum Apostolicæ Sedis in gemini Ecclesiæ Capitis errore profligando valuerit auctoritas: continuò sedata est tempestas, atque ad Christi vocem, & imperium venti, & mare obedierunt. Quamobrem flagitamus, Beatissime Pater, ut clarâ, firmâque de propositionum istarum prolatâ sententiâ, cui reverendus ipse Jansenius morti proximus opus suum subjecit, caliginem omnem discutias, animos fluctuantes componas, dissidia prohibeas, Ecclesiæ tranquillitatem, splendoremque restituas*? Cur demùm prolatam ab Innocentio sententiam, tanquam Divino Numine inspiratam, latis ulnis suscipiunt, venerantur que, ut in responsis ad Innocentium datis, ac supra relatis, clarè patet?

Rursùs. Si Petrus adeò turpiter in fide erravit, ut fingit arguens, ubinam in fide indefectibilitas, ubinam constantia illi à Christo impetrata ad confirmandos in fide fratres; & quare Gallicani Episcopi in litteris superiùs allatis hanc Christi pollicitationem Petro factam extollunt, si effectu suo frustrata fuit?

Tertiò. Jam ergo nedùm Generale Concilium, sed, & quilibet Episcopus poterit sententiam Papæ docentis Ecclesiam reprehendere, utpote non secundùm veritatem Evangelii prolatam, sicut Paulus reprehendit, & restitit Petro. Quid ad hæc Dupin?

Ad rem ergo veniens, mitto quorumdam opinionem volentium, Cæpham à D. Paulo reprehensum, non fuisse D. Petrum, sed alium diversum; quæ à Bellarmino, Clementi Alexandrino tribuitur. Mitto etiam opinionem S. Hieronymi, & aliorum dicentium, S. Petrum non verè fuisse à Paulo reprehensum, sed tantùm simulatoriè, & ex condicto; de quo acerrima fuit disceptatio inter S. Augustinum, & Hieronymum. De hoc legitur Hieronymi *epistol. ad Augustinum*, inter Sancti Augustini *epist.* 75., aliàs 11., & *epistola* S. Augustini ad Hieronym. 82., aliàs 19. Tandem S. Hieronymus in S. Augustini sententiam concessit, ut testatur S. Augustin. *ep.* 260., modò 180. *ad Oceanum*, & retractatio extat *lib.* 1. *Dialogorum adv. Pelagianos c.* 8.

Respondeo ergo, Cæpham à Sancto Paulo reprehensum, fuisse reverâ S. Petrum Apostolorum Principem; non fuisse reprehensum simulatoriè, sed verè; fraternâ tamen, non juridicâ reprehensione: non de errore capitis, & doctrinæ, sed personæ, & conversationis. Eadem enim Petri doctrina erat, & Pauli, Circumcisionem scilicet, aliasque cæremonias legis nullius esse momenti ad justificationem, & salutem, Quod Petrus ipse jam decreverat in Concilio Hierosolymitano *actor.* 15. Verùm in conversatione errabat. Petrus enim apud Judæos Judaicè vivere poterat, & debebat, ne ipsi offenderentur; nondùm enim legalia esto mortua, evaserant mortifera; sed non ideo debebat subtrahere se à mensa Gentilium, quam prius frequentabat: hoc enim perturbationis, & scandali occasio erat ipsis Gentilibus, quibus posterius hoc factum Sancti Petri retractatio, & emendatio videbatur, ac animata quædam prædicatio, quà docebatur, legem esse servandam. Judæi autem ex hoc, quòd Petrum vidissent cum Gentilibus edentem immeritò offensi fuissent, scandalumque passivum dumtaxat ex illorum parte, non activum ex parte Petri fuisset, quia jugum legis non debere Gentibus imponi, & desinere legalium ob-

observantiarum umbras, affulgente veritatis Evangelicæ luce, palam Apostoli prædicabant; Imò Petrus ipse in Concilio Hierosolymitano decreverat, ut dictum est. Reprehensus ergo fuit, non errore doctrinæ, quasi doceret Ecclesiam doctrinam Evangelio contrariam, sed errore personæ, & conversationis, quia nimiùm imprudenter, & nimiùm condescendendo infirmitati Judæorum, scandalo fiebat Gentibus, quæ exemplo suo inducebantur ad judaizandum, licèt ejus intentio talis non esset. Unde observo, D. Paulum citato loco, ubi ait, D. Petrum reprehensibilem fuisse, non dicere *quod non rectè doceret* ad veritatem Evangelii, sed quòd non *rectè ambularet*, quod apertè indicat, fuisse errorem imprudentis conversationis, non verò doctrinæ, & prædicationis. Ità ex Natali Alexandr. tùm in *Comment. ad cap. 2. ad Galat.*, tùm *histor. Eccles. secul. 1. dissert. 11.*, qui tamen unus est ex Academiæ Parisiensis Doctoribus.

XI. Ità respondet Tertullianus *lib. 5. contr. Marcionem cap. 3.* ubi de S. Paulo hæc habet: *sed reprehendit Petrum, non recto pede incedentem ad Evangelii veritatem. Planè reprehendit; non ob aliud tamen, quàm ob inconstantiam victus, quem pro personarum qualitate variabat, timens eos, qui erant ex circumcisione; non ob aliquam divinitatis perversitatem, de qua & aliis in faciem restitisset, qui de minori causa conversationis ambigua Petro ipsi non pepercit.* Et *lib. de præscript. Hæreticorum* cap. 23. *Cæterum* [inquit] *si reprehensus est Petrus, quòd, cùm convixisset Ethnicis, postea se à contactu eorum separabat, personarum respectu; utique conversationis fuit vitium, non prædicationis.*

Ità respondet Sanctus Cyrillus Alexandrinus *lib. 9. in fine contra Julianum* similiter opponentem. *Ad hæc*, inquit, *audax ille, & confidens Petrum Apostolorum præcipuum cavillatur, & hypocritam esse dicit, atque à Paulo reprehensum, quòd modò Græcorum, modo Judæorum ritu vivere vellet, ignorans planè singularem in his consiliis rationem. Non enim diversa sentiebat ille discipulus, sed congrua moderatione tempestivè utens, omni ratione prodesse iis studebat, qui ad se venirent. Quàm autem unis ritibus addictus esset Beatus Paulus, aggressus commonefecit. Metuebat enim, ne propositum lateret, & ille dispensandi modus nonnullos offenderet.*

Ità respondet S. Thomas tùm *in c. 2. ad Galat. lect. 3.*, tùm *1. 2. q. 103. art. 4. ad 2.*, ubi ait: *Non autem peccavit Petrus in hoc, quòd ad tempus legalia observabat; quia hoc sibi licebat, tanquam ex Judæis converso: sed peccabat in hoc, quòd circa legalium observantiam nimiam diligentiam adhibebat, ne scandalizaret Judæos; ità, quòd ex hoc sequeretur Gentilium scandalum.* Concordant ergo omnes, quòd error D. Petri, de quo fuit à Divo Paulo reprehensus, fuit, non error in doctrinâ, & prædicatione, sed in conversatione. Ergo extra chorum canit Dupin; neque enim nos abnuimus, Papam esse defectibilem in conversatione, sed esse defectibilem in doctrinâ, seù posse Ecclesiam docere aliquid contra Verbum Dei, & sic errare.

XII. Neque contrarius est Sanctus Augustinus, cujus votum, pro Romani Pontificis infallibilitate in definiendo, supra retulimus. Comparat enim utriusque scilicet Petri, & Cypriani modestiam, quòd sicut Petrus passus est, se corrigi à Paulo, ità Cyprianus paratus fuit, se corrigi ab iis, qui diversa sentirent; & hoc probat ex ipsismet Concilii Cyprianici verbis. Non tamen comparat in hoc, quòd sicut Cypriani error de rebaptizandis hæreticis fuit error in doctrinâ, ità in doctrinâ fuerit error Petri; non enim Petrus cogebat Gentiles circumcidi, docendo hoc fieri debere, sed quia cùm oppositum sentiret, sic tamen conversabatur cum Gentilibus abstinens ab eorum mensis, ut isti exemplo suo inducerentur ad judaizandum. Cùm verò ait: quod per universæ Ecclesiæ statuta firmatum est, vel unius Episcopi auctoritati, vel unius Provinciæ Concilio præferendum est: al'udit ad Episcopum Cyprianum, & ad Concilium Africanæ Provinciæ ab ipso coactum, quibus certè prævalet auctoritas universæ Ecclesiæ, quæ auctoritas tamen sine Romano Pontifice, qui universæ Ecclesiæ Caput est, firmitatem ha-

habere non potest. Quod verò nomine unius Episcopi, nec ejus Successores includat Augustinus, indicat ipse citato loco; postquam enim Cyprianum Petro comparavit, sese corrigens ait. *Caterum magis vereri debeo, ne in Petrum contumeliosus existam. Quis enim nescit, illum Apostolatus principatum cuilibet Episcopatui praferendum? sed etsi distat cathedrarum gratia, una est tamen Martyrum gloria.* Hæc Augustinus.

Quoad Ciprianum autem, puto, Dupin ejus mentem non fuisse assecutum. Sanctus enim Martyr adducit ibi exemplum D. Petri, qui licèt primatum haberet, tamen à Paulo passus est corrigi, non ut hinc inferat, Episcopos omnes, nullo excepto, in errores prolabi posse; sed D. Petrum adducit in exemplum humilitatis, & moderationis, illius facto cæteros collegas suos ad concordiam invitans; ut quemadmodum ipse, quàm primus esset, non tamen primatum insolenter jactavit: sic, nec ipsi suam sententiam ità mordicùs tenerent, ut alios præ se contemnerent. Et certè (ut advertit Pamelius) de Stephano Papâ illi non erat sermo, quia nondùm de rebaptizandis hæreticis ad illum scripserat, sed dùm res adhuc tractaretur in Africâ inter suos. Addo, quòd si adhuc velit Dupin, D. Petrum hùc trahi in exemplum erroris, dicam, trahi in exemplum erroris, non doctrinæ, sed conversationis. Cæterum si meliùs perpendisset arguens, à Cypriano abstinuisset. Dùm enim & Cyprianus, & Concilium esset in errore rebaptizandi hæreticos, quis hunc errorem repressit, nisi Stephanus Papa? ergo hinc argumentum infallibilitatis potiùs, quàm fallibilitatis eruitur.

De Pelagio II., qui loquitur maximè de Vigilio ejus precessore, qui in causâ trium capitulorum, nimirùm Theodori Mopsvesteni, Theodoreti, & Ibæ Edessenæ quondam Civitatis Episcopi, varium sese ostendit, cùm priùs eos damnare recusasset, & postea in eorum damnationem consenserit. Respondeo primò, nihil esse ad rem: disceptatio enim illa erat, non de fide, sed de solis personis, & de facto, sicut ea, quæ inter D. Petrum, & D. Paulum versabatur: ideòque benè potuit cum Petro mutare sententiam Vigilius, absque præjudicio infallibilitatis suæ Sedis, quia hanc nos statuimus, non in rebus puri facti, sed in rebus fidei, & dogmatis. Sicut enim Petrus, & Paulus conveniebant in fide, nimirùm, circumcisionem, & cętera legalia non esse ampliùs necessaria ad salutem, & solùm dissidebant, an essent adhuc observanda, Petro affirmante, negante Paulo; ità Vigilius cum Orientalibus conveniebat ab initio in doctrinâ trium capitulorum rejiciendâ, solùmque ab iis dessidebat circa damnationem Auctorum trium Capitulorum, quod cùm ab initio obscurum, procedente autem tempore compertum evasisset: ideò Vigilius, & Occidentales, qui priùs repugnaverant, in damnationem postea consenserunt; & hoc est, quod dicit Pelagius: *aliud cùm veritas quæreretur, aliud autem inventâ veritate dictum est: cur mutatio sententiæ huic sedi in crimine objicitur, quæ à cunctâ Ecclesiâ in ejus auctore veneratur?* Neque enim Judici vitio verti debet, si variato rerum statu, magisque cognitâ veritate sententiam mutat. Hoc in casu præsenti ex hoc processisse scribit Pelagius, *Latini quippe homines, & græcitatis ignari, dùm linguam nesciunt, errorem tardè cognoverunt: & tantò eis celeriùs, credi debuit, quantò eorum constantia, quousque verum cognoscerent, à certamine non quievit. Quorum consensum certè fraternitas vestra despiceret, si ausu pracipiti, priusquàm verum cognoscerent, consensissent.* Hæc Pelagius, & meritò. Cùm enim scirent, Theodorum, Theodoretum, & Ibam, eorumque scripta fuisse in Concilio Chalcedonensi admissa, non debebat Vigilius statim in eorum damnationem consentire, nisi priùs exploratâ veritate, ne videretur damnare ea, quæ in Concilio Chalcedonensi gesta fuerant. Videatur Epistola citata Pelagii II., quę est tertia, & insuper prima, & secunda ad eosdem Istriæ Episcopos, ubi fidem Cathedræ Apostolicæ illibatam strenuè defendit.

XIII. Objicit secundò. Apud antiquam Ecclesiam ignotum fuit per decem, & am-

& ampliùs fecula hoc non errandi Privilegium, quod Romano tribuitur Episcopo. Non pauca etiam de fide olim lati sunt Judicia, inconfulto Romano Pontifice, nec habitus ille fuit, ut Supremus controverfiarum Judex. Sed fæpe fæpiùs judicia ab ipso lata, in Conciliis præfertim OEcumenicis, iterùm examinata, ac retractata funt. Ex quibus fic difcurrit. Si extra controverfiam tunc fuiffet Romani Pontificis infallibilitas, cæteri Epifcopi nequaquam judicaffent, abfque illius confenfu, & auctoritate, aut aliquid ab ipfo judicatum retractaffent; fed oppofitum contingit; ergo &c.

Refpondeo, debuiffe probari à Dupin, per decem, & ampliùs fecula ignotam fuiffe Romani Pontificis infallibilitatem, ficut noftri probant oppofitum, inter quos Dominicus à SS. Trinitate *Biblioth. Theologica lib. 3. fect. 4. c. 16.* percurrens per omnia fecula, id oftendit; & quidem primo feculo id probat adventus S. Petri Romam, ad debellandum Simonem Magum, & hærefiarcham; unde refert Eufebius *lib. 2. hift. c. 16. benigna, & clementiffima Dei Providentia fortiffimum, & maximum inter Apoftolos Petrum, & virtutis merito reliquorum omnium Principem, ac Patronum, Romam, adversùm illam generis humani labem, ac peftem perducit.* Primum ergo hæreticorum Simonem, jam in Judæa à Petro prædamnatum, tandem Romæ ab eodem Petro *primo Apoftolorum* contundi decuit, ut in Petro, ejufque Romana Sede ad hærefes profligandas fummum jus pofteri agnofcerent. Hinc fecundo feculo Irenæus *lib. 3. adverf. hærefes c. 3. Ad hanc enim Ecclefiam* (Romanam) *propter potiorem principalitatem neceffe eft, omnem convenire Ecclefiam, hoc eft eos, qui funt undique fideles, in qua femper ab his, qui funt undique, confervata eft ea, quæ eft ab Apoftolis traditio.* Pergit infuper. Cum fub Clemente Petri fucceffore exorta fuiffet inter Corinthios diffenfio non modica, *fcripfit, quæ eft Romæ, Ecclefia potentiffimas litteras Corinthiis, ad pacem eos congregans, & reparans fidem eorum, & annuncians, quam in recenti ab Apoftolis acceperat, traditionem.* Inde formato Catalogo Epifcoporum Romæ, ufque ad Eleutherium, *hâc ordinatione* (inquit) *& fucceffione, ea, quæ eft ab Apoftolis in Ecclefiâ traditio, & veritatis præconatio pervenit ufque ad nos. Et eft pleniffima hæc oftenfio, unam eamdem vivificatricem fidem effe, quæ in Ecclefia ab Apoftolis ufque nunc fit confervata, & tradita in veritate.* Quare, quia Afiatici Quartodecimani eodem feculo traditioni Ecclefiæ Romanæ contrarii erant, Victor tunc Epifcopus Romanus voluit eos excommunicare, & Sanctus Irenæus, efto eum deterruerit, ne pax rumperetur, auctoritatem tamen in Victore non negavit. Et Victoris fententia in Concilio Nicæno I. comprobata fuit.

Tertio quoque feculo Stephanus martyr Papa reftitit Cypriano, aliifque rebaptizantibus hæreticos, & fententia Stephani fuit fententia Ecclefiæ. *Cùm ergo undique ad novitatem rei cuncti reclamarent* (ait Lirinenfis *Commonitor. 1. c. 6.*), *atque omnes quaquaverfùm Sacerdotes, pro fuo quifque ftudio reniterentur; Tunc beatæ memoriæ Papa Stephanus, Apoftolicæ Sedis Antiftes, cum cæteris quidem collegis fuis, fed tamen præ cæteris reftitit, dignum, ut opinor, exiftimans, fi reliquos omnes tantum fidei devotione vinceret, quantum loci auctoritate fuperabat. Denique in epiftolâ, quæ tunc ad Africam miffa eft, his verbis fanxit: nihil innovandum, nifi quod traditum eft &c.*; exponens deinde quid poft Stephani fententiam evenerit: *Quid poftremò*, inquit, *ipfius Africani Concilii, feù decreti, quæ vires? Donante Deo, nullæ; fed univerfa tamquam fomnia, tanquam fabulæ, tanquam fuperflua, abolita, antiquata, calcata funt. Et ò rerum mira converfio! Auctores ejufdem opinionis, Catholici, confectatores verò, hæretici judicahtur.* Ità Vincentiùs.

XIV. Nimius effem, fi vellem fingula percurrere fecula, infallibilitatem Romani Pontificis in docendo Ecclefiam adteftantia; de quo videri poteft laudatus Domin. à SS. Trinitate. Unum, vel alterum ex Conciliis proferam teftimonium. Primum fit ex Concilio Ephefino, anno 431., in quo acta eft caufa unius Perfonæ in Chri-

Christo contra Nestorium: ibi enim lectis Cælestini litteris *act.* 2. Patres publicâ acclamatione eum appellant novum Paulum, custodem fidei; & Firmus Cæsareæ Episcopus dixit, Cælestinum sententiam, regulamque præscripsisse, quam Synodus secuta est. Secundum fit ex Concilio Chalcedonensi, in quo duplex natura in Christo anno 451. contrà Eutichem statuta est; lectâ enim *act.* 2. epistolâ synodicâ S. Leonis, clamaverunt Patres. *Hae Patrum fides: omnes itâ credimus, orthodoxi itâ credunt. Anathema ei, qui itâ non credit. Petrus per Leonem itâ locutus est. Apostoli itâ docuerunt. Piè, & verè Leo docuit... hae in Epheso cur lecta non sunt? hac Dioscorus occultavit.* Et infra: *nos itâ credimus, sicut Leo, itâ credimus: nostrum nullus dubitat: nos jam subscripsimus.* Quare *act.* 3., petente Concilio, Legati S. Leonis sententiam contra Dioscorum pronunciaverunt his verbis: *Sanctissimus, & Beatissimus Archiepiscopus magnæ, & senioris Romæ Leo, per nos, & per præsentem Sanctum Synodum una cum ter beatissimo, & omni laude digno Beato Petro Apostolo, qui est petra, & crepido Catholicæ Ecclesiæ, & rectæ fidei fundamentum, nudavit eum tàm Episcopali dignitate, quàm & ab omni Sacerdotali alienavit ministerio &c.* Rursùs *act.* 4. Cùm Ægyptii Episcopi damnationi Eutichis subscribere detrectarent, Photius Episcopus Tyri, *consentitis* (inquit) *epistolæ beatissimi, & sanctissimi Archiepiscopi Romæ, Leonis, sicut & universalis Synodus consensit, & subscripsit?* & versâ in græcam linguam epistolâ, omnes Episcopi clamaverunt: *Qui non consentit epistolæ sanctissimi Archiepiscopi Leonis, hæreticus est*: & quia Episcopi Ægyptii dicebant, se dicere anathema Eutichi, se tamen subscribere non posse, iterum *clamaverunt, & dixerunt: subscribant epistolæ Leonis. Qui ei non subscribit: anathema sit.* Tanti ergo fecere Chalcedonenses Patres S. Leonis sententiam, ut ejus subscriptioni fidem alligarent. Quare Petrus Ravennas (Chrisologus) *epist. ad Euticben.* relatâ in Concilio Chalcedonensi parte primâ. *In omnibus* (inquit) *autem hortamur te, frater honorabilis, ut his, quæ à beatissimo Papâ Romanæ Civitatis scripta sunt, obedienter attendas; quoniam Beatus Petrus, qui in propriâ Sede vivit, & præsidet, præstat quærentibus fidei veritatem.*

Quartò. Anno 680. scripsit Agatho Papa ad Imperatores, occasione sextæ Synodi OEcumenicæ, damnans errorem Monothelitarum, atque inter alia, hæc verba: *Cujus annuente præsidio, hæc Apostolica ejus Ecclesia nunquam à viâ veritatis in quâlibet erroris parte deflexa est: cujus auctoritatem, utpote Apostolorum omnium Principis, semper omnis Catholica Christi Ecclesia, & universales Synodi, doctrinam, amplexi.* Et infra, *per quam, & probatissima Ecclesia Christi luminaria claruerunt, & sancti quidem Doctores orthodoxi venerati, atque secuti sunt. Hæretici autem falsis criminationibus, ac derogationum odiis insecuti &c.* Et infra post allegatam Christi promissionem Petro factam subdit: *Consideret itaque vestra tranquilla clementia, quoniam Dominus, & Salvator omnium, cujus fides est, qui fidem Petri non defecturam promisit, confirmare eum fratres suos admonuit; quod Apostolicos Pontifices meæ exiguitatis prædecessores confidenter fecisse semper, cunctis est agnitum.* Ecce Agathonem, indefectibiles in fide, & doctrinâ tùm Ecclesiam, tùm Romanos Pontifices asserentem. Quid ergo huic epistolæ rescripsisset Dupin? Lectis hisce litteris *actione* 8. Patres omnes Synodi responderunt, itâ esse, ut Agatho scripserat. Indò *act.* 18. sic Agathoni rescripserunt. *Itàque tibi, ut Primæ Sedis Antistiti Universalis Ecclesiæ, quid agendum sit relinquimus, stanti super firmam fidei petram, libenter acquiescentes veræ confessionis litteris à vestrâ paternâ beatitudine ad piissimum Imperatorem missis: quas, ut à summo Apostolorum vertice divinè perscriptas agnoscimus, per quas exortam nuper multiplicis erroris hæreticam sectam depulimus &c.* Hæc erat Veterum Conciliorum erga Romanos Pontifices observantia. Relinquebant illis quid agendum esset in causis fidei; eò quia notum ipsis erat, stare supra firmam Petram, sententias eorum, ut divinas agnoscebant, & consequenter ut infallibiles.

XV.

XV. Dicit Dupin. Si ità esset, nonnulli Episcopi, maximè Catholici, ab eo dissentire, nefas duxissent. Si enim judicium Victoris habitum fuisset, ut infallibile, ei non restitissent nedùm Asiatici, sed nec Irenæus, & cæteri Orbis Episcopi, qui non obstante Victoris sententiâ, in illorum communione permanserunt. Similiter Cyprianus, & Africani Præsules, nec non Dionysius, & alii Orientis Episcopi in Stephani sententiam pedibus ivissent, si eam judicassent infallibilem, nec disciplinam suam contrà ejus auctoritatem mordicùs retinuissent. Quare Sanctus Augustinus *lib. 2. de baptismo cap. 5.* dicit, eos illesâ fide, & caritate à Stephano dissensisse, quia nondùm veritas perfecta erat, necdum sublata quæstio; quod certè non dixisset, si judicium Stephani judicasset infallibile, & ultimum.

Retorqueo instantiam. Etsi Asiatici in causâ celebrationis Paschatis non iverint in sententiam Victoris, in eam tamen ivit Concilium Nicænum, quod eos damnavit, tamquam hæreticos, sub nomine *Quartodecimanorum*. Etsi Cyprianus, aliique rebaptizantes non acquieverint sententiæ Stephani, illi tamen subscripsit Concilium Plenarium, sive Nicænum fuerit, sive Arelatense, & oppositum sentientes, ut hæretici proscripti sunt: ergo judicium Victoris, & Stephani fuit infallibile; & consequenter judicium Romani Pontificis à veritate non deviat.

Respondeo ergo, nec Asiaticos restituros fuisse Victori, nec Africanos Stephano, si, ut par erat, rem considerassent, tamquam ad fidem spectantem, & animum ab omni præjudicio liberum habuissent. Cæterum cùm quæstio utraque, sive de Paschate, sive de Baptismo eis videretur non ad fidem, sed ad puram disciplinam spectans, nec aliud illis objicerent Romani Pontifices, quàm disciplinam, & usum suæ Ecclesiæ, unde Stephani decretum non aliud erat, nisi: *nihil novandum, nisi quod traditum est*: inde nimio servandæ propriæ consuetudinis, & traditionis amore ducti, quam (licèt falsò) putabant meliorem, crediderunt, se salvâ fide, & caritate posse resistere: & hoc, eò vel maximè, quia Stephanus decreto suo excommunicationem non junxerat contra oppositum tenentes, & facientes. Victor verò, etsi excommunicationem intentasset, hanc tamen suasu Irenæi suspendit. Ut probat Natalis Alexandre *hist. Eccles. secul. 2. dissert. 5. testim. Eusebii lib. 3. cap. 24. hist., Nicephori lib. 4. hist. cap. 38. & 39.* Rebaptizantes verò Stephano resistentes, esto notâ hæreseos inurendi non sint, sicut neque Asiatici, quia res nondùm declarata erat ad fidem spectans, erroris tamen labem effugere nequeunt. Videndus propterea S. Augustinus *lib. 2. de Baptismo contra Donatistas cap. 4. 5. 8., & alibi* Cyprianum excusans.

Non possum tamen, quin mirer, Dupin ex facto isto Stephani cum Cypriano, & rebaptizantibus, Romani Pontificis infallibilitatem evertere conari, cùm è contrà Vincentius Lirinensis hoc idem factum producat *commonit. 1. c. 9.* ad eandem adstruendam. Ut enim tenendæ antiquitatis, & fugiendæ novitatis exemplum adferat, constantiam Stephani, & suæ Sedis contra rebaptizantes laudat, *Unum aliquod* [inquit], *& hoc de Apostolicâ potissimum Sede sumemus, ut omnes luce clariùs videant, Beatorum Apostolorum beata successio, quantâ vi semper, quanto studio, quantâ contentione defenderit suscepta semel religionis integritatem*. Tùm recensito Agrippini, & Cypriani de rebaptizandis hæreticis decreto, deinde resistentiâ Stephani, ejusque Epistolâ in Africam missâ subdit. *Intelligebat enim vir sanctus, & prudens, nihil aliud rationem pietatis admittere, nisi, ut omnia, quæ fide à Patribus suscepta forent, eâdem fide filiis consignarentur, nosque religionem, non quà vellemus ducere, sed potiùs quà illa duceret, sequi oportere...... Quis ergo tunc universi negotii exitus? Quis utique, nisi usitatus, & solitus? retenta est scilicet antiquitas, explosa novitas*. Infallibile ergo Stephani decretum, & decretum opponentium erroneum.

XVI. Pergit ulteriùs Dupin: Basilius, cæterique Orientales nunquam tres Hypostases rejicere voluerunt, & eos probare, qui unam dicerent, quamvis id maximè urgeret Romanus Pontifex cum cæte-

cæteris Occidentalibus, qui non aliâ conditione cum Meletio communionem habere vellent; ergo Basilius judicium Romani Pontificis non existimabat infallibile.

Respondeo, dist. conseq., infallibile in causis fidei, nego conseq., in causâ, de quâ tunc agebatur, transeat consequens. Causa enim, quæ controvertebatur inter Orientales, & Occidentales, non erat de fide, sed de significato hujus vocis *hypostasis*. Orientales enim, quorum princeps erat Basilius, adserebant, *hypostasis* nomine significari Personam; ideòque tres hypostases in Deo fatebantur. Occidentales verò cum Romano Pontifice, quibus significatio illius vocis græcæ videbatur suspecta, atque idem exprimere, ac *usiam*, seu *essentiam*, vel *substantiam*, ideòque trepidabant, ne fatentes tres hypostases, fateri viderentur in Deo tres substantias. Timebant ergo, ne hoc nomine hypostasis fibi fraus fieret ab Arianis; ideòque D. Hieronymus *epistol.* 57. ad Damasum, *sufficiat*, ajebat, *nobis dicere unam substantiam, tres Personas subsistentes, perfectas, æquales, coæternas. Taceantur tres hypostases, si placet, & una teneatur. Non bonæ suspicionis est, cùm in eodem sensu verba dissentiunt: aut si rectum putetis, tres hypostases cum suis interpretationibus debere nos dicere, non negamus. Sed mihi credite, venenum sub melle latet.* Eodem timore laborabat S. Augustinus *lib.* 5. *de Trinitate cap.* 8., volens, *hypostasis* nomine non aliud intelligi, quàm substantiam. Et prudenter quidem timebant, nam, ut refert Theodoretus *lib.* 2. *cap.* 8., Ariani *hypostasis* nomine substantiam intelligebant. Eò autem magis timor augebatur, quia Meletius trium hypostaseon adsertor (licèt Catholicus) ab Arianis in Ecclesiam Antiochenam suffectus fuerat, excluso Paulino legitimè in eâ sedente, qui tres hypostases fateri nolebat. Eadem ergo omnium Catholicorum, tùm Orientalium, tùm Occidentalium erat fides de Unitate essentiæ, & Trinitate Personarum, sola concertatio erat de voce *hypostasis*, Occidentales volebant, significare substantiam absolutè, Orientales aliqui, Personam. Hi reluctabantur illis. At in quo? in fide? non. In voce: quid ergo hic contra infallibilitatem Romani Pontificis quem dicimus quidem infallibilem in fide, sed non in grammaticâ, præsertim græcâ. Quamvis nec in hoc ejus oppositio error fuerit, sed prudentialis cautela. Videatur D. Thom. 1. *p. qu.* 29. *artic.* 2., ubi quærit, an sint idem *Persona, hypostasis, subsistentia, & essentia*, In 1. *sent. dist.* 26. *quæst.* 1. *artic.* 1.

XVII. Objicit tertiò. Plures Romani Pontifices ad causas finiendas Synodos petierunt convocari. Sic Liberius ad Athanasii causam judicandam Synodum petiit à Constantio. Sic Damasus, & Occidentales Synodum Universalem petierunt ad res Orientis componendas. Siricius Bonosum ad Concilium remisit judicandum. Innocentius petiit Synodum ad causam Chrysostomi examinandam. Sanctus Leo ad Eutychis causam retractandam, rescindendumque latrocinii Ephesini decretum, Synodum Universalem necessariam esse, duxit. Mitto alios innumeros. Si ergo Romani Pontifices judicium suum supremum, ac infallibile judicassent, illud solum interposuissent, non Synodos cogi postulassent.

Confirmat hoc tali discursu. Posito, quòd infallibile sit aliquod judicium, absurdum est, causam in eo terminatam, iterùm examinare, & judicare. Quid ergo necesse erat, totius orbis Episcopos fatigari? Quid opus, Ecclesias Pastoribus orbari ad cogenda Concilia, quorum judicium non pluris fieri deberet, quàm unius Romani Episcopi? certè ex duobus infallibilibus judiciis, unum pluris altero fieri non potest, nec duo infallibilia judicia majorem auctoritatem habent, quàm unum; quod enim infallibile est, omnem omnino meretur fidem. Vel ergo prorsùs superflua sunt Concilia, vel Judicium Romani Pontificis infallibile non est. Ità Dupin.

Primò eâdem retorsione respondeo. Licèt Romani Pontifices aliquando Concilia petierint ob motiva, quæ statim adducam, causas tamen sive fidei, sive facti priùs ipsi judicarunt, & eorum judicium fuit Concilii consensione probatum; ergo eorum judicium fuit infallibile.

Secundò respondeo ad singula. Liberius, ut refert Theodoretus *lib. 2. hist. cap. 16.* disputabat cum Constantio, in causâ Athanasii, quæ erat causa puri facti; agebatur enim, num vera essent crimina, quæ illi objicebantur, necne. Quid ergo agere poterat Liberius cum Imperatore Ariano, ejus judicium detrectante, eique dicente; *tu solus es, qui impii illius amicitiam retineas?* prudentissimè ergo respondit, quòd priùs revocentur ab exilio fratres, & Ariani subscribant veræ fidei, tunc *universi Alexandriam convenientes, ubi, & accusatus ipse, & accusatores sunt, & defensor eorum, examinato illorum negotio, concordem sententiam proferamus.* Quid ex hoc contra Romani Pontificis infallibilitatem? Quia eam negabant Ariani? At cur auctoritatem etiam Concilii, ad quos provocabat Liberius, recusarunt?

Damasus petiit, fieri Synodum Generalem, quæ fuit Constantinopolitana prima, anno 381., ad condemnandum Macedonium, quem tamen in Synodo Romana ipse priùs condemnarat, anno 370.; unde condemnatio Synodi Generalis fuit repetitio condemnationis factæ à Synodo Romanâ, ut ab utrâque Ecclesiâ Orientali, & Occidentali condemnaretur. Apollinarem tamen, & Timotheum, instantibus Orientalibus, absque Synodo Generali damnavit, ut refert Theodoretus *lib. 5. hist. cap. 10.*, recitans epistolam Damasi ad Orientales, qui Damasi damnationem venerati sunt.

Bonosus Sardicensis Episcopus, Christum purum hominem asserens, duas in eo personas agnoscens, Mariam à Christi partu mansisse Virginem negans, denunciatus ad Concilium Capuense, ab isto remittitur ad Anysium Episcopum Thessalonicensem, qui ejus causam cognovit, eumque condemnavit. Non video, quomodo Siricius hunc Bonosum remiserit ad Concilium judicandum: nisi fortè ex quibusdam litteris, quæ ab aliquibus tribuuntur Siricio, & extant *tom. 1. Concil. Hard. col. 85.*; sed ex his litteris colligo, Anysium, priùsquam de Bonoso sententiam ferret, judicium Siricii petiisse. *Accepi litteras vestras* (respondit Siricius) *de Bonoso Episcopo, quibus vel pro veritate, vel pro modestiâ nostram sententiam sciscitari voluistis.* Et licèt judicium non adsumat, cùm apud se non haberet Synodum eogregatam, in quâ judicare consueverat, sed judicium remittat ad Synodum ab Anysio congregatam, Bonosum tamen condemnat dicens: *sanè non possumus negare de Mariæ filiis* (Bonosum) *jure reprehensum?* adserens, qui hoc adstruit, nihil aliud, nisi perfidiam Judæorum adstruere. Nihil ergo conficit Dupin ex isto Siriacii facto: si Concilium, ad quod remisit Bonosum, à Siricio sententiam petit, & quamvis adserat, nolle se formam judicii adsumere, sententiam tamen condemnationis, & ipse profert.

Porrò, quòd sententia Siricii expectanda jure esset ab Anysio ante condemnationem Bonosi, testatur Sanctus Ambrosius *epist. 78.* ad Theophilum Alexandrinum Episcopum, cui à Concilio Capuano commissa fuerat causa inter Evagrium & Flavianum, quæ magnos in Oriente tumultus exeitabat. Scribit enim. *Sanè referendum arbitramur ad Sanctum Fratrem nostrum Romanæ Sacerdotem Ecclesiæ, quoniam præsumimus ea te judicaturum, quæ etiam illi displicere nequeant. Ità enim utilè erit consultum sententiæ, ità pacis, & quietis securitas; si id vestro statuatur consilio, quod communioni nostræ dissensionem non adferat, ut nos quoque accepta nostrorum serie statutorum, cùm id gestum esse cognoverimus, quod Ecclesia Romana haud dubiè comprobaverit, læti fructum hujusmodi examinis adipiscamur.* Epistolam hanc per extensum videbis etiam apud Baron. ad *ann. 389. num. 68.* Si ergo judicium Patriarchæ Alexandrini cum suâ Synodo referendum erat pro appobatione ad Romanum Pontificem: quid obstat ejus infallibilitati, quòd res examinentur, & judicentur in Conciliis, quandoquidem absque ejus approbatione ab universali Ecclesiâ acceptandum non erat?

Ad Innocentium I. appellavit S. Joannes Chrysostomus, ipsum susceperat; Acta Synodi ad Quercum, quâ injustè, ac illegitimè damnatus, & inconsultâ Sede Apostolicâ contra Canones depositus fuerat,

rat, rescidit. Fateor, noluisse Innocentium causam Chrysostomi decretorio judicio per se ipsum terminare, sed Synodum Universalem convocari ad hunc finem optasse, imò, & procurasse; non quia pro dignitate Suæ Sedis id non posset, hoc enim fecerat Julius cum Athanasio, Paulo, Marcello, & Asclepâ ab Arianis exauctoratis; sed summæ Innocentii prudentiæ fuit, considerato rerum statu, ut schisma imminens evitaret, ut benè advertit Natalis Alexandre *histor. Ecclesi. secul. 5. c. 5. ar. 2.* Cùm verò Synodi celebrandæ nullam spem superesse vidit (Chrysostomo jam defuncto) decretorio judicio usus est, compellens Orientales, ad memoriam Joannis Chrysostomi in Constantinopolitanos Episcopos in Ecclesiæ Dyptichâ restituendum, nec priùs suspensam redintegrans cum Orientalibus communionem, quàm id executioni mandassent.

Acta Ephesini secundi, seù veriùs prædatoriæ Synodi, auctoritate suâ S. Leo rescidit, & Flaviani, ac Theodoreti iniquè depositorum appellationem suscepit. Concilium Chalcedonense equidem coegit, ibi iterùm rescissa Ephesini latrocinii acta ibi retractata Eutichianæ hæresis condemnatio. Sed quare? quia res Orientis ità exigebant, Theodosius acta Ephesinæ Synodi firmaverat, hæc debebant rescindi, ut factum fuit à Marciano Imperatore. Dioscorus depositione erat damnandus, hæresis Eutichiana in Ephesino Concilio probata, erat anathematizanda. Hæc omnia per se facere poterat Leo; sed consultius paci Orientis fuit ad hæc Synodum convocare. Sed in hâc Synodo quantum emicuit Leonis, & S. Sedis dignitas! Auctoritate Leonis sententia in Dioscorum lata est. Epistolâ Leonis ad Flavianum, velut oraculo Sancti Petri per Leonem loquentis, hæresis Eutychiana conficta est; tandemque acta Concilii, pro ut ipsi libuit, à S. Leone confirmata. Hæc pro veritate, ac Tyronum notitiâ dicta sint.

Cæterum fallitur Dupin, dùm putat, ex convocatione Conciliorum optata, petita, facta per Romanos Pontifices, ad res fidei decernendas, enervari eorum infallibilitatem, quasi id factum fuerit ex conscientiâ propriæ fallibilitatis. Nunquid enim infallibiles erant Petrus, cæterique Apostoli, per Spiritum Sanctum in veritate firmati? Et tamen exortâ controversiâ de legalium observatione opportunum judicarunt cogere Concilium Hierosolymitanum, ut communi voto firmaretur, quod à quolibet eâdem firmitate poterat decerni. Sed in hoc Concilio etiam emicuit auctoritas Petri: Is enim in Concilio sententiam tulit, ac sententia Petri Concilii pariter sententia fuit. *Tacuit omnis multitudo, & in sententiam ejus* (Petri) *Jacobus Apostolus, & omnes simul Presbyteri transierunt. Hæc non debent esse molesta lectori, sed & mibi, & illi utilia, ut probemus, ante Apostolum Paulum non ignorasse Petrum Principem esse hujus decreti, legem post Evangelium non esse servandam.* Hieronym. *epist. 89.*, nunc 74. *ad Augustinum.* Sic Romani Pontifices Petri successores in Conciliis per epistolas, vel Legatos sententiam dixerunt, ac in eorum sententiam Patres transierunt.

XVIII. Ad confirmat. nego assumtum. Non enim congregantur Concilia, ut definitioni Pontificis dent infallibilitatem, sed aliis causis. Prima, quia licèt in Pontifice sit infallibilitas in decernendo, tamen debet hoc præstare per media humana, & ordinaria, nimirùm discussionem, & disquisitionem, ut fecerunt Apostoli in Concilio Hierosolymitano: hæc autem discussio non meliùs fieri potest, quàm in Concilio Generali, si res sit magni momenti, aut ad totam Ecclesiam pertinens; vel in Concilio Particulari, si res non sit tantæ magnitudinis. Secunda, quia definitiones de fide, in quibus agitur de sensu Scripturarum, pendent maximè ex traditione, & consensu Ecclesiarum; ad quod dignoscendum non est melior ratio, quàm ut conveniant Episcopi ex omnibus Provinciis, & unusquisque referat suæ Ecclesiæ traditionem, & consuetudinem. Tertia, utilissimè convocantur Concilia, ut finis imponatur controversiis sententiâ concordi, & ut definitiones de fide necdùm fiant, sed generaliter serventur; quod optimè evenit, cum illi omnes Episcopi subscribunt, & profitentur, eas se am-

amplecti, & in suis Ecclesiis prædicaturos.

XIX. Objicit quartò, multa Divi Augustini testimonia. Primò, ex iis, quæ habet *in libris de Baptismo*, ubi observat, nec Stephani, nec Cypriani judicio quæstionem de hæreticis rebaptizandis fuisse terminatam, sed universalis Concilii, ac totius Ecclesiæ judicio. Hinc ibidem apertè pronunciat, omnes omnino Episcoporum litteras, & omnia omnino Concilia Provincialia, ne exceptis quidem Romanis, emendari posse à Conciliis majoribus. Secundò, *lib. 2. ad Bonifac. c. 3.* supponit possibile, Romanam Ecclesiam falsum judicasse in causâ Cælestii. Tandem adfert sententiam Concilii Gen. 5. *collat.* 8., quod videtur sentire, veritatem alibi definiri non posse, quàm in Conciliis Generalibus, nec ab ullo privato Episcopo (etiam Romano) quicquam circa fidem statui posse, quod ità certum sit, ac ea, quæ in Conciliis definita sunt.

Respondeo. Quantum detulerit S. Augustinus judicio Romani Pontificis, suprà vidimus, ubi in causâ Pelagianorum, post Africana Concilia, missa ad Sedem Apostolicam dixit, Romani Pontificis rescripto omnem dubitationem fuisse sublatam, & causam finitam. In *libris* autem *de Baptismo contr. Donatistas* verè dicit, causam rebaptizantium hæreticos non fuisse terminatam à Stephano, sed in Concilio, & Judicio totius Ecclesiæ; non quia Stephanus eam terminare non posset, sicut alii Pontifices alias causas sine Concilio terminarunt, ut Galliarum Episcopi supra laudati fatentur, sed quia noluit: præcepit quidem, nihil esse novandum, sed non definivit, & hoc prudenter: videbat enim Cyprianum, & Socios plus æquo suæ opinionis tenaces; quâ in re non in totum à labe illos excusat S. Augustinus. Si ergo Sanctus Augustinus reprehensibilem aliquomodo judicat Cyprianum, quia Stephano præcipienti non cessit, judicat, Stephani decretum tale fuisse, ut quilibet ei parere teneretur, & consequenter infallibile.

Quando verò dicit S. Augustinus *lib. 2. de Baptismo cap. 3.*, litteras Episcoporum, & Conciliorum priorum posse per Episcopos posteriores, & subsequentia Concilia emendari: vel præscindit ab Episcopo Romano, de quo supra dixerat, esse cuilibet Episcopatui præferendum; Vel loquitur in causis facti, non fidei, ut suprà dictum fuit; Vel loquitur causâ nondùm terminatâ, & decisâ, qualis causa Cypriani. Hoc autem dicendum censeo: nam cùm Augustinus ibidem dicat, etiam ipsa Concilia plenaria ex universo Orbe conflata emendari posse à posterioribus; videretur Sanct. Doctor, auferre ab Ecclesiâ omnem regulam infallibilem, & inemendabilem, & insuper sibi contradiceret, dùm post pauca subdit, Cyprianum cedere debuisse, si suo tempore veritas eliquata, declarata, & solidata fuisset per Concilium plenarium; ubi admittit Concilium plenarium firmum, infallibile, & irreformabile, aliàs Cyprianus ei cedere non debuisset.

Quod verò adfert ex *lib. 2. ad Bonifacium* Episcopum Romanum, non est ad rem. Primò, quia illa verba *sed si, quod absit*, indicant, Augustinum ibi proponere, & loqui de defectu à fide in Ecclesiâ Romanâ, tanquam de re impossibili; statim enim ostendit, quid egerint Romani Pontifices contrà Cælestium, & Pelagium, imò & Zozimus ipse, qui nimiæ lenitatis circa eos notabatur. Secundò, si benè observetur, ibi S. Doctor non loquitur de Romanâ Ecclesiâ includente Caput ipsius, sed de Romanis Clericis. Calumniabantur enim Pelagiani, Romanos Clericos sub Zozimo admisisse prævaricationis crimen contra priorem sententiam suam. Ab hâc calumniâ eos liberat Augustinus, ostendens primò, & falsum, quod ipsis objiciebatur. Deinde dato (quod absit) ità tunc fuisse in Romanâ Ecclesiâ (non dicit, à Romanâ Ecclesiâ) judicatum, ex hoc potiùs esset nota prævaricationis Romanis Clericis (non dicit, Romano Episcopo, nec Romanæ Ecclesiæ) inurenda.

Quod demùm producitur ex Synodo quinta Generali, nos potiùs juvat, sicut enim Apostoli, quamvis infallibiles Spiritus Sancti gratiâ, tamen voluerunt col-
latis

latis consiliis rem in Concilio definire; Ità etiam, etsi Summus Pontifex sit absque Concilio infallibilis, tamen quando ipse judicat, rem exigere, vult rem in Concilio statuere. In hoc tamen stat discrimen inter Apostolos, & Romanos Pontifices, quòd illi, nec prævio aliorum consilio indigebant ad ea, quæ agenda erant; extraordinariâ enim viâ circa ipsos Deus agebat; at à Romano Pontifice ordinario Pastore, ordinaria, ac humana via premenda est, ideoque non veniendum ad decisionem, nisi re prius examinatâ, & discusâ.

§. IV.

Argumenta ex Pontificium erratis, & invicem pugnantibus definitionibus.

XX. Putat Dupin, se ad oculum demonstrare Romanorum Pontificum fallibilitatem, ex facto aliquorum, qui in fide, vel moribus errarunt.

Primus est Elutherius (seu quisvis alius Romanus Pontifex) qui, teste Tertulliano *lib. contr. Praxeam c. 1.*, litteras paeis dedit Montanistis hæreticis (quod idem fuit, ac eorum hæresim approbare), quas deinde revocare coactus est.

Secundus fuit Victor, qui in Asiaticos temerè excommunicationem tulit, cujus reprehensus fuit, quia, licèt in re disciplinam spectante, graviter erravit.

Tertius Stephanus, qui, ut sese Cypriano opponeret, in errorem extremum lapsus fuit, asserens, omnium omnino hæreticorum baptismata, sive in nomine Trinitatis, sive secùs collata, esse admittenda.

Quartus Liberius, qui non tantùm Athanasii damnationi subscripsit, sed & fidei formulæ hæreticæ, ut censuerunt Catholici Hilarius, & Hieronymus.

Quintus Zozimus, qui Cœlestii Pelagiani hæretici libellum, Catholicum esse, pronunciavit: ut apud S. Augustin. *lib. 2. ad Bonifacium c. 3.*

Sextus Honorius, qui hæresi Monothelitarum favit, ac subscripsit, ideòque in Synodo sextâ cum Monothelitis damnatus fuit.

Septimus Joannes XXII., qui erravit, docendo, animas SS. non visuras clarè Deum, nisi post universalem resurrectionem; & hunc suum errorem in totam Ecclesiam inducere conatus est. Hæc Dupin, quibus suo ordine respondendum est.

XXI. Ad primum de Eleutherio dico primò, non temerè suspicari posse, hanc fuisse calumniam impositam Romano Pontifici à Tertulliano, jam Montanistâ, & ut Praxeam carperet, ad quem scribebat, nimirùm quòd Romanum Pontificem benè affectum, & litteras pacis dare paratum Montanistis, Praxeas litteras revocare coegit. Quovis enim seculo hæreticis persuasum fuit, multum suæ causæ accessurum, si Romani Pontificis favorem, arte, vel dolo aucupari, vel tanquam fautorem describere liceret. Secundò dato, quòd Tertullianus verum dicat de Elutherio, dicit tamen, quòd cognoverit, seù non improbaverit, non quidem Montani errores circa fidem, sed Montani prophetias; ait enim: *agnoscentem jam prophetias Montani, Priscæ, & Maximillæ*, non verò eorum hæresim: quod in Eleutherio fuisset error circa Personam, & circa factum, putando veras eorum prophetias, non circa fidem. Videndus propierea Pamelius *in hunc Tertulliani locum*; quamquam & ipse concludat, etiam hoc falsum deprehendi ex historiis, maximè Eusebii, ubi hoc nævo, nec Eleutherius, nec Zephirinus notatur. Quare dici debet, quòd sicut Artemon (ut refert Eusebius *lib. histor. cap. 28.*) falsò jactaverat, Victorem Pontificem, & etiam Zephyrinum secum sentire, & Christum purum hominem fateri: Cum tamen Victor Theodotum illius sectæ Principem ex communicasset; ità Tertullianus Montanista in Montani sententiam trahere conatur Eleutherium. Hinc videat Dupin (inquit Roncaglia) summam Romani Pontificis auctoritatem etiam illis temporibus, dùm illud, quod recipiebat ipse, aut damnabat, Ecclesiæ Catholicæ doctrina, vel error contra illam putabatur.

De Victore jam dictum est, sententiam excommunicationis contra Asiaticos intentasse quidem, sed deterritum ab Ire-

Irenæo, aliisque Episcopis, pro bono pacis de facto non tulisse. In hoc tamen Victor excessit ad summum in zelo, non tamen in dogmate, pro quo pugnabat, circa celebrationem Paschatis erravit, cùm tanquam dogma Catholicum in Concilio Nicæno statutum postea fuerit.

De Stephano, nego assumtum. Falsum enim est, eum incidisse in errorem, nimirùm Baptismum sub quibuscumque verbis collatum validum esse, ut, dùm agemus de Ministro Baptismi, fusè ostendemus. Neque enim concertatio inter Cyprianum, & Stephanum erat de verbis, quibus deberet conferri baptismus, sed de fide: an hæc foret in conferente sic necessaria, ut baptismus collatus ab hæretico fidem veram non habente, etsi consuetis verbis conferretur, repetendus esset tanquam invalidus. Quare Stephanus *in epistolâ suâ*, quam refutat Cyprianus *epist. 74. ad Pompejum* dicit: *Si quis ergo à quâcumque hæresi venerit ad nos, nihil innovetur, nisi quod traditum est, ut manus illi imponatur ad pœnitentiam.* Non dixit, *si quis ergo quibuscumque verbis baptizatus venerit, sed, à quâcumque hæresi*, ut ostenderet, se solum velle hæresim in conferente non obstare validitati Baptismi; quod ex eo maximè colligitur, quòd in decreto subdit *nihil innovetur, nisi quod traditum est*; ubi verò traditio, Baptisma valere, etsi verbis Evangelicis non consecratum.

Neque dicat Dupin, omnes ferè Hæreticos, qui à temporibus Apostolorum, usque ad tempora Cypriani emerserunt, in Trinitatis nomine minimè baptizasse; ergo Stephanus baptisma hæreticorum admittens, admisit Baptismum non collatum in nomine Trinitatis.

Etenim hoc debuisset Dupin ostendere. Nam Concilium Nicænum primum, in quo causa hæc terminata fuit, Paulianistas rebaptizandos censens, cæterorum Baptisma comprobare videtur. Item Laodicenum *can. 8.* addit Cataphrygas, nil de aliis dicens. Alii ergo in nomine Trinitatis baptizasse credendi sunt.

De Liberio, dicam in *tractatu de Trinitate qu. 2. dub. 3. §. 4.* Bellarminus *l.b. 4. de Rom. Pontif. c. 9.* censet, Liberium reverà exilii tædio, ac ærumnis fractum à fide exteriùs defecisse, subscribendo formulæ Arianæ manu, non tamen mente, nec corde; sicut Petrus, qui timore victus, ore negavit Christum: quare hæreticus non fuit. Is tamen error fuit error personæ, qui nostrum assertum non destruit; quando enim dicimus, Romanum Pontificem esse indefectibilem in fide, non loquimur de eo, ut persona privata est, sed de eo, ut persona publica, seu ut Pastor docens gregem. Hùc enim respicit illud Christi dictum: *confirma fratres tuos.*

Natalis verò Alexandre *hist. Eccles. secul. 4. dissert. 32. art. 2.* sustinet, Liberium neque manu falsæ fidei subscripsisse. Ex tribus enim formulis Sirmii confectis subscripsit primæ, quæ licet vocem *consubstantialis* non exprimeret, Arianum tamen errorem non continebat. At, quia Ariani de hoc gloriantes spargere cæperunt, Episcopum Romanum suis Synodis tandem subscripsisse, ex hoc falso rumore, & Hilarius, & Hieronymus crediderunt, Liberiùm Arianæ perfidiæ subscripsisse: eò vel maximè, quòd videbatur, etiam damnationem Athanasii comprobasse, cum quâ causa Arianorum conjuncta erat. Videatur Alexander præfatus, & Sozomenùs *lib. 4. hist. c. 15.* secundùm editionem Valesii, factum hoc ex integro referens.

Miror, quomodo contra Zozimum adferatur Divus Augustinus, cùm *loco citato L. 2. ad Bonifacium c. 3.* ejus causam defendat. Audiatur ergo: *Nunc verò, cùm primitus Beatissimi Papæ Innocentii litteræ Episcoporum litteris respondentis Afrorum, pariter hunc errorem, quem conantur illi persuadere damnaverit. Successorque ejus Sanctus Papa Zozimus hoc tenendum esse, quod isti de parvulis sentiunt, nunquam dixerit, nunquam scripserit; insuper etiam Cælestium se purgare molientem, ad consentiendum supradictis Sedis Apostolicæ litteris, crebrâ interlocutione constrinxerit: profectò quidquid interea leniùs actum est eum Cœlestio, servatâ dumtaxat antiquissimæ, & robustissimæ fidei firmitate, correctionis fuit clementissima suasio, non adprobatio exitiosissima pravitatis. Et quòd ab eodem Sacerdote posteà Cœlestius, & Pelagius repeti-*

petitâ auctoritate damnati sunt paululùm intermissè, jam necessariò proferenda ratio securitatis fuit, non prævaricatio priùs cognita, vel nova cognitio veritatis. Quid pro fide Zozimi fortius?

De Honorio I., in quo putat, se triumphare Dupin, jam dixi dubio præcedenti, ipsum nimiâ indulgentiâ errorem fovisse, quem debebat pro debito sui officii coercere, ex quo fundavit prudentem præsumtionem, ipsum favisse Monothelitis, & cum Monothelitis damnandum. Videantur ibi dicta.

Pro defensione Joannis XXII. dicam *in tractatu de Visione Dei*, ubi statuam, quidquid Joannes locutus est de animabus Justorum post hanc vitam, non adferendo, sed opinando, & disputationis gratiâ fuisse locutum; quod firmis documentis ostendam. Interim videri potest Natalis Alexandre *hist. Eccl. saecul.* 14.

XXII. Objicit ulteriùs, Romanos Pontifices in suis definitionibus secum invicem pugnasse, & consequenter alterutrum errasse.

Primò. *Cœlestinus III. decrevit, uno conjugum ad hæresim transeunte, alterum, qui manet in fide, posse ad secunda vota transire.* Cujus determinatio, ut dicit glossa *c. Quanto de divortiis*, olim extabat in corpore Juris. Innocentius verò III. *eodem cap.* determinat contrarium.

Secundò. Pelagius constitutionem fecit, quòd *omnes Subdiaconi Siciliæ à suis uxoribus abstinerent, quas in minoribus ordinibus duxerant, aut ab officio cessarent.* Hanc retractavit Gregorius I. ejus successor, ut patet 31. *distinct. c. Ante triennium* in textu, & glossâ.

Tertiò. Innocentius IV. in *c. Presbyter* de Sacramentis non iterandis, ait, formas Sacramentorum post Apostolos esse inventas. Contrar um statuit Eugenius IV. cum universâ Theologorum scholâ.

Quartò. Stephanus II. consultus, decretalem statuit c. 11. epist., *Si quis in vino, propterea quòd aquam non inveniebat, omnino periclitantem infantem baptizavit, nulla ei exinde adscribitur culpa. Infantes sic permaneant in ipso baptismo. Nam si aqua adfuit præsens ille Presbyter excommunicetur.* Hæc definitio est contraria responsis Nicolai I. ad consulta Bulgarorum.

Quintò. Septem Romani Pontifices, Gregorius IX., Innocentius IV., Alexander IV., Nicolaus III., Martinus IV., Nicolaus IV., & Clemens V., adprobarunt institutum eorum Franciscanorum, qui illorum, quibus utebantur, proprietatem abdicabant, eamque Pontifici ultrò largiebantur, qui in hoc Christum se imitari dicebant: & damnarunt eos, qui hoc improbarent. At Joannes XXII. totum hoc damnavit, abolevit, manifestè damnans doctrinam de expoliatione Christi, & Apostolorum uti pestiferam, erroneam, damnatam doctrinam, & hæresim, ac blasphemiam. Ità in sanctione: *Quia quorundam anno* 1324. promulgatâ. Quod ergo alii Pontifices, ut pium, Sanctum, & ad Christi imitationem factum laudant, & adprobant; Alter damnat, ut pestiferum, erroneum, damnatum ut hæresim, ut blasphemiam, & eos, qui imposterum dicturi, & defensuri sunt, hæreseos notâ inurit, & tanquam hæreticos contumaces, Romanæque Ecclesiæ rebelles ab omnibus haberi, mandat. Ubi ergo infallibilitas in Romanis Pontificibus?

Alias plures repugnantias, & contradictiones passim deprehendet, qui Decretales, ac Bullas Pontificum percurret. Bonifacius enim VIII., ut fidei articulum definit, Reges suæ Sedi in temporalibus subesse. Sic in *extravag. unam Sanctam*. At Clemens V. hanc constitutionem revocavit in *cap. Meruit de Privilegiis*. Sixtus V. suam de Bibliis vulgatis editionem emendatissimam esse, pronunciat, *Bullâ editionis suæ præfixâ*. Clemens verò VIII., cùm multos in illâ errores deprehendisset, illam suppressit, novæque editioni, & correctioni manum apposuit.

XXIII. Priùsquam ad hæc respondeam, aliqui prænotanda sunt. Primò, Romanum Pontificem posse considerari, vel ut Persona privata est, seu particularis Doctor, vel ut persona publica, seu ut Pastor, & Doctor universalis fidelium, & ut loquens ex Cathedrâ. Sicut Regem possumus considerare, ut homo particularis est, & ut Rex loquens ex Throno, condens edicta in bonum totius Regni.

gni. Quando ergo dicimus, Romanum Pontificem esse infallibilem, etiam sine Concilio Generali, in decernendis rebus ad fidem, moresque ad universalem Ecclesiam spectantes, non loquimur de Pontifice, ut Personâ privatâ, sive ut Doctore particulari: ideòque infallibilis auctoritatis esse non dicimus responsa variorum Pontificum, in Jure Canonico contenta, ad casus quosdam particulares, quibus rogati opinionem suam aperuerunt, nec dogma sancire intenderunt; cùm ibi non exponerent mentem Sedis Apostolicæ, sed suam particularem. Loquimur ergo de Pontifice docente ex Cathedrâ, & ut Doctore universali.

Et insuper loquimur de quæstionibus Juris concernentibus dogma tangens fidem, aut mores, & toti Ecclesiæ proponendum, nam in quæstionibus puri facti particularis connexionem non habentis cum dogmate, potiùs videtur gerere personam humani Judicis procedentis ex humanâ informatione, quàm Capitis, & Doctoris Ecclesiam docentis; nec videtur in hoc habere locum privilegium confirmandi fratres Petro concessum.

Tunc autem Pontifex loquitur, ut Pontifex, ex Cathedrâ, & ut Doctor Universalis, quando excitatâ, & ad eum delatâ controversiâ de aliquo dogmate, adhibitis consiliariis, & factâ debitâ materiæ disquisitione, Pontifex, imploratâ Spir. S. adsistentiâ, decernit, ac proponit universæ Ecclesiæ quid eredendum sit, vel quid faciendum. In tali judicio dicimus, Pontificem prorsùs esse infallibilem, & per eum loqui Petrum, utpote, quia à semetipso non loquitur, sed ex adsistentiâ speciali Spiritus Christi ipsum gubernantis in decernendo.

XXIV. His suppositis ad objecta dissolvenda descendo. Ad primum. Cœlestinum III. fateor ità sensisse, ex illo Pauli 1. Cor. 7. v. 15. *Si infidelis discedat: non enim servituti subjectus est frater, aut soror hujusmodi*, opinando tamen, non decernendo, ut Doctorem privatum, non ut Ecclesiæ universalis Magistrum. Hoc testatur Innocentius *c. Quanto de divortiis citato* his verbis: *Licèt quidam prædecessores nostri sensisse aliter videantur*, sensisse (ait), non definivisse. Sed nec Innocentius quidem definit quidquam, sed explicat sententiam, & opinionem suam inquiens. *Non credimus, quòd in hoc casu is, qui relinquitur, possit ad secundas nuptias transire*. Verum dixit Innocentius, falsum Cœlestinus, neuter tamen definiendo processit. Rem postea definivit Tridentinum *sess. 24. can. 5.* anathemate feriens, qui dixerit, *propter hæresim dissolvi posse matrimonii vinculum*. Nec enim statim, si aliquid in juris volumine continetur, fidei dogma esse, credendum est.

Ad secundum dico, Pelagium II., & Gregorium I. invicem non pugnare. Nam Pelagius decrevit, ut omnes Subdiaconi Siciliæ abstinerent à suis uxoribus, quas in minoribus ordinibus duxerant, quia supponebat, eos secundùm morem Ecclesiæ Romanæ in ordinatione ad Subdiaconatum, votum continentiæ emisisse. Verùm cùm ita non esset, ideòque propterea multi reclamarent, re à Sancto Gregorio compertâ, rescidit Pelagii decretum, permisitque eis, qui continentiam in susceptione Subdiaconatus non voverant, uxoribus antea ductis commisceri: facto tamen præcepto Episcopis, ut nullum Subdiaconum facere præsumerent, nisi, qui se victurum castè promiserit: Laudans deinde eos, qui constitutioni Pelagii parentes, continenter cum suis uxoribus vivere cœperant, exhortansque eos, ut in bono suo permaneant; ità *dist. 31. cap. ante triennium*. Pelagium verò potuisse falso supposito laborare in materiâ facti, ut in re disciplinam concernente, non lædit Romani Pontificis adsertam infallibilitatem.

Ad tertium, si verum est, quod de Innocentio IV. refertur, dico, eum opinativè locutum, non adsertivè, ut doctorem privatum suam opinionem declarantem, non ut Pontificem decisivè loquentem. Quamvis (ut ex verbis Innocentii observo) non negat, Apostolos absque omni prorsùs formâ, seù verbis Sacramenta contulisse: dicit enim, quòd *manus imponebant, & orationem fundebant*, sed solùm vult, Apostolos non

fuisse

fuisse usos, saltem in aliquibus Sacramentis, eâdem specie formâ, seu iisdem verbis, quibus modò utitur Ecclesia, & quòd, nisi Ecclesia formas postea adinvenisset, quibus utimur, sufficeret ordinatori sic dicere: *Sis Sacerdos, vel alia æquipollentia verba*; quod non cotradicit Eugenii IV. definitioni, qui licèt statuerit, omnia Sacramenta debere perfici verbis, non dicit tamen, verba in omnibus Sacramentis esse in specie determinata à Christo; estque satis probabilis Theologorum sententia, in aliquibus Sacramentis (& præsertim Ordinis) Christum determinasse verba solùm in genere, relinquendo, ut Ecclesia determinaret, quæ in specie verba essent adhibenda.

Ad quartum, de Stephano II., vel dico, eum non pronunciasse validum Baptisma in vino collatum (hoc enim vel pueri sciunt) sed solùm dixisse, Præsbytero, qui, non existente aquâ, sic baptizavit, non debere adscribi culpam puniendam pœnâ canonicâ. Illa autem verba *Infantes sic permaneant in ipso Baptismo*, censet Labbeus (ut notat Harduin. *to. 3. Concil. col.* 1987.) esse glossema in margine primò positum, & à margine in textum temerè intrusum. Vel, ut placet Natali Alexandre, mendosum esse textum, ut à Sirmondo refertur, & sic restituendam videri sinceram lectionem, *nulla, ei exinde adscribitur culpa, si Infantes sic permaneant in ipso Baptismo*; ità laudatus Auctor *hist. Eccl. secul.* 8. *c.* 1. *art.* 6.

Ad quintum, in quo videtur facere magnam vim, multa dicit Natalis Alexandre *histor. Eccles. secul.* 13., *&* 14. *dissertat.* 11., ubi agit de controversiâ à Dupin allata, & ostendit, Constitutiones Joannis XXII. de paupertate Christi, & Apostolorum, dominioque, vel usu PP. Minorum, in dogmate fidei, non esse contrarias Nicolai III. Constitutioni *Exiit, qui seminat*.

Duas enim quæstiones tangunt illæ Constitutiones. Prima est de paupertate Christi, & Apostolorum; altera de jure, ac dominio Fratrum Minorum. Prima Fidem spectat: secunda verò Philosophiam Moralem. Quoad primam Joannes XXII. à Nicolao non dissentit. Nam Nicolaus adserit, Christum abdicationem absolutissimam dominii rerum temporalium tàm in communi, quàm in particulari, verbo, & exemplo docuisse; quod sanè verissimum est. Verbo enim docuit *Matth.* 10. exemplo autem *Matth.* 8., *& Luca* 8. Non negat tamen, Christum aliquando rerum aliquarum dominium habuisse, earum maximè, quibus utebatur, vel quas ad suos, & suorum usus accipiebat, & aliquanto tempore servabat tanquam ad victum necessarias, dicitur enim in Evangelio *Joan.* 13., loculos cum Appostolis possedisse, ex quibus emi jubebat necessaria ad communem sustentationem, & pauperibus etiam errogari; quod vitæ genus maximè imminente Passione amplexus fuit. Hoc est, quod Joannes XXII. adserit, & hæreseos damnat oppositum, & quia esset contra Scripturam, & quia si Christus dominium propriè dictum in illas pecunias non habuisset, injustè illas possedisset, injustè expendisset; quia bona non sua, sed aliena, & ex bonis alienis, injustèque possessis, eleemosynas elargitus fuisset. Nec in hoc dissentit à Nicolao, qui etiam docuit, Christum infirmorum personam suscepisse in loculis, & infirmorum imperfectionibus condescendisse, infirmitati scilicet naturæ, quam assumserat, cui sustendandæ multa necessaria sunt, sese accommodans. Ecce igitur, quomodo in fidei puncto non discordant Nicolaus III., & Joannes XXII., cujus sententiam ità exposuere Cardinales, Episcopi, & Doctores ab ipso consulti, quos refert præfatus Alexandre.

In alterâ verò quæstione, de Fr. Minorum arctissimâ paupertate, an scilicet simplicem usum facti, an verò etiam jus, & dominium habeant iis in rebus, quæ usu consumuntur: Nec etiam invicem pugnant Nicolaus, & Joannes. Nam Nicolaus decrevit, apud Minoritas esse solum simplicem usum facti, loquendo de iis rebus, in quibus usus à dominio separabilis est, quod in rebus, quæ usu ipso consumuntur, contingere nequit. Quòd verò in hoc sensu locutus sit Nicolaus, ostendunt ipsius verba. Nam respondens legi dicenti, *non posse usum-*

fructum à dominio perpetuo separari &c., respondet. *Quæ quidem lex de rebus illis intelligitur, quarum penes unum usus rei, & penes alium dominium possit, licèt inutile, remanere, quod nequaquam in rebus usu consumtibilibus potest esse: cùm in illis per usum, vel abusum usuarii, substantia talis rei esse desinat, & per consequens proprietas etiam inutilis non subsistat.* En quomodo, nec in hoc discordes sunt hi duo Pontifices. Cæterùm etsi in hoc Joannes à Nicolao dissentiret, neuter illorum in fidei dogmate errasse dicendus est; hujusmodi enim quæstio fidei summam non spectat, sed tantùm Moralem Philosophiam. De hoc agemus fusiùs in *Tractatu de Justitiâ, & Jure*.

Ad id, quod addit de Bonifacio VIII., fallitur, dùm ait, ejus Constitutionem *Unam Sanctam* fuisse à Clemente V. abrogatam. Eam quidem, sicut & aliam, *Rem non novam*, moderatus est Clemens, non abrogavit. Ità declaravit in c. *meruit*, ubi irritans omnes sententias, constitutiones &c., quæ in sexto decretalium libro non continentur, quatenus præjudicare possunt juribus Regum &c., *duabus* (inquit) *Constitutionibus*, *quæ non sunt in eodem libro inclusæ*, *quarum una incipit* Unam sanctam, *& alia* Rem non novam, *quas secundùm moderationes easdem aliàs per nos factas, & non aliter intelligi volumus in suo robore permanere*, *exceptis*. Consideratissimâ enim ratione perpendit Clemens V. in decretali *Unam sanctam*, duo esse distinguenda. Unum, definitionem, quâ Bonifacius pronunciat, de necessitate salutis esse Reges Romano subesse Pontifici, eique parendum esse, etiam in temporalibus; & hanc adprobat, ut de fide tenendam Clemens. Alterum, rationes, quibus Bonifacius hanc necessitatem adstruebat, & secundùm hanc partem, quæ ad fidem non spectabat, & in quâ doctrinam suam, non Ecclesiæ, Bonifacius effundebat, moderatus est. Ità concordat cum Bonifacio Clementem Alexander *hist. Eccles. secul. 13. & 14. dissert. 9.*, cui tamen non in omnibus, quæ ibi dicit adhærendum est. Alexandrum adduxi, ut Doctorem Sorbonicum Sorbonico contraponam, & ut, qui legerit, videat, doctrinam Dupin esse doctrinam suam, non (ut ipse venditat) Academiæ Parisiensis.

Falsitatis etiam evincitur contrarietas, quæ supponitur circa Bibliorum correctionem, inter Sixtum V., & Clementem VIII.; non enim Sixtus V. publicè toti Ecclesiæ editionem suam proposuerat, sed eùm opus *jam esset excusum*, *&, ut in lucem emitteretur, idem Pontifex operam daret, animadvertens, non pauca in Sacrâ Bibliâ preli vitio irrepsisse, quæ iteratâ diligentiâ indigere viderentur, totum opus sub incudem revocandum censuit, atque decrevit. Id verò cùm morte præventus præstare non potuisset ..... tandem sub initium Pontificatus Clementis VIII..... opus, quod Sixtus intenderat, Deo bene juvante perfectum est.* Ità legitur in *Bibliorum præfatione*. Non ergo, quod Sixtus judicavit perfectum, Clemens emendatione dignum existimavit, sed quod Sixtus perfectum putaverat, idem Sixtus advertens in aliquibus emendandum, exemplaria jam impressa revocavit, & emendationem novam indixit, quam Clemens absolvit. Etsi autem deceptio aliqua fingeretur in Sixto, dùm putavit emendata Biblia, quæ adhuc erant mendosa, nihil tamen præjudicaretur infallibilitati Romani Pontificis, quia menda illa ex typographorum vitio irrepserant, & error facti erat: præterquam quod menda minoris momenti erant, quæ sensum, & doctrinam Sacræ Scripturæ non corrumperent.

§. V.

Argumenta ex testimoniis Pontificum, & Conciliorum.

XXV. Prosequitur Dupin intendens, ex confessione eorundem Pontificum evincere eorum fallibilitatem in decernendo.

Primò opponit Paulum IV., qui in consessu satis frequenti, in quo agebatur de solvendo matrimonio, per verba de præsenti contracto, inter Franciscum Montmorantium, & Joannem Halluyriam Pienneam: *Ne quæso* (inquit) *vos teneant*

neant decessorum meorum facta, & exempla, quæ eatenus sequi volo, quatenus Scripturæ auctoritas, & Theologorum rationes, vos ad illud agendum inducent .... non dubito, quin ego, & prædecessores mei errare aliquando potuerimus, non solùm in hos, sed etiam in pluribus aliis rerum generibus, & tamen condemnandi planè non sumus: nam Deus suam ità regit Ecclesiam, ut illi sertum ad tempus abscondat multa, quæ tùm inde patefacit.

Si vera sunt hæc, quæ unius testis dicto refert Dupin, nimirùm Joannis Hagæ Parisiensis Theologi, quæ refert etiam Natalis Alexandre *hist. Eccles. secul. 15., & 16. cap. 1. artic. 18.* Respondeo, Pauli, ut Doctoris privati fuisse specialem opinionem, Pontificem non posse solvere matrimonium, per verba de præsenti contractum, non tamen consummatum; cum tamen opinio contraria communior sit: & ante ipsum aliqui Summi Pontifices dispensarint, & post ipsum Pius IV., Gregorius XIII., & S. Pius V., quorum judicio potiùs standum est. Id autem, quod subdit, *plures suos decessores errare potuisse*, vel privata ejus opinio fuit, vel locutus est de suis prædecessoribus in casibus particularibus, & meri facti, non de ipsis, ut ex Cathedrâ definientibus, & totam Ecclesiam docentibus; & proinde ejus dictum nil obesse infallibilitati, prout à nobis statuitur. *Fidei enim causas* (ait Natalis Alexandre citato loco scholio 2.) *sive dubia circa fidem emergentia ad Sedem Apostolicam referenda esse, censeo, & ad Ecclesiam Romanam, in quâ semper fides intemerata servata est, & ea, quæ est ab Apostolis traditio, & illius decretis*, Judicio, & Constitutionibus, *ità esse parendum*, ut his obviare, planè sit hæreticæ pravitatis notam incurrere. Hæreticum *enim esse* constat, qui Romanæ Ecclesiæ in fide non concordat, *ut scribit Ivo Carnotensis epist. 8. Hincmari etiam Remensis Archiepiscopi verba ex animo usurpo in opusculo de divortio Lotharii Regis*, de omnibus dubiis, vel obscuris, quæ ad rectæ fidei tenorem, vel pietatis dogmata pertinent, Sancta Romana Ecclesia: ut omnium Ecclesiarum Mater, & Magistra, Nutrix, & Doctrix est consulenda, & ejus salubria monita sunt tenenda, maximè ab iis, qui in illis regionibus habitant, in quibus Divinâ Gratiâ per ejus prædicationem omnes in fide genuit, & Catholico lacte nutrivit, quos ad vitam præordinavit æternam. Hæc Natalis Alexandre, & ità Galli antiqui sentiebant.

XXVI. Objicit secundò Adrianum VI., qui *in 4. sent.* de Ministro Confirmat. ait, *ad secundum principale de facto Gregorii I. dico, quòd si per Romanam Ecclesiam intelligatur Caput illius, puta Pontifex, certum est, quòd possit errare, etiam in iis, quæ tangunt fidem, hæresim per suam determinationem, aut decretalem docendo; Plures enim fuerunt Pontifices Romani hæretici; item, & novissimè fertur de Joanne XXII., qui publicè docuit, declaravit, & ab omnibus teneri mandavit.* Hæc licèt scripserit adhuc Lovaniensis Theologus; factus tamen Pontifex non retractavit.

Respondeo, Adrianum, dùm ea conscripsit, errasse, sicut erravit, dùm ait, Joannem XXII. hæresim publicè docuisse, declarasse, & ab omnibus teneri mandasse; cujus oppositum firmis documentis ostendam, *in tractatu de Visione.* Nisi fortè dicatur, locutum fuisse de Pontifice, ut Persona privata est, non verò ut Doctor universalis ex Cathedrâ Ecclesiam instruens. Quare suspicor, Adrianum fuisse ità locutum, quia fortè erat in opinione quorundam Theologorum, qui distinguebant Romanam Ecclesiam à Romano Pontifice, & dicebant, hunc in fide errare posse, illam non posse: sicque sibi videbantur omnia argumenta solvere, quia pleraque non Romanæ Ecclesiæ, sed Summi Pontificis fidem impugnant. Porrò Adrianum in hâc opinione fuisse, credibile reddunt illa verba, *si per Romanam Ecclesiam intelligatur Caput illius, puta Pontifex &c.*

Verùm placere non potest hæc distinctio. Isti enim ab errore vindicant quidem Romanam Ecclesiam, sed non Romanum Pontificem. Nullum ergo discrimen invenio inter Apostolicam Sedem, & Apostolicæ Sedi insidentem, dùm ex eâ loquitur, & in eâ sedens judicat. Cùm

 enim

enim Galliarum Episcopi accesserunt, fidei oracula postulaturi tempore Innocentii X., ut supra dictum est, interrogaruntne singulos Romanæ Ecclesiæ fideles, aut Ecclesiam ipsam Romanam? An potiùs Innocenti Summi Pontificis judicium quæsierunt? & meritò, nam non Romanus Populus, aut Clerus adhuc congregatus est, qui Ecclesiam universalem docet ea, quæ fidei sunt, sed Romanus Episcopus. Nec potestas judicandi de caufis fidei, ligandi, solvendi, pascendi, fratres confirmandi, in populo, aut Clero Romano est, sed in Romano Pastore. Nec Concilia exigunt Confirmationem, & robur ab ipsâ Romanâ plebe, sed à plebis Romanæ Antistite. Meliùs ergo discurrimus, dùm in Romano Pontifice duplicem fingimus contingere posse errorem, unum Personalem, Judicialem alterum. Error itaque Personalis est privatus error Personæ. Judicialis verò est error Ministerii, & Publicus. Consultus Pontifex de aliquo casu, vel facto particulari respondet. Si in hoc aliquis error esset, hominis esset, & Personalis, non Pontificis, quamvis responsum illud à Pontifice datum sit. At si idem Pontifex, instituto judicio de fidei quæstione, judicando aliquid definiret, quod reverâ falsum esset, tunc hic error à publico Ecclesiæ censore prodiret, essetque error Judicialis, error Sedis. De erroribus primi generis loquitur Adrianus, non de erroribus secundi generis.

Hoc errore, nimirùm Personali, fatetur, se potuisse labi Gregorius XI. in testamento suo, ut refer idem Dupin. De quo pariter loquitur Innocentius III., dum *ferm. 2.* (*non 3.*) *de consecratione Pontificis*, ait, *in tantum enim fides mihi necessaria est, ut, cùm de cæteris peccatis solum Deum Judicem habeam, propter solum peccatum, quod in fide committitur, possem ab Ecclesiâ judicari.* Hic enim eum loqui de errore Personali in fide, manifestum est: nam immediatè ante, ubi loquitur de se ipso ratione officii, sic ait. *Nisi enim ego solidatus essem in fide, quomodo possem alios in fide formare? Quod ad officium meum noscitur pertinere, Domino protestante: Ego, inquit, pro te rogavi Petre, ut non deficiat fides tua; & tu aliquando conversus, confirma fratres tuos. Rogavit, & impetravit... & ideò fides Apostolica Sedis in nullâ unquam turbatione defecit, sed integra semper, & illibata permansit, ut Petri privilegium persisteret inconcussum.* Imò nec Romani Pontificis Personam unquam amissuram fidem, adserit, *ferm. 3. de consecr. Sum. Pontif.* dicens, *Ego tamen facilè non crediderim, ut Deus permitteret, Romanum Pontificem contra fidem errare, pro quo spiritualiter oravit in Petro*, & *ferm. 4. de eodem*, ut ostendat, quomodo posset ab Ecclesiâ judicari, si fortè laberetur in hæresim: *Verùm* (inquit) *non frustra sibi blandiatur de potestate, neque de sublimitate, vel honore temerè glorietur: quia quanto minùs judicatur ab Homine, tantò magis judicatur à Deo. Minùs dicò, quia potest ab hominibus judicari, vel potiùs judicatus ostendi, si videlicet evanescat in hæresim.* Nihil ergo ex Adriano conficit pro suâ causâ Dupin.

XXVII. Objicit tertiò Eugenium IV., qui in tertiâ Bullâ adversùs Concilium Basileense, licèt se supra Concilium Generale efferret, ait, in quæstionibus, *quæ ad fidem respiciunt, vel statum universalis Ecclesia, potiùs attendendam esse Concilii, quàm Papa sententiam.*

Sed quid dicet Dupin, si ipsi ostendero, præfatam tertiam Bullam non solùm fuisse eum aliis duabus prioribus revocatam, sed nunquam reverâ ab Eugenio prodiisse? Quòd præfatas Bullas revocaverit Eugenius, evidenter ostendo, ex Bullâ revocationis, quæ legitur *sess. 16. Concilii Basileensis tom. 8. Concilior. edit. Harduin. col. 1172.* Quòd verò dicta tertia Bulla Eugenii fœtus nunquam fuerit, præfata revocationis Bulla apertè loquitur. Ubi enim se revocare duas priores, protestatus est, de tertiâ subdit: *nam tertias, quarum tenor de verbo ad verbum inferiùs describitur, quæ dicuntur incipere* Deus novit, *cùm à nobis, aut de scitu nostro nunquam emanaverint, licèt superfluum videatur, quod non exstat, revocare, tamen, quia petitum est, & ad cautelam, si ullo unquam tempore apparerent..... cassamus &c.*

XXVIII.

XXVIII. Objicit quartò. Adrianus II. *in epist.*, quæ Synodi sextæ *act. 7.* lecta, & approbata est, ait, *licèt Honorio ab Orientalibus post mortem anathema sit dictum: sciendum tamen est, quia super hæresi fuerat accusatus, propter quam solùm licitum est minoribus majorum suorum moribus resistere, vel pravos sensus liberè respuere.*

Leo etiam II. *epistol. ad Constant.* confirmatoriâ Synodi sextæ de Honorio, ait, *ipsum Romanam Apostolicam Ecclesiam non Apostolicæ traditionis doctrinâ lustrasse, sed prophanâ traditione immaculatam fidem maculari permisisse*, & *in epist. ad Hervigium* accusat eum, *quòd immaculatæ traditionis regulam, quam à prædecessoribus acceperat, maculari consenserit.*

Respondetur de Honorio satis dictum fuisse dubio præcedente, nimirùm, ipsum non fuisse reverà animo hæreticum, licèt talis aperuerit, ac peccasse lenitate, ac indulgentiâ culpabili, non infidelitate. Hinc Adrianus citatus non ait, quòd fuerit hæreticus, sed *quòd super hæresi fuerat accusatus*. Et Leo II., quòd immaculatam fidem maculari *permisit*, *consensit*, non errore proprio maculavit. Dici etiam potest, epistolas Honorii ad Sergium, ob quas hæresis notâ innotus fuit, fuisse litteras privatas consultivas, non decretorias; ideòque, si erravit, fuit error Personalis, non Judicialis.

XXIX. Objicit quintò epistolam Synodicam Concilii Basileensis, quæ sic habet: *Si Ecclesia errare possit, cùm certum sit, Papam errare posse; tunc & Papa, & reliquo toto corpore errantibus, tota erraret Ecclesia, quod esse non posset. Experientia etiam demonstrat, quia sæpe experti sumus, & legimus, Papam, licèt caput, & principalem partem, errasse, reliquum autem corpus, Papâ errante, errasse nunquam legimus; propterea reliquum sæpe totum corpus condemnavit, aut deposuit Papam, tàm ratione fidei; quàm morum.* Hæc est definitio Concilii Generalis, & approbati à Pontifice: nam Basileense Concilium approbavit, & OEcumenicum esse, declaravit Eugenius IV. in Bullâ, quæ lecta est sessione 14. *Decernimus*, inquit, & *declaramus, præfatum Concilium Generale Basileense à tempore prædictæ inchoationis suæ legitimè continuatum fuisse, & esse &c.* Cùm ergo prædicta epistola Synodica à Synodo probata fuerit *sess. 3.* haud dubium, quin pro definitione Concilii Generalis habenda sit, & inter acta Concilii ab Eugenio approbata, numeranda, Adde. quòd Nicolaus V. Eugenii successor omnia facta, gesta, concessa, data indulta, disposita & ordinata Concilii Basileensis approbavit.

Hoc Basileense Concilium est, vel Palladium, ad quod Pontificiæ infallibilitatis hostes confugiunt; Vel equus Trojanus, ex quo armati prosiliunt. Sed reverâ potiùs, quàm Concilium Christianorum, Babelica confusio fuit. Convocatum quidem fuerat à Martino V., & ab Eugenio IV. confirmatum. Vix autem expletâ *sess.* 1. Eugenius justis, pluribusque de causis, quas refert August. Patrit. *tom. 9 Concilii col.* 1085. Concilium dissolvit, illudque Basileâ Bononiam transtulit, suumque Legatum revocavit. Hoc audito, pauci, qui Basileam convenerant, contra dissolutionem Concilii obstrepere cæperunt, contendentes, id ab Eugenio fieri non potuisse; ideòque *sess.* 2. decretum de superioritate Concilii, cæteraque contra Ecclesiæ Capitis dignitatem, pauca membra moliri ausa sunt; & ex tunc cæpit à natura Concilii legitimi deviare, & in errores prolabi usque ad depositionem Eugenii, & electionem alterius Pontificis successivè procedens. Fateor, Basileenses ad tantum facinus non statim progressos fuisse, Multa interea contra Pontificem attentata sunt, quæ in apertum schisma eruptura, videns Eugenius, pacis studio, & Principum precibus permotus, maximè Sygismundi Cæsaris, Concilio Basileensi iterùm adhærere decrevit, revocatis hincinde litteris, & gestis tùm à Pontifice contra Concilium, tùm à Concilio contra Pontificem. Hoc habetur *sess.* 14. Formâ adhæsionis sibi à Concilio præscriptâ, ideoque summæ Apostolicæ libertatis læsivâ; Litteræ Eugenii revocatoriæ dissolutionis, & adhæsionis Concilio, leguntur *sess.* 16. Verùm Concilio in dies contra supremam ejus Auctoritatem

tem moliente, & alia contrà Jus, fasque statuente, tandem Eugenius à Concilio recessit: Concilium alium Papam elegit Amedeum Sabaudiæ, Felicis nomine suscepto, aliaque subsecuta fuerunt, non sine piorum scandalo. Vicit tamen auctoritas Eugenii. Post ejus separationem, Concilium Basileense in Conventiculum versum est, & Synodus ei opposita Bononiæ, Ferratiæ, & tandem Florentiæ ab Eugenio convocata, pro legitima habita est non solùm à Latinis, sed etiam à Græcis, qui illuc convenientes pacem cum Latinis inierunt.

Hæc puto apud omnes certa esse. Difficultas est, à quo tempore Concilium Basileense deficerit esse legitimum, ejusque gesta nullius esse roboris cæperint. Volunt quidam, hoc tunc solum cæpisse ab eo tempore, quo Eugenius totaliter se à Concilio separavit, nimirùm *sess.* 19.; acta verò in prioribus sessionibus habenda esse tanquam à Concilio legitimo edita: inter quæ sunt decreta de Concilii superioritate, & infallibilitate supra Papam. In hâc sententiâ procedit argumentum contrarium Dupin.

Respondeo, negando epistolam illam Synodicam, & cætera acta Basileensis Concilii, maximè ea, quæ sunt læsiva, & injuriosa auctoritati Pontificiæ, fuisse ab Eugenio, aut ab ullo alio Pontifice confirmata. At inquis. Hoc declaravit Eugenius in Bullâ, quæ lecta fuit *sess.* 14., nimirùm Concilium illud à tempore suæ inceptionis legitimè continuatum fuisse, & OEcumenicum esse. Distinguo. Declaravit Eugenius, approbando progressum, & continuationem Basileensis Concilii, concedo, approbando decreta ejus, nego. Approbavit ergo Eugenius (ut schisma, quantùm fieri posset, declinaret) progressum, & continuationem Concilii, declarando illud incepisse, continuasse, & adhuc continuare, ut legitimum, idest habuisse, & habere progressum legitimâ auctoritate fulcitum; non enim fuerat Eugenii intentio, ut Concilium illud evacuaretur virtute suâ, si causæ, ob quas illud transtulerat, aut non essent veræ, aut non tantæ gravitatis, sicut postea ipse agnovit. Non tamen declaravit, illud continuasse legitimum quoad materiam processus, ità, quòd omnis declaratio facta per tale Concilium fuerit vera, aut approbando omnia gesta, & decreta in illo. Primum summæ prudentiæ Eugenii fuit attendentis ad circumstantias temporum. Secundum verò summæ insipientiæ fuisset. Quis enim, nisi imprudentissimus, approbaret gesta, aut decreta aliqua, antequam illa videret, examinaret, atque pleuè, & integrè ponderaret, si quid in eis minùs rectum, minùs verum, aut minùs expediens contineatur? Porrò, quod per approbationem processus, & continuationis Concilii, non intenderit Eugenius, approbare decreta in illo, vel ipsi Basileenses intellexerunt; Si enim aliter intellexissent; cur tanto studio, & tàm repetitis vicibus laborarunt per oratores suos, ut eorum decreta approbaret, & confirmaret Eugenius? Stante autem legitimatione in processu Concilii, sed non accedente confirmatione decretorum, stare potest error in decretis, ut apparet in secundâ Synodo Ephesinâ: quæ, sicut fuit legitimâ auctoritate inchoata, ità etiam continuata, quæ tamen gravissimè erravit, ut dictum est supra. Hæc, & alia plura Turrecremata, *responsione ad secundum articulum in Concilio Florentino ad Basileenses anno* 1439., quæ extat *tom.* 9. *Concil. Harduin. col.* 1269., *& lib.* 2. *summæ de Ecclesiâ cap.* 100.

XXX. Quòd autem Eugenius decreta Basileensia non confirmaverit, quin potiùs hoc detrectaverit, imò ea, quatenus lædentia summam Romani Pontificis auctoritatem, ejuraverit, manifestè evincit ejusdem Eugenii Bulla, quæ incipit *Moyses vir Dei*, edita in Concilio Florentino anno 1439., & ab eodem Concilio probata, existens 3. *p. ejusdem Concilii tom.* 9. *Concil. col.* 1004., quâ Basileensium omnia acta, gesta, statuta, & decreta, maximè in duabus ultimis sessionibus circa veritatum suarum approbationem, & temerariam depositionem, cassavit, revocavit, & annullavit, ut perniciosa, & à nullam habentibus potestatem temerè condita; decernens, puniendos tanquam hæreticos cum suis fautoribus, ultra statutas pœnas, æterno

Dei

Dei Judicio, ut qui confusionem, atque scissuram in Ecclesiâ Dei, & Principatu Ecclesiastici Ordinis ponere conarentur.

Neque ea confirmavit Nicolaus V. Eugenii successor. Is enim, ut videre est in eis, Bullâ positâ *tom. 8. Concil.*, in Calce Concilii Basileensis, solùm pro bono pacis confirmavit, & approbavit omnia gesta in materiâ concessionum, dispositionum, beneficiorum, aliarumve dignitatum collatorum, sive à Concilio, sive à Felice Papa nuncupato; quòd totum tangit materiam facti. Non autem approbavit, aut tetigit decreta circa dogmata, aut materiam Juris.

Hactenùs dicta confirmat Concilium Lateranense quintum sub Leone X. *sess. 11.* ubi, Concilio approbante, Leo annullans pragmaticam sanctionem, sic ait: *Nec illud nos movere debet, quòd sanctio ipsa, & in eâ contenta in Basileensi Concilio edita, & ipso Concilio instante, à Bituricensi congregatione recepta, & acceptata fuerunt; Cùm ea omnia post translationem ejusdem Basileensis Concilii per felicis memoriæ Eugenium Papam IV. etiam Prædecessorem nostrum factam, à Basileensi Conciliabulo, seù potiùs Conventiculâ, quæ præsertim post hujusmodi translationem Concilium ampliùs appellari non merebatur, facta extiterint, ac propterea nullum robur habere potuerint: cùm etiam solum Romanum Pontificem pro tempore existentem, tanquam auctoritatem super omnia Concilia habentem, tàm Conciliorum indicendorum, transferendorum, ac dissolvendorum plenum jus, & potestatem habere, neàum ex Sacræ Scripturæ testimonio, dictis Sanctorum Patrum, ac aliorum Romanorum Pontificum etiam prædecessorum nostrorum, Sacrorumque Canonum decretis, sed propriâ etiam eorumdem Conciliorum confessione, manifestè constet* &c. Deinde refert aliqua Concilia id confitentia.

XXXI. Verùm, quia respondere quis posset, Leonem X. vocare Concilium Basileense Conciliabulum, conventiculam, nullius roboris in ipso gesta, post separationem Eugenii IV. ab ipso, non verò ante; ideoque nil tetigisse, sed reliquisse in suo robore decreta de superioritate, & infallibilitate Concilii supra Papam, sicut & præfatam epistolam Synodicam,

Propterea sic insto primò. Qui habet auctoritatem super omnia Concilia, est superior Conciliis; sed Leo dicit, Papam habere auctoritatem super omnia Concilia, ità, ut si ipse à Concilio recedat, Concilium transeat in conciliabulum; ergo Papa superior Concilio est; ergo firmitatem, & infallibilitatem habet Concilium ex adhæsione Papæ Concilio.

Secundò. Ille est ex se infallibilis, ex cujus approbatione, & subscriptione robur accipiunt acta Conciliorum, sed Leo X. inferiùs dicit, consueverunt antiquorum Conciliorum Patres, pro eorum, quæ in suis Conciliis gesta fuerunt, corroboratione, à Romano Pontifice subscriptionem, approbationemque humiliter petere, & obtinere; ergo Papa dat Concilio infallibilitatem, non Concilium Papæ.

Tertiò. Concilia à Romano Pontifice non approbata, nullius roboris sunt, errareque possunt, ut supra ostendimus; sed Concilium Basileense Romani Pontificis approbationem non obtinuit: subdit enim Leo: *Quàm laudabilem consuetudinem* (nimirùm obtinendi approbationem) *si Bituricenses, & Basileenses secuti fuissent, hujusmodi molestiâ proculdubio careremus*, scilicet Pragmaticam sanctionem abolendi; Ergo &c.

XXXII. Objicit sextò, Parisiensem Academiam contra Romani Pontificis infallibilitatem semper pugnasse.

Respondeo. Veriùs dixisset, ex Parisiensi Academiâ aliquos, non omnes. Parisiensis enim facultatis Doctores, & Professores fuere D. Thomas, Thomas Waldensis, Thomas Beckamis, Duvalius, Ludovicus Bail, Coeffeteau Ordinis Prædicatorum Episcopus Massiliensis, Carolus Franciscus Abra Episcopus Vabrensis, Abelly Episcopus Ruthenensis, aliique: quorum dicta referunt Matthias à Coronâ *tract. 2. de potestate Spirituali circa res fidei cap. 16. §. 7. 8.*, & Aloysius Andruzzi *de perpetuâ Ecclesiæ doctrinâ de infallibilitate Papæ lib. 1. cap. 4. &c.* qui omnes pro infallibilitate Papæ steterunt;

terunt; quibus adjungendus est Cornelius Iprensis supra relatus; Augustinus item Triumphus, qui seculo 13. floruit, fuitque Parisiensis Academiæ sub D. Thomâ, & Bonaventurâ alumnus *de Potestate Ecclesiasticâ quest. 10. art. 1.*, ubi quærit, utrum ad Pontificem spectet determinare, quæ sunt fidei, & sic resolvit. *Ad illum ergo pertinet determinare, quæ sunt fidei, qui est Caput totius Ecclesiæ, talis autem est Summus Pontifex successor Petri, pro cujus fide singulariter rogavit Salvator Lucæ 12., quando dixit*, ego pro te rogavi Petre, ut non deficiat fides tua. Tu autem aliquando conversus confirma fratres tuos. *Istud autem satis figuratum est Exodi 18., ubi dictum est Moysi, qui fuit Rector Judæorum, sicut Papa est Rector omnium Christianorum*: esto tu populo in his, quæ ad Deum pertinent, ut ostendas ei cæremonias, & ritum colendi Deum. *Sicut ergo omnes quæstiones emergentes de Lege, & de Cultu Dei, reservabantur Moysi determinandæ; sic omnia, quæ sunt fidei Christianæ, Papa est propriè determinare. Unde dicit Cyrillus in libro Thesauri.* Ut membra maneamus in Capite, in nostro Apostolico Throno Romanorum Pontifice maneamus: à quo nostrum est quærere, quid credere, quid tenere, & quid quærere debeamus. Maximus *in ep. Orientalibus missâ* dicit, omnes fines Orbis terræ, qui Dominum sincerè receperunt, & ubique terrarum Chatholici veram fidem confitentes, in Pontificem Romanum tanquam in Solem respiciunt, & ex ipso lumine Catholicæ, & Apostolicæ fidei recipiunt veritatem. *Nec immeritò, quia Petrus legitur primò perfectam fidem esse confessus, Domino revelante, cùm dixit Matth. 16.* Tu es Christus filius Dei vivi. Hæc Triumphus. Quæ ideò describere statui, ut omnes videant, quàm subdolè Dupin ipsum in suam sententiam trahere conetur: Nam *quæst. 5. art. 1.* à Dupin citatâ Triumphus loquitur de Papâ, ut quædam Persona est, dicens, quòd si laberetur in hæresim *ipso facto esset depositus*; Non de Papâ, ut Caput Ecclesiæ, & ut ex Cathedrâ totam Ecclesiam docet: sic enim errare in fide non posse sustinet Triumphus citato loco.

Amplissimè etiam de Romani Pontificis auctoritate sensit Petrus de Marcâ in admonitione edita anno 1641. præfixa suo Operi *de Concordiâ Sacerdotii, & Imperii*, ubi Romanæ Sedi integram vindicat auctoritatem, præsertim *in judiciis sine provocatione reddendis*, & *lib. 1. Concordiæ cap. 2.* inter alia multa dicit, *communi omnium Ecclesiarum consensu fuisse receptum, ut Cathedram Petri, tanquam in descriptione circulari lineæ ad centrum respicerent, non solùm nos docuit Leo I., sed omnes Africani Patres*: inde citans Cyprianum *epistol. 55.*, *Optatum lib. 2. contr. Parmenianum*, D. Hieronymum *epistol. ad Damasum*, ad ostendendum Ecclesiam Romanam esse centrum unitatis, concludit ex Gelasio primo in *tractatu adversùs Græcos*, Ecclesiæ Romanæ Principatum ab unitate Ecclesiæ, quam Christus sermone directo ad Petrum instituit, esse petendum; Petrum enim solum Christus allocutus est, ut *Capite constituto, schismatis tolleretur occasio, & una monstraretur compago Corporis Christi, quæ ad unum Caput gloriosissimâ dilectionis Societate concurreret, & una esset Ecclesia, cui fideliter crederetur, unaque domus unius Domini, & unius Redemtoris, in quâ de uno pane, & de uno calice nutriremur.* Hæc Gelasius.

XXXIII. Sed dato, facultatem Parisiensem, imò totam Ecclesiam Gallicanam non admittere infallibile prorsùs Romani Pontificis judicium, etiam in materiâ fidei, nisi accedat consensus Ecclesiæ: quid de aliis facultatibus, & Ecclesiis dicit Dupin, quæ judicium Papæ judicant ex se infallibile, etiam priùsquam accedat Ecclesiæ consensus? Quid enim de Lovaniensi Academiâ, quæ in defendendâ Romani Pontificis infallibilitate extra Concilium, & præviè, ac independenter à consensu Ecclesiæ tota semper fuit? Ejus enim est ista Thesis *die 9. Octobris 1638.* exposita. *Tanta verò Pontificis hujus ex divinâ dignatione est auctoritas, ut in controversiis fidei, & morum determinatis ex Cathedrâ, Judex sit omnibus numeris absolutus, licèt Oecumenicum Concilium non accedat, quod infra Pontificem esse, non è converso, fidei proximum censemus.* Similes aliæ sunt

expositæ

expositæ anno 1638., & 1640., quibus absoluta, & prorsùs independens Romani Pontificis in definitionibus fidei, & morum infallibilitas adscritur. Quid de Duacensi, quæ anno 1714. 3. Augusti, dùm Constitutionem *Unigenitus* acceptavit, declaravit, *illos hodie re ipsâ efficacissimè, & per cuniculos adversari Sedic Apostolicæ Principatui, qui quidem vacuum, & inane Primatus Pontificie vocabulum retinent, & prædicant, sed solemnibus fidei decretis ex Petri Cathedrâ manantibus pertinaciter obsistunt.* Deinde die 17. ejusdem mensis decretum edidit, *ut ex Scripturis, Summis Pontificibus, Conciliis, Patribus, aliisque auctoribus Ecclesiasticis testimonia proferantur... quibus demonstretur, necesse esse, ut fideles eum Petro, ejusque Successoribus Ecclesiam pascentibus, seù ex Cathedrâ docentibus, perpetuò consentiant, nisi ab ovili Christi, ut oves putrida sejungi velint.* Ex Harduin. *tom. 11. Concil. columna. 1670.*

In hâc eâdem se esse sententiâ testata est Facultas Conimbricensis, quę occasione prefatæ Bullæ *Unigenitus* anno 1717. Summi Pontificis infallibilitatem prædicavit quatuor adsertis; quorum primum est tale: *Romanum Pontificem etiam extra Concilium, supra quod est, de re dogmaticâ, sive de rebus ad fidem, & mores pertinentibus è Cathedrâ docentem universa Ecclesia fideles, habere adsistentiam infallibilem Spiritus Sancti, proindeque nec decipi, nec decipere posse.*

Idem confessa est Clementi XI. Ecclesia Hispalensis: fusis litteris ad ipsum datis, occasione Bullarum *Vineam Domini Sabaoth: & Unigenitus Dei filius*; de quibus sic loquitur: *Utramque cacâ fidei obedientiâ amplexati sumus, tanquam Dei è Cęlo pronunciantis oracula, nullius examini obnoxia, nullius acceptationis indiga, non quasi assensu nostro aliquid illis auctoritatis, aut roboris adderemus &c.* Hoc idem testantur cæteræ Hispaniarum Ecclesiæ, ac Universitates. Pro Academiâ Salmanticensi *integro tomo* infallibilitatem Summi Pontificis testatus est P. Aguirre postea Cardinalis. In idem conspirant Catholicæ Germaniæ Academiæ, & quotquot in Italiâ sunt in hoc jurant; adeò ut, exceptis Parisiensis Facultatis Professoribus, hisque nec tamen omnibus, sicut, nec omnibus Gallicanis Ecclesiis, vix reperias Ecclesiam Catholicam particularem, aut Universitatem, quæ Pontificis Romani infallibilitati, etiam dùm definit extra Concilium, cęcâ obedientiâ non subscribat.

XXXIV. Dicam ergo sic. Dogma, in quo omnes Ecclesiæ, & Universitates Catholicæ consentiunt, quamvis ex aliquâ particulari Ecclesiâ, & Universitate aliqui contradicant, ut dogma certum, & infallibile tenendum est; In dogmate, quòd Romanus Pontifex ex Cathedrâ docens universam Ecclesiam aliquam veritatem spectantem aut fidem, aut mores, etiamsi doceat extra Concilium, infallibilis sit, nec errare queat in docendo, independenter à quocumque consensu subsequuto, consentiunt omnes Ecclesiæ, & Universitates totius Orbis Catholici, & solùm aliqui ex Gallicanâ Ecclesiâ, aut Parisiensi facultate refragantur; ergo tenendum est tanquam dogma infallibile. Major patet, quia ut aliquid dicatur, & sit ab universâ Ecclesiâ acceptatum, non obest, si aliqui, iique pauci, acceptare recusent, dummodo cæteri acceptent.

Satis, superque hanc quæstionem evoluimus. Omittimus alia, quia sive apud Canum *toto lib. 6. de Locis Theologicis*, sive apud Bellarminum *de Romano Pontifice integro 4. libro*, sive apud Dominic. à SS. Trinitate *Bibliothec. Theologica lib. 3. sect. 4. cap. 16. 17. 18. & 19.*, sive apud alios quamplures videri poterunt.



DUBIUM VII.

Locus ab auctoritate SS. Patrum.

§. I.

Quædam præmittuntur.

SAnctorum, veterumque Patrum auctoritatem de gradu dejicere moliuntur recentiores hæretici, præeunte Luthero, qui in suis scriptis passim Patrum auctoritatem pessundat, & præsertim *lib. contr. Regem Angliæ* dicens: *Ità fit, ut ego clamem Evangelium, Evangelium, Christus, Christus: Ipsi respondent: Patres, Patres, usus, usus, statuta, statuta. Ubi verò dico, Patres, usum, statuta sæpiùs errasse, oportere ejusmodi firmiore, & certiore auctoritate munire, Christum verò non posse errare. Hìc piscibus magis muti, &c., ut Scriptura dicit: sicut aspides surdæ obturant aures, ne audiant vocem incantantis. Aut hoc denuò, quod semper in summâ natat salivâ, mihi reddunt. Ambrosius sic dicit. Tu ne doctior es Ambrosio? &c.* Quod impudentiùs repetit *lib. de abrogandâ Missâ privatâ.*

Idem dixisse visus est S. Augustin. pluribus in locis, quæ adfert Gratianus 9., *dist.*, tùm ex prologo *lib. 3. de Trinit.*, tùm *lib. 4. de anima, & ejus origine contr. Vincentium Victorem c. 1.*, tùm ad *Hieronymum ep. 19*, modò 82. *c. 1.*, ubi ait: *Solis eis scripturarum libris, qui jam Canonici appellantur, didici, hunc timorem, honoremque deferre, ut nullum eorum auctorem scribendo aliquid errasse, firmissimè credam.... Alios autem ità lego, ut quantâlibet sanctitate, doctrinâque præpolleant, non ideò verum putem, quia ipsi ità senserunt: sed quia mihi, vel per illos Auctores Canonicos, vel probabili ratione, quod à vero non abhorreat, persuadere potuerunt.* Idem ait *epistol. ad Vincentium 48.*, modò 93. *cap. 10.*, & *lib. 2. de Baptismo contr. Donat. cap. 3.*, ubi ait, quemcumque Episcoporum, aut Doctorum (solâ exceptâ Scripturâ) *per concilia licere reprehendi, si quid in eis fortè à veritate deviatum est.* Ex his ergo D. Augustini repetitis testimoniis videtur sequi, nullum omnino à Sanctis Doctoribus firmum argumentum duci posse ad fidei, Theologiæve dogmata comprobanda.

Auctoritate D. Augustini roboratus hoc idem testari videtur ejus discipulus D. Thom. 1. *p. quæst.* 1. *art.* 8. *ad* 2. his verbis. *Auctoritatibus autem canonicæ scripturæ* (Sacra Doctrina) *utitur propriè ex necessitate argumentando. Auctoritatibus autem aliorum Doctorum Ecclesiæ, quasi arguendo ex propriis, sed probabiliter. Innititur enim fides nostra revelationi Apostolis, & Prophetis factæ, qui canonicos libros scripserunt, non autem revelationi; si qua fuit, aliis doctoribus facta.* Ubi S. Doctor nedùm suam sententiam profert, sed etiam rationem adducit, quia nimirùm Theologia conclusiones suas necessarias trahere debet ex principiis infallibilibus, qualia sunt scripturæ canonicæ, secùs verò scripta SS. PP., in quibus, ut dicemus, unam, vel alteram falsitatem licet reperire, vel in his etiam, quæ ad fidem pertinent.

II. Ut ergo in hâc re, quàm fieri poterit, veritatem indagemus, de auctoritate SS. PP. trifariam possumus disputare. Primò de unius, vel alterius proprio placito, quale fuisse videtur illud S. Augustini *lib. 4. super Genes. ad lit. c. 22, & 11. de Civ. Dei cap. 9.* (de quo D. Thom. 1. *p. qu* 74. *art.* 2.) de diebus creationis mundi, nimirùm *quòd omnes, qui dicuntur septem dies sint unus dies septempliciter rebus præsentatus:* Et alia ejusdem S. Doctoris circa pœnam parvulorum sine Baptismo decedentium. Secundò de communi plurium Patrum consensu, à quo tamen unus, aut alter desciverit. Tertiò de omnium omnino Patrum unanimi, concordique sententiâ, nemine dissentiente.

Rursùm id considerandum est, Patrum testimonia referri posse, vel ad Philosophiæ confirmanda dogmata, vel ad assertiones, aut fidei, aut Theologiæ comprobandas. Erant enim ex Sanctis Patribus quidam nedùm in Sacris Litteris, & Disciplinâ Christianâ, sed etiam in Philosophicis eruditi.

Id

Id etiam advertendum est, in quæstionibus etiam Ecclesiasticis duo esse disputationum genera. Alterum, quæ ad fidem spectant, aut Doctrinam Catholicam, sive ex Doctrinâ Catholicâ necessariò inferuntur. Alterum, quæ citra jacturam pietatis, salvâque fide in utramque partem agitari possunt, quia nec revelata sunt, nec cum revelatis connexionem habent; idcòque nedùm ab imperitis, verùm & à doctis ignorari possunt, uti sunt illæ, quæ in scholis Theologorum Catholicorum hinc inde, salvâ fide, & pietate, etiam nunc disputantur.

III. Hìc quæret aliquis quos nomine *Ecclesiæ Patrum* intelligamus.

Ad hoc dico, tria requiri ad hoc, ut aliquis inter Ecclesiæ Patres habeatur. Primò antiquitatem, ut scilicet sit de numero illorum, qui seculo Apostolorum, aut virorum Apostolicorum vicini, vel saltem non longè remoti fuerunt, quique propterea fidei plantandæ adlaboraverunt, vel pro eâ saltem tuendâ insudarunt. Juniores enim Doctores, esto in latâ quâdam significatione dici possint Patres, propriè tamen potiùs Pedagogi dicuntur, *Pater* enim *est*, *qui primò generat*, *Pedagogus verò*, *qui jam natum nutrit*, *& erudit*: ità D. Thom. *in c.* 4. 1. *ad Cor. lect.* 3. super illa verba *Etsi decem millia pedagogorum habeatis in Christo*, *sed non multos Patres*. *Dicit ergo* (ait D. Thom.) *Apostolus se patrem eorum in Christo*, *quia eis primò Evangelium prædicavit*. *Unde adsignans rationem ejus*, *quod dixerat*, *subdit*: nam in Christo Jesu per Evangelium ego vos genui. Id tamen non tollit, quin geniti ab Apostolis, quique relatè ad illos sunt filii, respectu subsequentium fidelium, quos in Christo genuerunt, Patres dici possint: unde D. Augustinus exponens illud Psalm. 44. *Pro patribus tuis nati sunt tibi filii*, *constitues eos Principes super omnem terram*, dicit, hos esse Episcopos, qui filii Apostolorum Patres sunt succedentium populorum.

Secundò ad veram notionem Patris requiritur vera fides. Quare, qui ex præfatis priorum seculorum Doctoribus apertè, & pertinaciter, hoc est post Ecclesiæ definitionem, hæretici fuere, & permansere, Ecclesiæ Patribus adnumerandi non sunt; neque ex eorum auctoritate petendum est argumentum, nisi fortè in dirimendis fidei controversiis adducantur, ut traditionis testes. Non loquor tamen de iis, qui in uno, vel altero errore versati sunt circa quæstiones fidei obscuras, & nondùm definitas, alioquin parati sententiam suam deponere, si Ecclesia in oppositum definiret. Quo pacto D. Cyprianus inter Patres summo loco habendus est; quia, esto in errore rebaptizantium hæreticos fuerit, paratus tamen erat retractare suam opinionem, si Ecclesia oppositum statuisset. Ità eum defendit S. August. *lib.* 2. *de Baptismo cap.* 4. Imò priusquam aliqua quæstio obscuritatem habens definiatur, necesse est, ut prius in utramque partem disputationibus, & altercationibus ventiletur. *Quomodo enim* (inquit p. laudatus Doctor) *potuit ista res tantis altercationum nebulis involuta ad plenarii Concilii luculentam illustrationem, confirmationemque perduci*, *nisi primò diutiùs per orbis terrarum regiones*, *multis hinc*, *atque hinc disputationibus*, *& collationibus Episcoporum pertractata constaret?*

Tertiò requiritur ad verum Ecclesiæ Doctoris characterem fidei conjuncta doctrina, non qualiscumque, sed excellens, quæque sibi junctam referat vitæ sanctitatem. Nam licet fidem necessariò non comitetur sublimis doctrina, nec sublimis doctrina inferat vitæ sanctitatem, in Ecclesiæ tamen Doctore hæc omnia debent sociari. Patres enim Doctores in Ecclesiâ posuit Spiritus Sanctus, ut essent in ædificationem Corporis Christi, ac lumina, ad quæ fideles respicerent, tùm in agnoscendis fidei mysteriis, tùm in moribus componendis: oportet ergo, ut præditi sint speciali, & eximiâ mysteriorum fidei cognitione, & rursùs eximiâ erga Deum pietate, & caritate, *qui enim fecerit*, *& docuerit*, *hic magnus vocabitur in Regno Cælorum*; Matth. 5. v. 19.

Observandum denique est id, quod Patres scripserunt; An obiter tantùm scripserunt, & quasi aliud agentes; an verò pri-

primò, principaliter, & ex proposito de tali materiâ tractantes; & hoc, an semel tantum, vel sæpè, & constanter affirmarint; sivè dogmaticè, & positivè docendo; sive disputativè, contentiosè contra hæreticos agendo: ut Anastasius contra Arianos, Basilius, Hilarius &c.: Augustinus contra Donatistas, Manicheos, Pelagianos, Arianos &c.: S. Leo contra Nestorianos, Eutichianos &c. Rursùs observandum, quid de eorum doctrinâ in rebus Theologicis Ecclesia sanxerit, num illam approbaverit, vel saltem in dubiis eos consuluerit &c. His omnibus prænotatis.

IV. Hæretici, licèt Patrum auctoritatem, quùm eis objicitur, flocci faciant; tamen, ut faciliùs fucum simplicibus faciant, suos errores auctoritate Patrum tegere aliquando studuerunt. Id maximè præstant moderni hæretici: Lutherus enim postquam omnes Patres damnavit erroris, ut diximus, non raró tamen eorum auctoritate se tueri conatur. Calvinus item *in præfat. ad suas Instit.*, licèt in Patribus suos nævos adesse affirmet, & eorum scripta nobis servire quidem, sed non dominari debere dicat, conatur tamen ibidem, & alibi passim Patrum clypeo se munire. Imò *in syntagmate confessionum Protestantium*, post enumeratas varias in variis eorum Pseudo-Synodis Confessiones, adnectuntur etiam pro singulis articulis suæ doctrinæ testimonia veterum, qui Patres dicuntur. Verùm hoc est Patribus reverà illudere, non honorem deferre. Catholici verò omnes summo in honore Patres habent, tanquam sanæ doctrinæ custodes, & traditionis testes, eo modo, quo infra dicemus.

§. II.

Assertiones statuuntur.

V. Dico primò. Doctrina Philosophica, & purè humana nullam habens connexionem cum fidei dogmate, quæ in scriptis unius, vel plurium Patrum inveniatur, certum argumentum ex eorum auctoritate nobis non suppeditat, sed solùm tantum valet, quantum ratio allata persuaserit, ità, ut, si ratio allata sit tantùm probabilis, faciat argumentum probabile, si verò sit demonstrativa, demonstrativum.

Ratio est primò, quia Spiritus Sanctus non adsistit Ecclesiæ, aut ejus Doctoribus, ut Philosophi sint, sed ut doceant ea, quæ sunt ad *consummationem Sanctorum, in ædificationem Corporis Christi*, ut docet Divus Paulus *Ephes. 4. 12.* & ut vanam philosophiam, & seductivam vitare fideles instruant, ut jam *non simus parvuli fluctuantes, & circumferamus omni vento doctrinæ &c.*, ut subdit idem Paulus *v. 14.*

Unde Patres non fuerunt solliciti in Philosophicis dogmatibus perscrutandis: qui n Philosophorum libros, aut valere sinebant, aut etiam interdùm à limine salutabant, ut totos sese divinę sapientię dederent. Gregorius quippe Nazianzenus, & Basilius tredecim annos, omnibus libris sæcularium remotis, solis divinę scripturæ voluminibus operam dedisse, referuntur à Ruffino *lib. 2. hist. Eccles. cap. 9.* Et Hieronym. *lib. 3. comment. super ep.* ad Galat. *Plus* (inquit) *quàm quindecim anni sunt, ex quo in manus meas nunquam Tullius, nunquam Maro, nunquam Gentilium litterarum quilibet auctor ascendit: etsi quid fortè inde, dùm loquimur, obrepit, quasi antiqui per nebulam somnii recordamur.* Et infra de studio Fidelium sui temporis sic ait: *Quotus quisque nunc Aristotelem legit? quanti Platonis, vel libros noverc, vel nomen? Vix in angulis otiosi eos senes recolunt. Rusticanos verò, & Piscatores nostros totus Orbis loquitur, universus mundus sonat.* Audiant hæc, qui in Aristotelis evolvendis Philosophicis, Metaphysicisque quæstionibus totâ vitâ occupati, sacrorum librorum nec titulum noverunt, cosque, si qui habent, vix unquam lectione dignantur.

Insuper ex antiquis Patribus nonnulli Physicen, aut Metaphysicen, vel non habuere, vel certè leviter attigerunt. Alii verò magna ex parte fuere Platonici priùs, quàm converterentur ad fidem. Ex quo fit, ut dùm in philosophicas quæstiones incidunt, aut vulgi, aut Rhetorum opiniones sequantur, aut etiam quas

quas à Platonicis acceperant in Christianorum Scholas inducant; Unde viri docti errores fortè quosdam in Patrum scriptis notarunt, quod attinet ad humanam Philosophiam, quos persequi, nec vacat modò, nec expedit. Satis enim ex dictis apparet, in Philosophicis dicta Patrum facienda tanti esse, quanti valet naturalis ratio, quam adducunt.

VI. Dico secundò. In rebus, quæ nec fidei dogmata sunt, neque ex his certò derivantur, argumentum sumtum ex communi etiam consensu SS. PP., est quidem probabilissimum, non tamen per se loquendo certum de fide est. Prima pars constat: quo enim majori auctoritatis pondere firmari potest probabilitas alicujus opinionis, quàm consensu tot virorum, sanctitate, & doctrinâ illustrium? Certè, qui contrarium opinari vellet, temeritatis notam vix effugeret.

Secunda verò pars probatur: nam in hujuscemodi quæstionibus fidei summam nullatenùs tangentibus, ac proinde hincinde disputabilibus, Patres loquuntur, non ut custodes traditionis, neque ut testes doctrinæ Ecclesiæ (in quo casu posuit illos Spiritus Sanctus, ut Ecclesiæ Doctores) sed ut privati Doctores proprium sensum exprimentes; atqui Patres etiam communi consensu sic loquentes, esto faciant argumentum probabilissimum, non ità tamen certum, ut vel fide sit tenendum, vel excludat omnem formidinem de opposito, homines enim sunt, & possunt errare; ergo &c.

Noto tamen, nullum fortè problema inveniri posse, in cujus alterâ parte omnes Sancti Patres consentiant, quin illud ad fidem spectet. Si namque est doctrina omnium Sanctorum Patrum, etsi in scripturis expressè non habeatur, est tamen signum evidens, vel ex scripturis necessariò deduci, vel esse saltem doctrinam ab Apostolis per traditionem relictam.

VII. Dico tertiò. Auctoritas unius Patris, vel paucorum, etiam in rebus, quæ sacras litteras, vel doctrinam fidei concernant, non facit argumentum de fide, sed probabile tantùm. Imò nec etiamsi ex majori parte conveniant in aliquâ ejusmodi re Patres, si tamen pauci alii, vel tantùm unus, summæ tamen auctoritatis, dissentiant, nisi fortè singularis hujus, vel horum opinio sit ab Ecclesiâ reprobata.

Prima Pars est manifesta. Primò, quia multi Sanctorum Patrum aliqua dixerunt quorum oppositum postea, ut de fide definitum fuit, vel quia eorum tempore veritas nondùm sufficienter erat comperta, aut Ecclesiæ auctoritate firmata, ut de S. Cypriano dicit S. Augustinus *lib. 1. de Baptismo cap. 18.* Vel etiam, quia putabant, emergentes illas quæstiones ad doctrinam fidei minimè pertinere: unde D. Cyprianum volunt multi existimasse; doctrinam de repabtizandis hæreticis, non fidem, sed puram disciplinam concernere.

Secundò probatur: non enim plus auctoritatis tribuendum est Patribus, quàm ipsi sibi tribui voluerunt; sed noluerunt Patres sibi distributivè tantùm, aut seorsim sumtis irrefragabilem tribui auctoritatem, nec majorem sibi fidem haberi voluerunt, quàm hominibus, doctis quidem, sed qui docendo errare potuerunt; ergo &c. minor probatur eorumdem Patrum testimonio. Hieronymus *ep. 83.* aliàs 84. *ad Magnum*, recensitis Patribus, qui ante ipsum scripserunt, fatetur, se comparatione illorum *imperitissimum*. *Epist. 43. ad Ctesifontem* adversùs Pelagianos: *Si quid* (inquit) *in meo ingeniolo vitii repererint, proferant in medium. Aut enim bona erunt, & contradicam eorum calumniæ: aut reprehensibilia, & confitebor errorem, malens emendari, quàm perseverare in pravitate sententiæ.* Idem fatetur *in Isaia cap. 19. 22. In Ezechiel. cap. 18.* probato proprio sensu. *Si quis autem* (inquit) *vel meliorem, vel alterum sensum potuerit reperire, qui contrariorum inter se testimoniorum scandalum tollat, illius magis acquiescendum sententiâ est*; quod repetit in *c. 26.* in *c. 39.*, ubi sic concludit: *Hucusque in Ezechiel Prophetam, Deo, ut optamus, & credimus, auxiliante, & aperiente os nostrum, loquuti summus: non aliorum, si qui scripserunt, vel deinceps scripturi sunt, sententiam destruentes; sed adserentes qualiacumque sunt nostra.*

Præ omnibus verò modestiam suam expressit

pressit S. Augustinus *in lib. retractationum*, ubi emendavit, quæ mendosè scripserat *in lib. 4. de animâ cap. 1.* ad Vincentium Victorem, qui eum de doctrinâ laudaverat. Item *l. 2. de ordine*, ubi postquam *c. 9.* ostenderat, humanam auctoritatem plerumque falli, *cap. 10.* subdit, nolle sibi credi, nisi docenti, & rationem reddenti; & *lib. 2. de Baptismo contra Donat cap. 3.* apertè dicit, omnia Episcoporum, & Doctorum scripta, solâ excepta Divinâ Scripturâ, *licere reprehendi*, non per quemlibet tamen privatum doctorem (ut hæretici putant) *sed per sermonem fortè sapientiorem cujuslibet in ea re peritioris, & per aliorum Episcoporum graviorem auctoritatem, doctioremque prudentiam, & per concilia.* De suâ verò doctrinâ in *Proœmio lib. 3. de Trinitate* sic dicit: *Sanè cùm in omnibus litteris meis non solùm pium lectorem, sed etiam liberum correctorem desiderem, multò maximè in his, ubi ipsa magnitudo quæstionis utinam tàm multos inventores habere posset, quàm multos contradictores habet.* Ne autem ex hoc hæretici putent, datam sibi libertatem, ut à quocumque quælibet Patrum scripta carpi, & reprehendi possint, audiant quod sequitur: *Verumtamen, sicut lectorem meum nolo mihi esse deditum, ità correctorem nolo sibi. Ille me non amet amplius, quàm Catholicam Fidem; iste se non amet ampliùs, quàm Catholicam Veritatem. Sicut illi dico, noli meis litteris, quasi scripturis canonicis inservire, sed in illis, & quod non credebas, cùm inveneris, incunctanter crede; in istis autem, quod certum non habebas, nisi certum intellixeris, noli firmiter retinere: ità illi dico, noli meas litteras ex tuâ opinione, vel contentione, sed ex divinâ lectione, vel inconcussâ ratione corrigere.* Num hoc Augustini monitum servaverit Lutherus, serventque ejus, & Calvini Gregales, judicet pius, & catholicus Lector.

Tertiò probatur eadem prima pars ratione quasi à priori. Quilibet enim Sanctorum singulariter consideratus (his dumtaxat exceptis, qui libros canonicos ediderunt) spiritu, & scientiâ humanâ locutus est; ergo errare aliquando, etiam in his, quæ ad fidem spectant, potuit; ergo si considerentur singuli Patres, veluti distributivè, & seorsim, aut secundùm quòd aliqui eorum pauci in aliquo conveniunt, firmum ex eorum auctoritate sumi non potest argumentum, sed solùm probabile. Et in hoc sensu locuti sunt Sanctus Augustinus, & Thomas supra relati §. 1., dùm hic ultimus dicit *1. part. quæst. 1. art. 8. ad 2.* ex auctoritate SS. PP., nimirùm distributivè, & seorsim sumtorum, sumi argumentum solùm probabile. Cùm tamen eorum multi insignem doctrinam cum admirabili sanctitate conjunxerint, eorum auctoritas ad tantum humanæ probabilitatis fastigium evasit, ut sicut imprudentis hominis esset, paucorum tantùm SS. Patrum auctoritatem pro regulâ assumere, ità illam despicere, impudentis omnino frontis esset. Quare Viri pietate, & doctrinâ celebres eorum dictis apertè contradicere, & adversari non audent; sed si quis ab eis minùs consonè dictum visum fuit, reverenter, ac benignè interpretari consueverunt.

VIII. Secunda verò pars, nimirùm quòd nec sumi possit certum argumentum ex auctoritate majoris partis Patrum, si aliqui dissentiant, intelligenda est de illis quæstionibus, quæ fidem non tangunt, quæque salvâ fide in alterutrum defendi possunt. De quibus D. Augustinus *lib. 1. contr. Julianum c. 6. Alia sunt* (inquit), *in quibus inter se aliquando etiam doctissimi, atque optimi regulæ Catholicæ defensores, salvâ fidei compage, non consonant, & alius alio de una re meliùs aliquid dicit, & veriùs.* Si enim quæstio fidem tangit, vix invenietur aliqua propositio, quæ ab omnibus Patribus fuerit asserta, cuique unus, vel alter repugnarit, quin horum doctrina ab Ecclesiâ fuerit reprobata.

Sic ergo explicata secunda pars probatur, quia dum Patres, magnâ licèt consensione, aliquam doctrinam docent, & unus, aut alter (Ecclesiâ non contradicente) repugnat, signum est, eam ad fidem non pertinere, & consequenter ex illis, licèt pluribus, quia loquuntur ut homines, non potest firmum trahi argumentum. Unde Vincentius Lirinensis *commo-*

monit. c. 28. *antiqua* (inquit) *Sanctorum Patrum consensio, non in omnibus divinæ legis quæstiunculis, sed solùm certè præcipuè in fidei regula magno nobis studio, & investiganda est, & sequenda.* Hinc licèt omnes ferè SS. Patres, tàm Græci, quàm Latini doceant, mundi hujus partes omnes non eodem simul die, sed multis potiùs succedentibus fuisse editas, ornatas, absolutas; communis tamen hic eorum consensus certitudinem fidei non facit, uno D. Augustino in contrarium opinante, nimirùm omnes, qui dicuntur septem dies, fuisse unum diem, septempliciter præsentatum cognitioni mentis Angelicæ, ac proindè omnia simul tempore fuisse edita, ornata, & absoluta. Quam opinionem adeò probabilem D. Thom. 1. *part. quæst.* 74. *art.* 2. admittit, ut problematicè utramque sententiam defendat. Item major Patrum pars asserit, Moysen Dei naturam, dùm in hoc mortali corpore viveret, apertè, seù facie ad faciem non vidisse; & tamen hæc sententia non pertinet ad fidem, cùm oppositum teneat Divus Augustinus *lib.* 12. *de Genes. ad litteram. cap.* 27., & 28., quod & de Paulo in raptu asserit (D. Thom. dicente *quæst.* 10. *de veritate artic.* 11. ad 2., *ut in hoc Judæorum legifer, & doctor gentium æquarentur*) quamvis *lib.* 2. *contr. Maximinum cap.* 26., & *tract.* 53. *in Joann.* oppositum dicere videatur Augustinus.

IX. Dico quartò. Unanimis SS. PP. consensus in explicationem Sacræ Scripturæ, & in re pertinente ad fidem, bonosque mores, est signum à priori, & infallibile traditionum divinæ revelationis, ideòque certum, & irrefragabile nobis suppeditat argumentum. Contra hanc assertionem obstrepunt Protestantes, ut videre est in Dallæo Calvinista *Lib. de usu Patrum*. Eam tamen omnes Theologi Catholici unanimiter sustinent: Canus *lib.* 7. *de locis cap.* 3 *conclusione* 5. & 6.: Dominic. à S. Trinit. *Bibl Theolog. lib.* 2. *sect.* 5. *cap.* 6. *concl.* 4.: Natalis Alex. *histor. Eccles. secul.* 2. *dissertat.* 16. §. 12., & 23. Dallæum refellens; & quotquot de hâc materiâ Catholicè scripsere, uno excepto Cajetano *Præfat. comment. in* 5. *libr. Moys.*, quem acriter perstringit Canus; quamvis non desint, qui Cajetanum benignè interpretentur, volentes, Cajetanum locutum fuisse, vel non de omnibus Doctoribus, vel in materiâ fidem non tangente, vel nondùm ab Ecclesiâ definitâ; quod indicare videntur ejus verba, dum ait: *nullus detestetur novum Sacræ Scripturæ sensum, ex hoc, quòd dissonat à priscis Doctoribus, sed scrutetur perspicaciùs textum, ac contextum Scripturæ; & si quadrare invenerit, laudet Deum, qui non alligavit expositionem Scripturarum Sacrarum priscorum doctorum sensibus: sed Scripturæ ipsi integræ, sub Catholicæ Ecclesiæ censura.* Verùm, quomodocumque sit, conclusio posita communis est, & Catholica, debetque intelligi de generali Patrum consensu, accepto, non *mathematicè*, adeò ut ne unus quidem desit, sed *moraliter*: Cùm enim non omnium omnino, qui fuerunt Patrum, scripta habeamus, imò nec nomina sciamus, imò aliqui eorum ab Ecclesiâ defecerint, impossibile esset omnium omnino consensum explorare, aut aliquando invenire.

Hujus assertionis testes habemus primò Patres ipsos, qui in rebus fidei provocare consueverunt ad veterum traditionem, & arguere eos, qui ab eâ discesserunt. Primus est Irenæus *lib.* 3. *cap.* 3., & alibi, probans, doctrinam Apostolorum per successiones Episcoporum pervenisse usque ad nos: Et *cap.* 2. hæreticos arguens, objurgat eos, quòd præsumant plùs sapere, quàm Apostoli, eorumque Successores, quasi ipsi soli invenerint veritatem. Secundus est Clemens Alexandr. *lib.* 7. *stromat. pag.* 762, ubi ait: *Gloriæ autem tenentur desiderio, qui ea, quæ ex sua natura conveniunt sermonibus divinitùs inspiratis, tradita à Beatis Apostolis, & Magistris, suâ sponte fallaci sapientiæ simulatione corrumpunt per alias traditiones, humanis doctrinis, resistentes divinæ traditioni, ut hæresim constituant.* Deinde ostendit, hoc fecisse hæreticos ambitione ductos, ut aliquid dicerent, non dictum ab aliis: *Nam inter eos viros, qui tanti erant in Ecclesiasticâ cognitione, quid restabat dicendum à Marcione, verbi gratiâ, aut Prodico, & similibus, qui non sunt ingressi rectâ viâ?*

Hic delineavit Clemens vultum omnium hæreticorum, etiam recentium, quos omnes peperit humanæ gloriæ desiderium, & ad veteres aspernandos impulit. Quid enim restabat dicendum à Luthero, aut Calvino, & similibus, si id, quod dixerant veteres, dixissent & ipsi?

Tertius Origenes *in præfat. lib. 1. Periarchon*: *cùm* (inquit) *multi sint, qui se putent sentire, quæ Christi sunt, & nonnulli eorum diversa à prioribus sentiant, servetur Ecclesiastica prædicatio, per successionis ordinem ab Apostolis tradita, & usque ad præsens in Ecclesiis permanens: illa sola credenda est veritas, quæ in nullo ab Ecclesiasticâ discordat traditione*; & homil. 29. in Matth. *Quoties autem* (inquit) *hæretici canonicas proferunt scripturas, in quibus omnis Christianus consentit, & credit, videntur dicere: Ecce in domibus Verbum est veritatis. Sed nos illis credere non debemus, nec exire à primâ, & Ecclesiasticâ traditione, nec aliter credere, nisi quemadmodum per successionem Ecclesiæ Dei tradiderunt nobis.* Hæc Origenes.

Idem Tertull. *lib. de coronâ milit. c. 2. & 4., lib. de carne Christi c. 2., lib. de præscript. hæretic. cap. 17. 21. 28. 37.* Idem S. Athanasius *epistol. ad Afros*, ubi vocem *homousion*, quâ Arianam hæresim jugularunt, dicit, Nicænos Patres non invenisse sibimetipsis, sed à Patribus accepisse: *Episcopi non sibimetipsis ad invenientes verba, sed habentes ea à Patribus testimonia conscripserunt*, quod repetit *libro de Synodi Nicænæ decretis*. Idem S. Hieronymus *in cap. 11. Daniel. Imperitissimos* vocans, *qui Scripturæ Sanctæ intelligentiam absque Dei gratiâ, & doctrinâ majorum sibi vel maximè vendicant*. S. Ambrosius *lib. 3. de fide ad Gratian. cap. 7. Servamus igitur*, ait, *præcepta majorum, nec hæreditaria signacula ausi rudi temeritate violemus.... Librum Sacerdotalem, quis nostrum resignare audeat, signatum à confessoribus, & multorum jam martyrio consecratum.*

Accedit S. Augustinus, qui toto *lib. 2. contr. Julianum*, & præsertim *cap. 9. & 10.* argumenta Pelagianorum convellit, auctoritate Patrum Irenæi, Cypriani, Reticii, Hilarii, Olimpii, Gregorii, Ambrosii, Innocentii, Joannis, Basilii, Hieronymi; quod non fecisset certè, si argumentum ab omnium auctoritate Patrum certum non existimasset. Dico ergo sic. Cùm omnes Patres audio unum idem proferentes, non existimo, totidem hominum, quidem & doctissimorum, & sanctissimorum (sed tamen hominum) me audire sententiam, sed Catholicæ Ecclesiæ, cujus illi fuere columnæ præcipuæ. Nec enim aliud viri illi omnes tanto consensu sensisse credendi sunt, quàm quod communiter Ecclesia Catholica sentiebat; ergo doctrinam omnium Patrum signum est, esse doctrinam Ecclesiæ Catholicæ; sed ex doctrinâ Ecclesiæ Catholicæ, utpotè infallibili, validissimum pro fide sumitur argumentum; ergo similiter ex doctrinâ omnium Patrum consensu probata.

X. Confirmo hoc. Certè majus privilegium concedendum non est multitudini fidelium, quàm multitudini, & collectioni Doctorum, & Pastorum: quia licèt fideles laici quantitate numericâ Pastores, & Doctores superent, ab his tamen quantitate virtutis, & scientiæ longè illi superantur, cum ab his illi docendi sint, ac regendi; atqui fideles simplices toto orbe diffusi collectivè sumti errare nequeunt in credendo, aliàs tota erraret Ecclesia; ergo neque errare possunt omnes Doctores, & Pastores simul sumti, sive culpabiliter, sive etiam inculpabiliter, & per ignorantiam, docendo aliter, ac docendum esset: quia errantibus istis in docendo, errarent, & illi in credendo.

Urgeo hoc ex Apostolo 1. *Cor.* 12., & *ad Eph.* 4. 11. & 14. dicente: *& ipse dedit quosdam quidem Apostolos, quosdam autem Prophetas, alios verò Evangelistas, alios autem Pastores, & Doctores ad consummationem Sanctorum in opus ministerii, in ædificationem Corporis Christi.... ut jam non simus parvuli fluctuantes, & circumferamur omni vento doctrinæ, in nequitiâ hominum, in astutiâ ad circumventionem erroris*; atqui si Sancti, ac Doctores simul omnes toto Orbe diffusi, in iis, quæ fidem tangunt, errare possent, docendo, ut credendum, quod credendum non est, aut non credendum, quod credendum est, non solum

lùm non essent dati à Deo *in ædificationem Corporis Christi* (Ecclesiæ) ut non circumferrentur fideles *omni vento doctrinæ, ad circumventionem erroris*: sed potiùs ipsi errando causa essent fluctuationis, imò & erroris in populo Dei, quia populus tenetur sequi doctrinam suorum Pastorum, & Doctorum, dicente Christo *Matth.* 23. v. 3. *Omnia ergo quæcumque dixerint vobis, servate, & facite*; & *Luca* 10. v. 16. *Qui vos audit, me audit*. Ergo &c.

Item Pastores, & Doctores, quales fuere omnes Sancti Patres, dicuntur, *Matth.* 5. v. 13. *sal terræ*, quia per eos condiendi sunt quodammodo populi, & v. 14. dicuntur *lux mundi*, quia eorum doctrinâ illuminanda est Ecclesia. Si ergo sal illud, ut ait Christus, *infatuatum fuerit, in quo salietur?* idest, ut ait Augustinus *lib.* 1. de serm. Domini in monte c. 6.: *qui erunt homines, per quos à vobis error auferatur, sùm vos elegerit Deus, per quos errorem auferat cæterorum?* Item si lux non fuerit lucida, sed potiùs erroribus obscurata, quomodo totum Ecclesiæ corpus non erit tenebrosum?

Pulchrè ergo, & ad rem aptissimè Vincentius Lirinensis *common.* 1. c. 28. *Quorum* (inquit) *beatorum Patrum sanctum, Catholicumque consensum, ne quis sibi temerè contemnendum fortè arbitretur, ait in prima ad Corinthios Apostolus*: & quosdam quidem posuit Deus in Ecclesia, primùm Apostolos (*quorum ipse unus erat*) secundò Prophetas (*qualem in Actibus Apostolorum legimus Agabum*) tertiò Doctores, *qui tractatores nunc appellantur, quos hic idem Apostolus etiam Prophetas interdum nuncupat, eò quòd per eos Prophetarum mysteria populis aperiantur. Hos ergo in Ecclesia Dei divinitùs per tempora, & loca dispensatos, quisquis in sensu Catholici dogmatis unum aliquid in Christo sentientes contemserit, non hominem contemnit, sed Deum &c.*

XI. Hanc veritatem exemplo suo testata sunt Concilia, & Pontifices ipsi: quoties enim aliquid circa fidem occurrit determinandum, singulari diligentiâ præcedentium Patrum monumenta scrutari consueverunt, & ubi concordes illos invenerunt, secundùm eorum sententiam definitiones protulerunt. Concilium Nicænum primum, teste Athanasio *ep. ad Afros supra laudatâ* vocem *homousion* statuit, quia eam à Patribus acceperit; atque Eusebius Cæsariensis testatur, ob eandem causam se eidem voci subscripsisse. Ità *epist.*, quam refert Theodoretus *histor. Ecclesf. lib.* 1. c. 12. *quandoquidem* (inquit) *nonnullos ex veteribus insignes Episcopos, & disertos scriptores in explicanda Patris, ac Filii divinitate, hoc vocabulo* consubstantialis *usos esse cognovimus*.

In Concilio Ephesino passim, & maximè *act.* 1., ex relatis Patrum sententiis Nestorius damnatus est. Patres Concilii Chalcedonensis *act.* 1. & 4. profitentur, se regulam SS. Patrum amplecti, & maximè *in allocutione ad Marcianum Imperatorem*, quæ habetur 3. p. *Conc. Chalc. c.* 1. Justinianus Imperator in Concilium Constantinopolitanum secundum *tom.* 3. *Concil. Hardnin.* col. 58. *sequimur autem* (inquit) *in omnibus SS. Patres, & Doctores Sanctæ Dei Ecclesiæ, idest Athanasium, Hilarium, Basilium, Gregorium Theologum, & Gregorium Nissenum, Ambrosium, Theophilum, Joannem Constantinopolitanum, Cyrillum, Augustinum, Proculum, Leonem. & omnia, quæ ab his de fide rectâ, & ad condemnationem hæreticorum conscripta, & exposita sunt, suscepimus*. Quod repetitur in eodem Concilio *collat.* 3. *column.* 71. iisdem ferè verbis, addendo *alios Sanctos, & orthodoxos Patres, qui in sancta Dei Ecclesia rectam fidem irreprehensibiliter usque ad finem vitæ suæ prædicaverunt*. Quibus relictis in Concilio Lateranensi anno 649., Martinus Papa dixit: *Manifestatur nobis ex hic, quæ relecta sunt, sive definita à Sancto quinto Concilio, condemnatum esse, & alienum Sanctæ Dei Ecclesiæ unumquemque, qui non susceperit verbo, & mente omnes sanctas Synodos, & venerabiles Patres, cunctaque, quæ ab eis pro orthodoxa fide exposita sunt, in destructionem omnium hæresum*. Idem Constantinopolitana tertia, seù sexta Generalis Synodus *act.* 18. expressè profitetur, quod & septima Synodus, seù Ni-

Nicena secunda protestatur, dùm *act* 7. decretum edidit pro cultu Imaginum contra Iconomachos his verbis: *sanctorum nostrorum, & divinorum Patrum doctrinæ insistentes &c.* Et infra: *hæc est fides Apostolorum: hæc est fides Patrum &c.* Opus erat percurrere omnia Concilia, quę in suis decretis formandis semper ad Patres, eorumque dicta respexere. Qui plura desiderat, adeat Magist. Canum. *lib. 7. de locis cap. 3. conclus. 5.*, & integrum Vincentii Lirinensis *commonitorium* attentè perlegat.

Meritò igitur Concilium Tridentinum *sess.* 4. hisce verbis veterum Conciliorum mentem, ac suam exprimens, *Ad coercenda petulantia ingenia decernit, ut nemo suæ prudentiæ innixus, in rebus fidei, & morum, ad ædificationem Doctrinæ Christianæ pertinentium, Sacram Scripturam ad suos sensus contorquens, contra eum sensum, quem tenuit, & tenet Sancta Mater Ecclesia . . . . aut etiam contra unanimem consensum Patrum, ipsam Scripturam Sacram interpretari audeat &c.*

§. III.

Solvuntur argumenta contra ultimam conclusionem.

PAtrum auctoritatem enervare totis viribus conantur Heterodoxi, inter quos Rivetus, & Dallæus, sperantes, Patrum auctoritate de medio sublatâ, se traditiones non scriptas funditùs evertisse.

XII. Primò ergo objiciunt Augustinum *lib. 11. contra Faustum cap. 5.*, & locis supra citatis §. 3. *hujus dubii*, quibus soli Scripturæ Canonicæ infallibilem tribuit auctoritatem; quæ autem ab aliis scripta sunt, *non cum credendi necessitate, sed cum judicandi libertate* legenda sunt: *liberum ibi habet lector auditorve judicium. quo vel approbet, quod placuerit, vel improbet, quod offenderit &c.*; Ergo negat Augustinus tantam esse Patrum auctoritatem, ut illis dicentibus adhærere teneantur.

Respondeo disting. conseq., ut illis seorsim, ac distributivè dicentibus &c., conc. consequentiam, illis collectivè, & simul sumtis, nego consequentiam. Ponit ergo Augustinus differentiam inter Scriptores Sacros, seù Canonicos, & alios Doctores, quòd cuilibet Sacro Scriptori seorsim, & sigillatim sumto cum necessitate credendum est, etiamsi unus sit, ait enim: *In illa verò Canonica eminentia Sacrarum Litterarum, etiamsi unus Propheta, seù Apostolus, aut Evangelista aliquid in suis litteris posuisse, ipsâ Canonis confirmatione declaratur, non licet dubitare, quòd verum sit.* Cuilibet tamen Sancto Doctori, si unus, aut alter dicat, non ità credendum est, ut non liceat dubitare, quòd verum sit. Non tamen loquitur Sanctus Augustinus de Sanctis Doctoribus collectivè acceptis, seù prout summo consensu apertè, frequenter, perseveranter Scripturam Sacram exponunt, aut dogma aliquod proponunt, asseruntque, ut ab Ecclesia Catholica creditum, & prædicatum. Tunc enim traditionis testes sunt, & custodes, & vindices, & fides eorum est fides Ecclesiæ, cui credendum esse S. Augustinus testatur *lib. contr. ep. fundam. c.* 5., & *lib. 1. contr. Cresconium cap.* 33., ubi hæc habet loquens de baptismo hæreticorum: *Quamvis hujus rei certè de Scripturis Canonicis non proferatur exemplum, earumdem tamen scripturarum etiam hac in re à nobis tenetur veritas, cùm hoc facimus, quod universa jam placuit Ecclesiæ, quam ipsarum scripturarum commendat auctoritas: ut quoniam Sancta Scriptura fallere non potest, quisquis falli metuit hujus obscuritate quæstionis, eandem Ecclesiam de illa consulat, quam sine ulla ambiguitate Sancta Scriptura demonstrat.*

XIII. Secundò objiciunt, & replicant. Nullum testimonium humanum aptum est, facere ex se fidem indubitatam in rebus divinis; sed testimonium SS. PP., sive sigillatim, sivè collectivè sumtorum, est merè humanum; ergo &c. Major videtur certa: labi enim, & errare hominis est, quod non tantùm singulis accidit, sed hominum plurium collectioni. Minor verò probatur. Singula Patrum testimonia humana sunt; Ergo & singula in unum collecta: non enim possunt esse alterius generis in unum collecta, quàm

cujus

cujus sunt per se singula; quia licèt fortassis crescat auctoritatis gradus ob multitudinem attestantium, non tamen mutatur auctoritatis species.

Confirmatur. Testimonium PP. non ideò verum est, quia ipsi dixerunt, sed quia, vel ratio ab illis adducta, vel scriptura, quam referunt, persuadet, esse verum; ergo eorum testimonium non per se sufficit ad fidem divinam ingenerandam. Antecedens patet, alioquin Testimonium Patrum à divino non distaret, si nullo rationis præsidio, vel auctoritatis indigeret. Et etiam probatur, cùm enim fides sit certitudinis, & veritatis immotæ, non potest referri ultimò, nisi ad testimonium per se verum, & immotum, quale unicè est divinum: unde D. Augustinus hoc inter Christum, & Ecclesiam discrimen constituit *lib. 2. contr. Crescon. cap. 21.*, nimirùm *Christum semper veraciter judicare, Ecclesiasticos autem judices, homines, plerumque falli*. Ità Rivetus.

Respondetur primò, disting. minorem, testimonium Patrum est humanum, & doctrina, quam proponunt universi, & in qua consentiunt omnes, aut saltem maxima pars, non est humana, conc. min., & doctrina, quam proponunt &c., est humana, nego min. Licèt ergo testimonium Patrum, etiam in dogmate fidei docendo, aut exponendo consentientium, humanum sit, dogma tamen, quod summo consensu docent, humanum non est, sed Apostolicum, & Divinum; non enim illud semper docuisset Ecclesia, nisi ab Apostolis accepisset, nec Apostoli tradidissent, nisi à Christo, vel à Spiritu Sancto edocti fuissent.

Quare aliter secundò respondeo disting. min., consensus PP. testimonium humanum est, quatenus Patrum est, conced. min., quatenus fides Ecclesiæ est, nego min. sicut enim regia diplomata regiam auctoritatem non habent, prout à Ministris conscripta sunt, sed ut mandata regia continent, & ut regio sigillo sunt obsignata; ità Patrum sententiæ in ejusdem dogmatis assertionem, diversis locis, atque temporibus consentientium, illudque, ut dogma fidei proponentium, per se spectatæ testimonii humani vires non excedunt; sed ut continent doctrinam Ecclesiæ, & ut Ecclesiæ auctoritate receptæ, ac veluti sigillo obsignatæ, credendæ sunt, non Patrum, sed Apostolorum, atque Christi doctrinam continere.

Ad confirmat., omisso anteced., disting. conseq., eorum testimonium solitariè acceptum non per se &c., co: conseq., testimonium eorum consentiens, subdist., non per se sufficit à priori, & tanquam causa fidei divinæ, concedo consequentiam, non per se sufficit à posteriori, & per modum signi, nego conseq., testimonium ergo universale, & consentiens Patrum non est per se sufficiens, ingenerare fidem divinam per modum causæ, & à priori; est tamen signum, & argumentum, quo à posteriori colligimus, id, quod omnes SS. Patres, ut de fide proponunt, esse verè de fide, seù esse doctrinam ab Apostolis Ecclesiæ traditam, & à Christo acceptam. Rursùs consensus Patrum traditionis index est, & argumentum certissimum: Scriptura verò Sacra docet, inesse traditioni divini testimonii pondus, & in rebus divinis esse supremæ auctoritatis, ac demùm non esse accipiendam, ut verbum hominum, sed ut verè est, verbum Dei.

Ad id, quod addit ex S. August., dico, cum vel loqui de Judicibus Ecclesiasticis, seorsim sumtis, non collectivè, vel in quæstionibus facti: quo pacto falli possunt, judicando aliquem hæreticum, qui hæreticus non sit: quomodo Christus solus falli nequit; non verò in quæstionibus dogmatum; quo pacto Judices Ecclesiasticos collectivè sumtos errare non posse, idem Augustinus docet.

XIV. Tertiò objiciunt, & instant. Ut testimonio Patrum efficaciter uti possemus in rebus fidei, deberemus esse certi, illud verè esse testimonium Patrum, & non suppositum, & illorum sensus deberet esse nobis exploratus; atqui nec sumus certi, ea, quæ nomine Patrum circumferuntur, verè esse illorum, quorum esse dicuntur: cùm multa, quæ alicujus Patris genuina opera putabantur, in dies, ut spuria, & supposititia ab Eruditis respuantur. Similiter vel tem-

pore, vel imperitiâ, vel malitiâ, quæ ab illis scripta fuere, variis in locis immutata sunt, vel adulterata; quare in antiquitate nihil sanum, nihil incorruptum existere, prudenter timeri potest. Sensus pariter Patrum aliquando adeò implexi sunt, atque intricati, ut vix ullus extrahi sensus certus possit. Ità Dallæus.

Respondetur negando min. intellectam de scriptis omnium Patrum. Etsi enim sint aliqui Patrum loci, quorum de Auctore, vel sensu ambigi possit, ut sunt illi, qui vel ex supposititiis, vel dubiis veterum monumentis proferuntur, vel qui sunt ità obscuri, ut verus eorum sensus vix percipi queat: non tamen omnes, aut plerique tales sunt; &, si qui sunt, à nobis non adhibentur, cùm de summa fidei agimus. Rursùs etsi dubium esse possit, an iste, vel ille liber sit hujus Auctoris, cujus dicitur esse, hoc tamen dubium esse nequit de tota Patrum collectione, vel de majore parte eorum. Quis enim dicat, omnes Patrum libros, aut etiam majorem partem illorum esse suppositam, vel falsatam? Hoc esset, omnibus veteribus monumentis in quacumque materia fidem derogare, & in summam antiquitatis obscuritatem homines deijcere. Cùm ergo testimonium sufficiens in rebus fidei non sit unus vel alter ex Patribus, sed tota eorum collectio, aut saltem major pars, inde est, quòd de testimonio Patrum, pro ut eo in rebus fidei utimur, & ad probandam Ecclesiæ traditionem assumimus, nullus sanæ mentis dubitare potest.

XV. Quartò objiciunt, & urgent, Patres vel narrant, ut testes, ea, quæ in sui seculi Ecclesia credebantur, aut gerebantur, vel, ut doctores, quod ipsi sentiant, exponnnt; sed si quolibet ex his modis loquantur, eorum dictum falli potest; ergo &c. minor pro prima parte probatur. Scire, quæ singulis seculis fuerit Ecclesiæ sententia, est cognitio facti, non juris, historiæ, non fidei, & dogmatis: sed Patres in re facti, & historica falli potuerunt, imò de facto multi errarunt; ergo &c. Pro secunda etiam parte probatur. Esto enim Patres, sancti fuerint, & docti, homines tamen fuerunt; ergo in sua proferenda sententia decipi potuerunt: non enim habuerunt specialem Spiritus Sancti adsistentiam, qualem sortiti sunt librorum canonicorum Scriptores.

Respondeo, neg. minorem pro utraque parte, intellectam tamen de omnibus collectivè, vel de majori parte, & de rebus fidem spectantibus, & cùm ab Ecclesia probata fuerunt Patrum dicta. Ad prob. min. pro prima parte dist. min., possunt falli in re facti, si sit merum, & simplex factum, conc. min., si sit factum conjunctum cum Jure, & à Jure indivisum, nego min. Quæstio facti est, an libri, qui ab Ecclesia leguntur, ut canonici, sint verè canonici; quæstio tamen meri facti non est, sed quæstionem juris involvens, an scilicet in judicando de authenticitate Sacrorum Librorum judicium Ecclesiæ sit infallibile: unde qui negat, Libros, qui in Ecclesia leguntur, esse canonicos, negat in Ecclesia esse firmum judicium de Libris Sacris. Sic quę singulis seculis fuerit Ecclesiæ sententia, quæstio facti est, conjuncta tamen cum jure, nempe cum ista quæstione, quæ fuerit illis seculis vera fides. Quare si Patres universi, quando ut testes oculati, & approbati ab Ecclesia retulerunt de fide Ecclesiæ sui temporis, errassent, sequeretur, & errare Ecclesiam, quæ illos ut testes sequitur.

Ad probat. secundæ partis respondeo ex dictis, probare quidem, singulos seorsim sumptos errare potuisse, non tamen omnes simul, cùm docent fidei dogma: aliàs Ecclesia, quę illos sequitur, erraret; hæc satis sint. Qui plura velit, adeat inter cæteros Natalem Alexandrum *hist. Eccles. secul. 2. tota dissertat. 16.*

XVI. Pro coronide hucusque dictorum observandum censeo, quòd licèt auctoritas unius, vel alterius ex Patribus, etiam in rebus fidem spectantibus, se solâ non faciat argumentum infallibile, specialis tamen ratio habenda est illorum Patrum, quos Deus posuit quovis seculo in sua Ecclesia, ut errores, ac hæreses eo tempore nascentes eliderent, sicut Arianis opposuit Athanasium, Hilarium, & alios; Pelagianis, Donatistis, Manichæis S. Augustinum, aliisque hæreti-

reticis alios Doctores suâ providentiâ opposuit.

Quapropter, si pro divinitate Filii Deu contra Arianos agendum erit, consulendi erunt Athanasius, Hilarius, aliique, qui causam hanc ex professo tractaverunt, & quorum doctrinam Ecclesia Catholica amplexa est; atque horum auctoritati magis deferendum, quàm eorum, qui rem solùm obiter tetigerunt.

Eâdem ratione, quia S. Augustinus Gratiam Dei contra Pelagianos strenuè propugnavit, ejus auctoritas in causa Gratiæ plurimi est facienda; quia quos Deus specialiter elegit ad alicujus erroris confutationem, speciali lumine illustravit ad Catholicam veritatem tuendam. Hinc S. Augustini doctrinam, maximè dùm de Gratia agitur, Sedes Apostolica summo pretio semper habuit. Eam à detractoribus tutatus est (Augustino vix mortali vitâ functo) Cælestinus I. *in rescripto ad Episcopos Galliæ*, ubi ait, eum *sinistræ suspicionis* saltem rumore fuisse nunquam aspersum: *tanta scientia* fuisse, ut *inter magistros optimos etiam à suis prædecessoribus* semper haberetur. Causam Augustini non esse solùm Prosperi, & Hilarii, qui pro magistro suo agebant, sed *universalis Ecclesiæ*, quæ quâcumque *novitate pulsatur*. Demum jubet, ut *improbis imposito silentio*, cesset imposterum hujusmodi querela. Hoc Cælestini rescriptum celebrat S. Prosper *lib. adverf. Collatorem c. 21.* Hormisdas etiam *epist. ad Possessorem Africanum Episcopum*, qui ipsum consuluerat, quid sentiret de Libro Fausti Galli Regiensis Civitatis Episcopi, in quo de Gratia Dei agebatur, multis pro eo contendentibus, aliis scandalum ab eo sumentibus, Respondit, Fausti librum non recipi. Fixa esse à Patribus, quæ fideles sectari debeant, instituta. Et tandem concludit. *De arbitrio tamen libero, & Gratia Dei, quid Romana (hoc est Catholica) sequatur, & asseveret Ecclesia, licèt in variis libris beati Augustini, & maximè ad Hilarium, & Prosperum, possit cognosci; tamen in scriniis Ecclesiasticis expressa capitula continentur &c.* Ex his apparet, sexto seculo doctrinam Sancti Augustini in materia de libero arbitrio, & Gratia Dei fuisse doctrinam Ecclesiæ Romanæ, idest Catholicæ. Quod comprobatur quoque ex epistola Synodica Episcoporum Africanorum in Sardinia exsulum, data eodem seculo, quæ reperitur *tom. 2. Concil. column. 1055.*, de Gratia Dei, & humano arbitrio scripta, in qua *nu. 27.* sic eos, ad quos scribunt, adhortantur. *Præ omnibus studium gerite, libros Sancti Augustini, quos ad Prosperum, & Hilarium scripsit, memoratis fratribus legendos ingerere. Quorum mentionem beatæ memoriæ Hormisdæ Sedis Apostolicæ gloriosus Antistes, in epistola, quàm consulenti se sancto fratri, Consacerdotique nostro Possessori rescripsit, cum magno præconio Catholicæ laudis inseruit. Cujus hæc verba sunt.* Deinde verba Hormisdæ mox laudata subjiciunt. *Sanctus Augustinus, cujus doctrinam secundùm prædecessorum meorum statuta, Romana sequitur, & servat Ecclesia* (inquit Joann. II. epist. 3. to. 2. Concil. col. 1150.) Unde Capitula à Sede Apostolica ad Concilium Arausicanum secundum transmissa, & ab hoc subscripta, & in Canones redacta, quæ gratiæ necessitatem concernunt, ferè omnia ex libris D. Augustini desumta sunt.

Meritò igitur Clemens XI., suo Brevi dato Romæ 28. *Jun.* 1704., Joannis Launoii libellum *traditionem* nuncupatum, quo S. Augustini nomen, & auctoritatem obscurare, ac elevare in iis, quæ gratiam spectant, conatus est, diris devovit, repertumque flammis aboleri mandavit. Quem secutus Benedictus XIII. feliciter, & sanctè regnans contra calumniantes doctrinam SS. Augustini, & Thomæ, ac si hæc in Quesnellianis propositionibus, à Clemente XI. in Bulla *Unigenitus* proscriptis damnata fuisset, in solamen utriusque Magistri Discipulorum, suis litteris in forma Brevis sub die *sexta Novembris 1724.* declaravit, SS. Augustini, & Thomæ inconcussa, & tutissima dogmata *de gratia per se, & ab intrinseco efficaci, & de gratuita Prædestinatione ad gloriam sine ulla prævisione meritorum*, nedùm præfatâ Constitutione non esse damnata, sed eorumdem Discipulos jure meritò gloriari, esse & Verbo Dei, Summorumque Pontificum, & Conciliorum decretis, & Patrum dictis con-

consona, districtè inhibens, *ne quis imposterum hoc nomine calumnias struere, & dissensiones serere audeat.*

DUBIUM VIII.

Locus ab auctoritate Theologorum Scholasticorum.

§. I.

Aliqua præmittuntur.

I. Scholasticæ Theologiæ ortum, ac progressum, ejusque utilitatem supra exposuimus. Modò investigamus, quantæ auctoritatis sit argumentum ab ea petitum, seù quanti facienda sit Theologorum Scholasticorum in re fidei, ac morum sententia.

Hìc tamen, memento Lector, me, sicut & supra, Theologi scholastici nomine, seù scholæ doctrinæ intelligere eam, quæ ex sacrarum litterarum fundamentis deducta sit. Non enim Theologos illos (quos Theologi nomine vix dignos reputo) hìc intelligo, qui universas quæstiones Theologicas frivolis argumentis absolvunt, in quibus Sacrorum Bibliorum testimonia rarissima sunt, Conciliorum mentio nulla, nihil ex antiquis Patribus olent, nihilque ex gravi Philosophia quidem. Imò, quæstionibus verè Theologicis omissis, toti sunt in metaphysicis, vanisque aliis summâ animi contentione agitandis, implentes hujusmodi commentariis codices; & tamen, si Diis placet [ut ait Cano *lib.* 8. *de locis cap.* 1.] Theologi Scholastici, vocantur, nec Theologi, nec Scholastici, sed Theologiæ, & Scholæ corruptores. Quòd si hos solos damnassent Lutherus, Melanchthon, Calvinus, culpandi propterea non essent. Theologum ergo scholasticum illum nuncupo, qui de Deo, rebusque divinis aptè, prudenter, doctè è litteris, institutisque sacris ratiocinatur.

Porrò Theologos scholasticos ità usurpatos, esse in pretio habendos, jam supra ostendi; quod adeò certum est, ut ex eorum contemtu inferat Canus laudato loco, Lutherum, aliosque ejus gregales in omnes errores ruisse præcipites. *Principio namque* (ait ille) *quod erat facile, schola auctoribus contemtis, scholæ quoque judicia contemserunt. His neglectis, mox necesse erat, Hieronymus, Augustinus, Gregorius, Ambrosius, Basilius negligerentur, quos Theologi recentes dogmatum suorum auctores habebant. At antiquis Sanctis posthabitis, despectui quoque habita sunt eorum concilia. Unde consecutum est, ut & libros quosdam Canonicos, & Ecclesiasticam auctoritatem Lutherani contemnerent. Adeò verum illud est, qui minima negligit, paulatim defluit. Absit invidia verbo. Nec enim minima scholæ auctoritas esse potest, quam parvi facere nemo sine fidei discrimine potest.* Ità Canus, attentè hîc in re audiendus.

Possunt Scholastici Doctores, ut de Patribus diximus, sumi vel sigillatim, & seorsim; vel collectivè, & simul; seù de eorum doctrinis, in quibus inter se discordes sunt; vel de iis, in quas omnes concordi sententiâ conspirant. His ergo præhabitis

§. II.

Statuuntur assertiones.

II. Dico primò. Theologorum Scholasticorum etiam multorum testimonium, si alii viri docti contrarium asserunt, neque Ecclesia quidquam statuit, non plus valet ad faciendam fidem, quàm vel ratio ipsorum, vel gravior auctoritas comprobarit. Ità Canus laudatus c. 4. qui addit: *In scholastica disputatione plurium auctoritas obruere Theologum non debet: sed si paucos viros modo graves secum habet, poterit sanè adversùm plurimos stare, non enim numero hæc judicantur, sed pondere.* Et post pauca. *Quo loco sanè arguendi sunt scholastici nonnulli, qui ex opinionum, quas in schola acceperunt, præjudiciis, viros aliàs Catholicos notis gravioribus inurunt, idque tantâ facilitate, ut meritò rideantur ... nec enim si quid, aut Scoticis, aut Thomisticis pronunciatis contrarium est, error illicò est.* Cùm enim admittantur ab Ecclesia utriusque partis, seù scholæ placita propria, tanquam probabilia,

ccn-

censurâ dignus posset existimari, qui alterius scholæ dictis aliquam censuræ notam inurere vellet, nisi quid contra illam ab Ecclesia definitum fuisset.

III. Dico secundò. Ubi Theologi Scholastici summo consensu docent, aliquam doctrinam ex principiis fidei deduci, usque adeò probabile, imò & firmum fundant argumentum, ut illi doctrinæ refragari, temerarium, imò hæresi proximum sit. Hoc probo primò. Nam in quacumque arte Peritis credendum esse, ratio demonstrat: nec enim sanus crederetur, qui omnibus nautis in navigandi ratione non crederet; sed judicare, aliquam doctrinam deduci, & esse connexam cum principiis fidei, Theologorum scholasticorum ars est; ergo, qui omnibus Theologis asserentibus aliquam doctrinam necessariò connecti, & deduci ex principiis fidei, refragaretur, vel non sanus, vel temerarius esset. Ac insuper, quia qui negat doctrinam deductam ex principio fidei, videtur virtualiter negare principium fidei, ex quo deducitur; ideò etiam hæresi proximus esset.

Secundò probatur. Quotiescumque Theologi Scholastici cujuscumque scholę, qui magnâ ferè ubique dissensione concertant, in una asserenda conclusione concordant, argumento est, illam adeò clarè ex suis principiis deduci, ut negari non possit; Non enim Doctores in factiones dissecti in unam veritatem conspirarent, nisi suâ claritate illos captivaret; ergo, qui vellet contrarium sentire, temerè, & sine ullo fundamento procederet, hæresisque suspicionem non effugeret. Eò vel maximè, quòd tanta concordia inter Doctores, qui ordinariè, & naturaliter in contraria studia feruntur, potiùs, quàm humanum, divinum opus par est credere. Non absimili modo, quo mirabile fuit, ac divinum, quod septuaginta duo senes (ut aliqui autumant) diversis cellulis inclusi unanimes conspirarint in eadem adornanda Sacræ Scripturæ Versione.

Huic assertioni pondus accedit ex *Clement. unica de summa Trinit.*, ubi Patres Concilii Viennensis statuunt, opinionem illam, quæ dicit, tàm parvulis, quàm adultis conferri in Baptismo informantem gratiam, & virtutes, tanquam probabiliorem, & Doctorum modernorum Theologiæ magis consonam, & concordem, forè à Catholicis eligendam. Si ergo in re, quæ olim inter ipsos etiam Theologos Scholasticos controversa fuerat, opinio concors juniorum tanti apud Patres in Concilio fuit: quantò magis nos res omni tempore à schola præscriptas tenere, ac revereri debemus. Dùm enim omnes consentiunt, veritatem aliquam cum principiis fidei connecti, non datur ampliùs fundamentum prudens contrarium opinandi, quia certò constat oppositum; opinio autem de uno essentialiter supponit, non esse certum oppositum.

IV. Dico Tertiò. Concors omnium Theologorum Scholasticorum toto Orbe diffusorum sententia in re fidei, aut morum, ità firmum præbet argumentum, ut ei contradicere hæreticum sit, vel saltem hæresi proximum. Probatur primò. Nullum dogma reperictur, quod eâdem mente, & ore Scholastici omnes certò, ac similiter asseruerint, quin idem in universum Ecclesia teneat, eorum auctoritate mota; & quod apertè ex Sacris Litteris, vel ex Apostolorum traditione, vel ex Conciliorum, aut Pontificum definitionibus non habeat certam originem. Quòd si aliquid in contrarium invenire possunt Hæretici, proferant, & tacebimus. Ergo qui ejusmodi omnium Scholasticorum asserto refragatur, contradicit Ecclesiæ universæ, & vel repugnat Sacris Litteris, vel Apostolorum traditioni, vel Conciliorum, Pontificumve decretis.

Secundò prob. Si qua in quæstione universi Theologi idem omnino concinunt, profectò, si in eo errant, Ecclesiam item errandi periculo exponunt, quia sive qui confessiones excipiunt, sive qui conciones spargunt, sive qui ut Pastores fideles sibi commissos docent, omnes instruunt in rebus fidei, & morum, pro ut à schola accepere; ergo si tota schola erraret, totus populus erraret, & Ecclesia communem errorem dissimulans, omnes Christi fideles suo silentio deciperet. *Error enim cui non resistitur, approbatur: & veritas, càm non de-*

defenditur, *opprimitur*: ut ait Innocentius 83. *dist. cap. Error*, & Felix III. ad Acacium. Quòd si ità esset, Deus Ecclesiæ suæ deficeret in necessariis. Quid enim facturus esset populus imperitus, nisi eos sequi, quos pro illo tempore Ecclesiasticæ Doctrinæ Magistros accepit? Erraret ergo populus, erraret, vel saltem errori consentiret Ecclesia; quomodo ergo staret Christi promissio?

Confirmatur. Cùm Dominus dixit; *qui vos audit, me audit: qui vos spernit, me spernit*, Lucæ 10. v. 16. Item cùm Paulus *ad Ephes.* 4. dixit, quòd Deus posuit in Ecclesia alios *Pastores, & Doctores in opus ministerii, in ædificationem Corporis Christi, donec occurramus omnes in unitatem fidei in virum perfectum, ut jam non simus parvuli fluctuantes, & circumferamur omni vento doctrinæ in nequitia hominum, in astutia ad circumventionem erroris*, non modò ad primos Theologos, & Doctores, hoc est Apostolos, verba illa referebat, sed ad Doctores etiam in Ecclesia futuros, quandiù pascendæ essent oves in scientia, & doctrina; ergo sicut qui communem Theologorum Christo immediatè succedentium vocem audiebat, Christum audiebat, qui eam contemnebat. Christum contemnebat; ità qui Theologos juniores antiquis succedentes audit, Christum audit, qui spernit, Christum spernit. Similiter sicut primi Doctores, & Pastores positi fuerunt in ædificationem Ecclesiæ, ne simus, ut parvuli fluctuantes omni vento doctrinæ, ne circumveniamur errore; ità positos fuisse doctores, illis per secula sequentia prioribus succedentes, credendum est. Quamdiù enim Christi Corpus, hoc est Ecclesia fuerit, ad divinam procurationem pertinebit, ut ii, qui in Ecclesia Sacræ Doctrinæ Doctores habentur, tanquam à Deo positi veritatem in fidem teneant, ne populus parvulorum more circumferatur, & ab errore circumveniatur. Sed qui antiquis successerunt, & qui modò in Ecclesia, ut Doctores habentur, sunt Theologi Scholastici; ergo horum concors sententia in fide firma esse debet, sicut firma esse debet fides totius Ecclesiæ.

V. Dices, magnam esse differentiam inter veteres Doctores, & modernos Theologos. Illi enim docti erant, & simul sancti; isti non ità. Illi, idest Apostoli, habebant adsistentiam Spiritus, qui eos docebat, ità, ut neque omnes, neque singuli errare possent; istis nec sigillatim, nec simul sumtis adsistentiam Spiritus promissam legimus. Latum ergo discrimen est inter hos, & illos, ut illis credere teneamur, istis non.

Respondeo primò, me non intendisse, Juniores Theologos priscis illis æquare. Scio, quantum antiquitati deferendum sit, quantum sanctitati. Scio, Apostolos accepisse Spiritum Sanctum, & quidem singulos. Hoc de scholasticis non audeo dicere. Post Apostolos veteres Patres habeo, & veneror, ut traditionis testes, ut Patres fidei, ut Processores, & Doctores primarios Ecclesiæ. Posteriores verò, & juniores agnosco, ut discipulos; qui tamen dùm eadem docent, quę à suis Patribus acceperunt, sunt in eorum virtute, & loco subrogati, *quia & cùm annosa arbusta succiduntur, in eorum robore tenera virgulta succrescunt*, ait D. Gregor. *lib. 34. moral. cap. 17.* Sicut ergo Sanctorum veterum consensio, ut Dubio præcedente dictum est, non in omnibus quæstionibus sequenda nobis, & tenenda est, sed solùm in fidei regula; ità Juniorum Theologorum concors sententia non in omnibus quęstionibus, sed iis solùm, in quibus concorditer docent ex scripturis, vel traditione, & Patribus, vel ex Conciliorum, aut Pontificum auctoritate, quænam sit fides Patrum, Ecclesiæ, Christi. Esto enim non asseram, Scholasticis Theologis, dùm concorditer loquuntur, immediatè adesse præsentiam Sancti Spiritus, eam adesse toti Ecclesiæ fatendum est; quæ cùm in his rebus audire soleat, & consulere Theologos, eorumque concordi sententiâ veluti manuduci, & disponi ad definiendum, ut in Florentino, & Tridentino Conciliis factum est; sequitur consequenter, saltem mediatè, concordiam omnium Theologorum non esse opus prorsùs humanum. Eò vel maximè, quia ordinariè, & naturaliter in contraria studia ferri solent.

Ecclesia ergo quâvis ætate, & tempo-

pore, quasi corpus quoddam spirituale, & mysticum, perfectum, & absolutum fuit, & erit usque ad consummationem seculi. In eo debent esse omni tempore oculi, ac cætera membra, Spiritusque veritatis instar animæ, omnia pro cujusque conditione vegetans; oculi nimirùm, ut manus, pedesque regant, & ducant, ne fluctuent, circumferantur, circumveniantur errore. Cùm ergo hujus mystici corporis oculi, & lumina, Doctores sint, qui in Ecclesiâ, quovis tempore fuerunt, ad providentiam Spiritus, cujus est hoc corpus servare, pertinebit nunquam permittere, ut concordi sententiâ omnia membra in errorem inducant.

Respondeo secundò, Instantiam hanc, quæ ex hæreticorum officinâ prodit, spiritum Pharisaicum sapere, qui, teste Christo *Matth. 23. v. 30.*, dicebant, *si fuissemus in diebus Patrum nostrorum, non essemus socii eorum in sanguine Prophetarum.* Sic dicunt moderni Protestantes (ait Canus laudatus) *Si essent Scholastici Doctores, quales erant Hilarius, Hieronymus, Basilius, sequeremur eos. Si in diebus Augustini, Ambrosii, Hironymi fuissemus, non essemus socii Manichai, Novati, Vigilantii, Pelagii, Joviniani.* Ipsis tamen optimè aptatur Christi responsum v. 31. *Testimonio estis vobismetipsis, quia filii estis eorum*, qui Sanctos antiquos contemserunt, quorum errores ab inferis excitastis, ut fusè ostendi in *Verâ Ecclesiâ tom. 1. cap. 9. §. 3.* Qui ergo Juniores Theologos contemnitis, eâdem audaciâ veteres Patres contemneretis, sicut eos de facto contemsit Lutherus, ut §. 1. *dubii præcedentis* ostendi. Benè ergo, ait Chrysostomus, seu quisqius alius auctor *operis imperfecti super Matth.* hom. 42. *Cùm audieris aliquem beatificantem antiquos doctores, proba, qualis est circa suos doctores. Si enim illos, cum quibus vivit sustinet, & honorat, sine dubio illos, si cum illis vixisset, honorasset; Si autem suos contemnit, si cum illis vixisset, illos contemsisset.* Tandem contra Protestantes urget hæc instantia. Si juxta vos cuique fideli adest Spiritus privatus, ne in re fidei erret, discernendo verum à falso: Quare iste idem Spiritus non aderit omnibus Ecclesiæ Catholicæ Doctoribus, dùm concorditer aliquid ad fidem pertinens docent, cùm Christus dicat *Matth. 18. v. 19. 20.*. *Si duo ex vobis consenserint super terram, de omni re, quamcumque petierint, fiet illis à Patre meo, qui in Cælis est. Ubi enim sunt duo, vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum? Si ergo adesse dignatur, ubi duo, vel tres fuerint: quantò magis non deerit, ubi plures convenerint Sacerdotes?* Ità Sanctus Gregorius *lib. 7. epist. 111.*, modò *lib. 9. epistol. 106.*

Quæ hactenus dicta sunt de Scholasticis Theologis, applicanda sunt Academiis, sive Universitatibus ex præfatis Doctoribus congregatis. Quod enim omnes Universitates, vel Academiæ toto Orbe diffusæ unanimiter docent, vel tanquam quid certò ad fidem pertinens, vel ex fidei principiis consequens, ità certum debet haberi, ut hæreticum sit primum negare, hæresi verò proximum negare secundum. At si illud doceant tanquàm probabile tantùm; vel si una, vel altera Academia illud doceat, alterâ, vel aliis contradicentibus, tunc, ut merè probabile haberi debet: Una enim Academia, præsertim si sit clara, & illustris (in re tamen, cui Sedes Apostolica non contradicat) sufficit ad faciendam opinionem probabilem. Unde Caramuel *lib. 1. Theologia fundamentalis, fundam. 5. per totum, & præsertim* §. 24. hanc materiam fusè pertractans, statuit sequentem regulam. *Modò nec in fidem, nec in Catholicam, totoque Orbe receptam morum doctrinam impingat in materiâ Politicâ; quidquid exteri Ecclesiastici, aut seculares sentiant, dicantve, unusquisque tenetur defendere jura sua patria.*



DUBIUM IX.

Locus ab auctoritate Juris Pontificii Doctorum.

§. I.

Theologi, & Canonistae invicem comparantur.

I. SAcrà Theologia, & Canonum scientia comparantur invicem, sicut quasi superior, seù subalternans, & inferior, seù subalternata; quatenus principia, & fontes, unde Ecclesia decreta sua, & canonicas sanctiones eruit, sunt vel principia, vel conclusiones Theologicae facultatis, cujus est cognoscere, & judicare, quae à Deo sunt revelata, quae his sunt vel consequentia, vel repugnantia. Quamobrem utraque saepè in idem objectum materiale concurrit, quamvis diverso modo. Quia Theologia illud magis inspicit propter veritatis cognitionem, & dùm actiones humanas dirigit, eas respicit potius in communi, tradendo regulas generales pro foro conscientiae, & dùm de iis etiam in particulari judicat, de iis judicium profert relatè ad forum internum, & prout causa inter Deum versatur, & hominem. Canonum verò scientia principaliter practica, & de actionibus, non tàm in communi, quàm in particulari, applicando eas ad hic, & nunc, & ut pertinent ad judicia, respicit actiones humanas, ut forum exterius praecipuè concernunt, ac inter homines, & homines exercentur. His stantibus. Quaeri solet, quaenam praeferenda sit auctoritas in aliquo negotio, nùm Theologorum, nùm Canonistarum? Quâ in re est opinio Alvari Pelagii *lib. 2. de planctu Ecclesiae cap. 20.*, & Hostiensis *c. Penultimo de aetate, & qualitate ordinandorum*, docentium in materià simoniae, usurarum, & ubi de peccato agitur, standum esse decisioni potiùs Canonistarum, quàm Theologorum: & Joannis Rojae *1. p. de haereticis* volentis, materiam dogmaticam, si nondùm decisa sit, spectare quidem ad Theologos, at si decisa sit, ejus cognitionem spectare ad Canonistas; quia tales definitiones Ecclesiae in corpore Juris Canonici continentur. Hoc tamen non obstante.

II. Dico primò. In rebus ad fidem pertinentibus praeferenda est auctoritati Canonistarum auctoritas Theologorum. Probatur, quia Summi Pontifices, & Concilia, quorum decreta, & sanctiones Jus Pontificium concludit, nihil, quod ad fidem spectare videatur, unquam ex sensu suo, definierunt, sed ex Sacris Litteris, & Apostolorum traditionibus, quae sunt propria Theologiae principia; ergo ejusmodi rerum perfecta, & tuta intelligentia à Theologis, non à Canonistis petenda est, & à Theologis instrui debent Canonistae: cujus defectu saepissimè hallucinati sunt Juristae, ut satis apparet ex illius expurgatione tempore Gregorii XIII. factâ.

III. Dico secundò. Etiam in iis, quae concernunt Jus naturale, & divinum, sive quae ad mores per dicta Jura regendos pertinent, Theologorum auctoritas Canonistarum placitis praeferenda est. Constat eâdem ratione: Nam ea, quae spectant ad Jus naturale, & divinum, complectens veterem, & novam legem, originaliter determinari debent ex principiis, & fontibus Theologicis; sed agnoscere, ac interpretari propria principia, & judicare de iis, quae illa consequuntur, potiùs, ac rectiùs potest facultas illa, cujus sunt propria, quàm quae ea accipit solùm, & à scientiâ superiori supponit judicata, & probata; ergo de iis, quae legem naturalem, & divinam concernunt, determinare, potiùs ad Theologum spectat, ejusque judicio, ut tutiori standum est, quàm Canonistae.

Propterea D. Thomas *quodlib. 11. art. 9. ad 1.* eùm sibi objecisset auctoritatem plurium, & magnorum Juristarum docentium, comedentem, vel stantem cùm excommunicato peccare mortaliter, respondit: *Opinio Decretistarum non est vera, quia ipsi plùs assentiunt in his, & sequuntur jus humanum, quàm divinum, cùm plùs sit assentiendum Juri Divino, quàm Humano; & ideò melior est opinio aliorum, qui dicunt contrarium.* Dominicus etiam Sotus *in 4. dist. 25. quaest. 2. art. 2.*

art. 8. referens errorem Joannis, qui super Canonem *Accidens dist. 50.* asserit, Clericum degradatum non retinere ordinem, nec conficere Sacramentum, respondet: *Glossatores isti, quoties in Jus divinum falcem mittunt, cruentantur.* Adeò verum est, quòd in iis, quę pertinent ad Jus Divinum, magis Theologis, quàm Canonistis deferendum est.

IV. Dico tertiò. Ubi agitur de Legibus purè Ecclesiasticis, per quas nimirùm determinantur circumstantiæ Juris naturalis, & divini, ut de Ministrorum officiis, de decimis persolvendis, de pœnis, & censuris, aliisque sexcentis hujus generis, ut iis, quæ ad forum Ecclesiasticum, causasque, & lites illius pertinent; Canonistarum sententia præferenda est. Probatur. In quâcumque enim materiâ, seù facultate à Peritis illius facultatis judicium desumendum est; sed omnia prædicta in Jure Canonico tractantur, & discutiuntur; ergo quoad illa Canonistis potiùs, quàm Theologis adhibenda est fides. Quare D. Thom. *quodlib. 9. art. 15.* tractans illam quæstionem, an liceat alicui plures præbendas habere simul: & exortâ cotroversiâ an lex abrogetur per consuetudinem contrariam, vel non, subjungit S. Doctor: *Hæc controversia Juristis est relinquenda.*

Porrò, quia Theologia pro eâ parte, quâ practica est, maximam habet connexionem cum Jure Canonico, infert Canus, Theologo, præsertim ei, qui ad animarum curam est destinatus, maximè utilem fore, & quasi necessariam Canonum notitiam. Nam quemadmodum (ait Canus *lib. 8. c. 6.*) non est in Abbatem eligendus, nisi qui ante fuerit in regula competenter instructus, ut *c. Officii de electione* Innocentius tradit: Ità nec cura quidem Ecclesiam gubernandi est ei committenda, qui Ecclesiasticas regulas nescit. Theologus igitur, qui vel Episcopus, vel Parochus futurus est, nisi Canones ante didicerit, quibus fideles debent in Christianâ Religione, & Ecclesiæ cæremoniis institui, non habebit profectò ad rem bene publicam gerendam Theologiæ officinam satis instructam. Atque ideò Sacerdotibus ex Cœlestino, Leone, Augustino, septimâ Synodo, Concilio Carthaginensi tertio, Toletano quarto, ut refert Gratianus *dist. 38. & 61.* Canonum Ecclesiasticorum notitia inculcatur.

Theologi insuper à Summo Pontifice, & Episcopis adsciscuntur, non solùm ad prædicationis officium, sed etiam ad confessiones audiendas, ad pœnitentias injungendas; quod vix benè præstari potest sine canonum notitiâ, pro solvendis casibus circa excommunicationes, suspensiones, irregularitates circa matrimonium ejusque impedimenta, circa simoniam, vota, perjuria, usuras, furta: quæ si Theologus ignoret, quomodo officii sui partes implebit, quomodo judicare poterit? ignorabit autem, falsumque judicium proferet, nisi Canones Ecclesiasticos in talibus materiis evolverit. Alia plura videri possunt apud Canum laudatum.

§. II.

Resolutiones dubii.

V. JUs Pontificium, seù Canonicum vocamus Jus illud, quod in decreto Gratiani, & Decretalibus continetur; de cujus origine, ac divisione *in tract. de Justitiâ, & Jure* (si Deus dabit) dicemus. Nunc autem tantùm ea degustabimus, quæ ejus auctoritatem concernunt, quantam scilicet certitudinem habeat probatio Theologica ab illo desumta. Pro cujus explanatione.

Adverto, in decreto (cujus auctor est Gratianus) quatuor species auctoritatum reperiri. Prima est Sanctorum Patrum, Conciliorum tàm Generalium, quàm Particularium, & Summorum Pontificum. Secunda ipsius Gratiani compilatoris hujus voluminis. Tertia cujusdam *Palea*, de quo variè sentiunt Doctores. Multi ea capita, in quibus res inanes, tenues, & modicæ utilitatis continentur, paleæ nomine vocitari crediderunt. Alii Paleam volunt fuisse quendam Protopaleam Cardinalem, & Collectioni Gratiani capita hæc adjunxisse. Nonnulli sentiunt Paleam fuisse Gratiani discipulum, & suâ auctoritate inseruisse huic Volumini capita aliqua, nec authentica, nec ullam fidem

scientia. Alii tandem, ut Barbosa, in proœmio decreti Gratiani putant, Paleas nil aliud esse, quàm additiones marginales primò notatas, & fortè ab ipso Gratiano nonnullas, ut in relegendo à se compofita fieri solet, quas deinde librariorum quidam omiserint, alii in corpore, & contextu conjunctim cum prioribus capitulis interdum, interdum verò cum aliquo discrimine posuerint. Quarta species est auctoritas Juris Civilis, vel secularium Principum, quorum multæ leges huic volumini insertæ reperiuntur. His suppositis.

VI. Dico primò. Argumentum sumtum ex auctoritatibus SS. PP., Conciliorum, Summorumque Pontificum in decreto contentis, si concernat materiam, & definitiones fidei, eam habet firmitatem, quam supra diximus, habere argumenta sumta ex Patribus, Conciliis, ac Summis Pontificibus. Conclusio hæc regulanda est, & probanda ex supradictis.

VII. Dico secundò. Si præfatæ auctoritates pertineant solùm ad Ecclesiastica decreta respicientia disciplinam, ac mores, quæ propriè dicuntur, & sunt leges humanæ, certam quidem facere possunt probationem Theologicam, non tamen certitudine fidei: mutati enim possunt; & maximè, si fuerint rerum dumtaxat particularium, merique facti nullum jus involventis. Esto autem Summus Pontifex in condendis legibus ad statum Universalis Ecclesiæ spectantibus errare non possit, non tamen hujusmodi leges æquiparari possunt fidei definitionibus, quæ firmæ prorsùs, ac immutabiles sunt.

VIII. Dico tertiò. Tres aliæ auctoritatis species, nimirùm ipsius Gratiani compilatoris, Paleæ, & Juris Civilis, secularium Principum non possunt facere ex se certam probationem, ad alicujus controversiæ Theologicæ decisionem. Primò, quia Gratianus, & Palea non aliam habent auctoritatem, quàm Doctoris privati. Secundò, quia leges civiles insertæ in decreto, ne quidem Juris Canonici vim habent, aut auctoritatem: Gratianus enim, qui eas inseruit, talem non habuit potestatem. Et hoc verum est, etiamsi tales leges civiles sint Clericis, & Ecclesiis favorabiles; talis enim favor nihil suffragatur ad supplendum in concedente facultatis defectum. *cap. Ecclesia S. Mariæ de Constitutionib.* Intellige tamen, ut dixi, *per se*, & nisi prædictæ leges essent per aliquem Canonem à Summis Pontificibus receptæ, & approbatæ, quia eo ipso suscipiunt vim legis canonicæ, ut optimè advertit glossa capite mox citato. *Quod aliàs est infirmum, confirmatio Papæ facit firmum.*

IX. Dico quartò. Quod de volumine Decreti, idem proportionaliter asserendum est de alterâ Juris Pontificii parte, sex Decretalium libros, Clementinas, & Extravagantes complectente, quibus addi potest Bullarium; in quibus omnibus, ut sunt multæ Constitutiones spectantes ad particulares etiam communitates, imò & casus ad Personas: ità aliæ sunt spectantes ad regimen Civile, ac Politicum status Ecclesiastici, aliæ ad fidei dogmata, aliæ tandem ad universalis Ecclesiæ regimen in moribus. Pro hujusmodi ergo diversitate materiæ argumenta ab earum auctoritate desumta, majorem, vel minorem in probationibus Theologicis certitudinem efficiunt. Si enim pertineant ad fidem, & mores, totam Ecclesiam dirigendo, faciunt certitudinem omnimodam: quia his Papa, & Concilia Generalia infallibilitatem habent, ut supra dictum est. Si tantùm Politiam externam, & Ecclesiæ, seu Ecclesiasticorum gubernationem respiciant, non efficiunt certitudinem prorsùs indubitatam: sicut si respiciant solam materiam facti particularis cum Jure non connexi; quia etsi facta, tùm Pontificum, tùm Conciliorum Generalium universim approbanda sint, cùm sine maturo judicio nihil statuant, in his tamen omnimodâ infallibilitate non gaudent.

Rursùs circa decreta Pontificia spectantia ad fidem, & bonos mores, attendendum, an illa à Pontifice, tanquàm à publico totius Ecclesiæ Magistro emanarint, an verò, ut à privato Doctore; quia si emanarint à Pontifice primo modo, certitudinem omnimodam faciunt, & de fide; secùs verò, si procedant à Pontifi-

tifice secundo modo, nimirùm ut docentes, quid ipse, vel alii sentiant, ut fecit Nicolaus I., cùm dixit, Baptismum collatum in nomine solius Christi valere, ubi cum Ambrosio sensit.

Observandum etiam est, an Pontifex aliquid jubeat, an verò tenendum, vel credendum statuat; qui enim solùm jubet, non facit esse de fide, & qui contra jussum facit, peccare quidem potest, sed non errabit in fide. Hinc ab hæresi excusatur Sanctus Cyprianus, cùm Stephano Papæ in materiâ de rebaptizandis hæreticis restitit, quia Pontifex in suâ epistolâ nihil definivit, sed præcepit solùm, quid, donec res definiretur, agi oporteret. Imò etiam à peccato excusari potest, quia probabili ignorantiâ id fecit.

In probationibus Theologicis ex Jure Canonico solent aliquando afferri regulæ Juris, quæ in fine 6. decretalium collocantur, quarum auctor fuit Bonifacius VIII., quæ quidem non sunt, nec faciunt jus, sed ex jure sumuntur, tanquàm notæ brevissimæ eorum, quæ sparsim traduntur in jure; & ab aliquibus definiuntur *generale axioma, seù pronunciatum, ex cujus notitiâ, & veritate multas facti species definire licet*, v. g. cùm alibi traditum esset: Perjurum ad dicendum testimonium non esse admittendum ob suspicionem perjurii; item marito savienti non esse facilè restituendam uxorem ab eo digressam ob timorem sævitiæ; sumta est occasio condendi hanc regulam: *Semel malus semper præsumitur esse malus*. Hinc etiam in Jure Civili cùm statutum esset, ut pisces maris, vel fluminis publici occupantibus concederentur, item lapilli in littore maris inventi, sicut & aves, cùm ista in nullius bonis sint, generalis orta est regula: *Quod nullius est, naturali ratione conceditur occupanti*. Si ergo una ex his regulis in Jure Canonico contentis assumatur ad probationem Theologicam, quæritur cujus sit habenda auctoritatis.

X. Dico quintò. Regulæ Juris magnæ esse auctoritatis in rebus præsertim moralibus, si rectè; & cum suis limitationibus intelligantur. Sunt enim veluti penus quædam, in quâ totius ferè Juris Canonici doctrina delitescit; adeòque viam aperiunt, de quavis causa confestim, & ex tempore respondendi; Ac insuper tàm firmum suppeditant argumentum, ut: nisi ostendatur, contra eas jus militare, vel rationem contrarium suadere, vel non benè applicari materiæ, de quâ agitur, eis contradici non possit. Hinc ait glossa, potiorem esse ejus causam, pro quo militat regula: debet enim adversarius ostendere rationem, quare in illo casu regula non loquatur.

XI. Præter hactenus dicta, ad Jus Canonicum reducuntur, & à Theologo in suis disputationibus assumuntur aliquando decreta Sacrar. Congregat. D. D. Cardinalium, & decisiones Sac. Rotæ: de his etiam quærendum est quanti ponderis sint, & auctoritatis.

Observo, quòd ante annos octingentos Romani Pontifices ad graviora negotia consultanda cogere solebant Concilia, quæ Nationalia vocabant, iisque Italiæ Episcopi intererant, & insuper etiam Præsbyteri Cardinales. Verùm talia Concilia, quòd vel bellorum incursionibus, vel aliis de causis tàm sæpè forte convocari non possent, omitti cæperunt, totaque res ad Cardinalium cætum redacta est, qui, partito munere variis in Congregationibus, res primùm discutit, deinde ad Summum Pontificem defert. Hinc talium Congregationum decreta possunt considerari, & quatenùs præcisè ab ipsis Congregationibus prodeunt, & quatenus illis accedit approbatio, & confirmatio Summi Pontificis; & insuper quatenus sunt in materiâ fidei, vel in aliâ materiâ purè Ecclesiasticâ. De his ergo quæstio est, quantæ sint auctoritatis, ubi ad probationem Theologicam assumuntur.

XII. Dico sextò. Decreta Congregationum in materiâ fidei, & morum ex se, & ut à Congregatione ipsâ prodeunt, multi quidem sunt facienda, sed non præbent Theologo firmum, idest infallibile argumentum. Explicandum est hoc assertum. Dixi *ex se*, quia ubi talia decreta in materiâ fidei, aut morum à S. Congregatione edita, adhibitis præcisè omnibus necessariis discussionibus, semel à Summo Pontifice approbarentur, & proponerentur universali Ecclesiæ, si essent

sent in materiâ fidei, ut credenda, & si essent in materiâ morum universalem Ecclesiæ statum respiciente, ut tenenda proculdubio certa omnino essent.

Dixi insuper *multi esse facienda*, & jure. Nam præterquamquod multi ex Cardinalibus doctissimi sunt, habent insuper singuli suos consiliarios viros omni scientiarum genere clarissimos: sicut enim in Conciliis, præter Episcopos, Theologi sunt, qui materias examinant; itâ in Congregationibus, præter Cardinales, sunt Consultores. Igitur earum declarationes non possunt non esse magni ponderis, & probabiliores contrariis aliorum Doctorum opinionibus: imò fortè tantæ auctoritatis, quantæ sunt decreta Concilii Nationalis, in cujus vices sunt subrogatæ, ut dicebam. Quare omnes saltem in foro externo obedire tenentur, non obstante quâcumque opinionum probabilitate.

Tertia verò, & principalis pars, nimirùm, quòd non præbeant Theologo argumentum infallibile, probatur. Nam Cardinalium Congregationes neque ex se, nec virtute à Summo Pontifice acceptâ, gaudent privilegio infallibilitatis; ergo earum decreta &c. Anteced. pro primâ parte est certum. Privilegium namque infallibillitatis in rebus fidei, & morum definiendis soli Summo Pontifici convenit, & Conciliis Generalibus ejus auctoritate congregatis, ut dictum est. Altera etiam pars prob. *ex Bullâ Sixti V. de institutione earumdem Congregationum* anno 1588. edita, quæ incipit *Immensa*, ubi agitur de Congregatione octava pro executione, & interpretatione Concilii Trid. §. 8. habenturque hæc verba: *Cùm ad singularem Romani Pontificis auctoritatem tantummodo spectet, Generalia Concilia indicere, confirmare, interpretari, & ut ubique locorum serventur, curare, ac præcipere. Eorum quidem decretorum, quæ ad fidei dogmata pertinent, interpretationem nobis ipsis reservamus. Cardinalibus verò Præfectis interpretationi, & executioni Concilii Tridentini, si quando in his, quæ de morum reformatione, disciplinâ, ac moderatione, & Ecclesiasticis Judiciis, aliisque hujusmodi statuta sunt, dubietas, aut difficultas emerserit, interpretandi facultatem, nobis tamen consultis, impartimur.* Ex quibus constat, Sixtum non dedisse facultatem Cardinalibus decidendi dubia in materiâ fidei, sed solùm in concernentibus reformationem morum, disciplinam, in judiciis circa casus particulares, ipso tamen semper consulto.

Ratio autem est, quia potestas judicandi, & definiendi in materiâ fidei, & proponendi articulos ejus, qui totam Ecclesiam ad credendum obligent, alligata est dignitati Supremi Capitis, Pastoris, & Doctoris Ecclesiæ, cui soli à Christo promissa est specialis adsistentia Spiritus Sancti, ne in rebus fidem, & mores totius Ecclesiæ concernentibus, errare possit; ergo sicut non potest delegare alterum, ut sit Ecclesiæ Supremum Caput, Pastor, & Doctor, nec Spiritus Sancti adsistentiam in alterum transferre: itâ nec potest facultatem formandi decreta fidei alteri delegare, aut communicare.

Hinc Congregatio S. Inquisitionis, auctoritate sibi à Summo Pontifice commissâ, potest quidem, quos Ecclesia hæreticos dixit, sive articulos, sive homines ultimâ sententiâ condemnare: ab eâ tamen controversia aliqua fidei decidi non potest, itâ, ut transeat in articulum fidei, & qui dissentiant, immediatè sint hæretici, ex vi præcisè judicii S. Congregationis. Similiter Congregatio pro Indice librorum prohibitorum habet quidem à Summo Pontifice auctoritatem practicam interdicendi libros, non autem illos condemnandi, nisi contineant doctrinam jam ab Ecclesiâ proscriptam. Quo casu Congregatio non facit, quòd aliqua propositio, aut Liber sit hæreticus, sed tantùm præstat, quòd Liber, qui aliundè erat hæreticus, pro tali ab omnibus cognoscatur, & vitetur. Hæc enim est differentia inter Librum interdicere, & condemnare, loquendo de condemnatione infallibili: quòd hæc, ut dixi, fundatur in Privilegio infallibilitatis, itâ Summi Pontificis proprii, ut illud alteri prorsùs communicare non possit; secùs verò de potestate, vel auctoritate interdictorum. Videri potest Dominic. à SS. Trinitate *Biblioth. Theolog. lib. 3. sect. 6. cap. 14.* rem hanc adundè pertractans.

XIII.

XIII. Jam ad auctoritatem Rotæ Romanæ fiat transitus. Per Rotæ Romanæ auditorium intelligitur toto orbe celeberrimum, ac notum Tribunal, seù Collegium, quod Romæ ex duodecim diversarum Nationum, ac Provinciarum Auditoribus, juxta Bullam Sixti IV., pro dicendo jure, & justitiâ administrandâ, quibuscumque Personis ad Sedem Apostolicam undique confluentibus, coalescit. Olim enim istarum cuasas Summus Pontifex in Capellâ audiebat, adhibitis tamen in earum expeditionibus Jurisperitis, qui à loco audientiæ dicti fuerunt Capellani, vel etiam simpliciter, & absolutè Auditores, quòd ad audiendum, & referendum dumtaxat essent deputati, ac deinde secundùm eorum relationem Summus Pontifex respondebat. Hinc emanaverunt decretales epistolæ, & magna Juris Canonici pars. Gravioribus postea negotiis haud permittentibus, ut Summi Pontifices omnes causas per se ipsos audirent, aut etiam relatas cognoscerent, ac terminare possent, cœperunt deinceps plenam, ac definitivam illarum discussionem præfatis Capellanis, & Auditoribus committere, qui jam communi vocabulo *Auditores Rotæ* dicuntur; quia in orbem sedentes controversias ad ipsos delatas rotant, discutiunt, & decidunt. Ità ex Gregorio Tholosano *lib. 15. syntagm. Juris univ. cap.* 42. Modò, quantæ sint auctoritatis in Theologicâ probatione hujus Tribunalis decisiones, quærimus ad rem nostram.

XIV. Dico septimò. Sacræ Rotæ decisiones non excedere ex se terminos probabilitatis. Probatur primò, quia hæ solùm sunt doctrinales, ut ex communi sententiâ docet Nicolaus Garsias *in præfat. ad tract. de Beneficiis*, ideòque non sunt necessariæ, nec infallibiles in jure dicendo, neque constituunt jus, nisi quoad partes, inter quas judicatur. Unde Cardinalis Alexander, qui fuit Auditor Rotæ *decisiones* (inquit) *nostra non sunt jura, & ideò possunt reprobari*. Et Barbosa *in cap. 2. de litis contestatione* asserit, communem opinionem esse majoris auctoritatis, quàm sit Rota, contra Imolam contrarium asserentem. Secundò, quia, hujusmodi decisiones quandoque inveniuntur oppositæ, & contrariæ, vel pro diversitate Auditorum Sacram Rotam componentium successivè, & diversas sententias à præcessoribus tenentium; Vel etiam, quia iidem, cæteroquin sapientes, & docti, facti tamen in dies sapientiores, ac majori adhibitâ diligentiâ doctiores, primam in melius sæpe mutant sententiam.

Nunquam tamen propterea contemnendæ sunt, imò multi semper faciendæ hujusmodi Rotæ decisiones, cùm exeant magnâ semper præhabitâ causæ ventilatione, & discussione, adhibitis etiam, ubi opus est, viris omni scientiarum genere clarissimis. Unde in eo saltem, in quo declaratio, aut decisio fieri debet, esto infallibilis non habeatur, haberi tamen debet per modùm Juris, ac legis directivæ ad alicujus controversiæ in simili materiâ definitionem; & in probationem potest adduci, ut medium magis, vel minus probabile.

XV. Tandem de communi Juris Canonici Doctorum auctoritate agendum est. Hi enim ex Jure Canonico, ut ex fonte, multas conclusiones intulerunt, illud commentariis, & notis ad perfectam intelligentiam illustrarunt. Et quidem in his, quæ ad fidem pertinent, vel etiam ad mores, quatenùs vel ratio naturalis, vel Lex Evangelica de hujusmodi præscribit, Jurisconsultorum auctoritas parum, & ferè nihil Theologo conferre potest. In aliis tamen nemini dubium est, quin prodesse valeat; maximè quoad confectionem, ministrationem Sacramentorum, eorum Ritus, circumstantias loci, temporis, modi; hæc enim per Sacros Canones explicatiùs traduntur. Sicut etiam de moribus Ecclesiæ, & aliis legibus, de pœnis contra transgressores earum, de concernentibus Episcopos, Archidiaconos, Primicerios, Episcoporum Vicarios, Sedis Apostolicæ Legatos &c.

XVI. Dico ergo ultimò, Concordem omnium Juristarum, seu Canonistarum sententiam in Legum Ecclesiasticarum interpretatione, adeò firmum præbere argumentum, ut illi refragari temerarium sit. Ità Canus *lib. 8. cap. 7. concl.* 3. Et probatur primò, quia doctissimis quibusque in arte suâ fidem habere opus est.

Se-

Secundò, quia cùm Ecclesiæ Judices, & Ministri concordem ominum Canonistarum sententiam amplectuntur, & Ecclesia talem usum approbet, videtur quoque eorum intelligentiam approbare. Tertiò, quia alienum à conjecturâ non est, Christum Dominum Juris hujus Peritis quodammodo etiam adesse in legum Ecclesiasticarum interpretatione, ne omnes errent. Cùm enim Sacri Canones, instigante Spiritu Sancto, ad Ecclesiæ fine utilitatem editi, ut Damasus Papa definit, consentaneum est, ut Ecclesia, cui Canones illi sunt necessarii, quibus in religione, & moribus contineatur, Interpretes sanos à Deo receperit. Quid enim prodessent leges mortuæ, nisi Respublica vivos Interpretes haberet, qui rectum earum sensum assequerentur?

In iis verò, in quibus non omnes concordes sunt, quinam, ut magistri probabiliores, præferendi sint, dicam: cæteris paribus, majori in pretio videri habendos esse illos, qui Ecclesiasticâ aliquâ dignitate insigniti fuere: ut sunt Innocentius IV., Guido Grassus, seu Guido Papa, qui Clemens IV., aliique Summi Pontifices. Hos excipiunt è Cardinalibus Hostiensis, Cameracensis, Turrecremata, Cusanus, Jacobatius, ac similes. Ex Archiepiscopis Panormitanus, seù Nicolaus de Tudeschis. Ex Episcopis Durantes, qui fuit Episcopus Mimatensis. Quisquis enim prudens existimabit, per se loquendo, in iis, quæ ad Ecclesiasticos Canones spectant, ob peritiam majorem, & experientiam, plus deferendum esse iis, qui in dignitate Ecclesiasticâ constituti fuerunt. Eâdem ratione plus deferendum esse Clericis per se, quàm secularibus, & maximè quoad praxim; plus etiam Canonistis, quàm Theologis purè speculativis. Omnibus tamen præferendos censerem illos, qui simul Canonistæ, & Theologi fuerunt, ut è Cardinalibus Hostiensis, Turrecremata, Cusanus, & alii.



DUBIUM X.

Locus à rationis naturalis, & scientiarum naturalium, & Philosophorum auctoritate.

§. I.

Resolutio primæ partis.

I. Locus iste (ait Canus lib. 9. cap. 1.) *quamquam non est Theologiæ proprius, sed alienus, magnus tamen est, & cùm ab scholasticis reliquis, tùm à D. Thomæ familiâ excultus uberrimè.*

Principio autem in hujus loci tractatione duos errores contrarios fugere debemus. Unum eorum, qui nimiùm rationi naturali tribuentes, ab eâ semper sua ducunt argumenta, ut Scripturam Sanctam, & Sanctos Patres ne legisse quidem videantur. Alterum eorum, qui solis Sacrarum Litterarum testimoniis, aut interdum etiam Scriptorum veterum, omnia definiunt, ab argumentis naturæ haud aliter abhorrentes, quàm si essent Theologiæ adversa, & inimica. De his diximus *sup. qu. 1. dub. 2. & 3.*, ubi antiquitatem, & utilitatem Theologiæ Scholasticæ demonstrantes, ad usus Theologicos utilem esse rationem naturalem, si certis limitibus contineatur, ostendimus. Ne igitur eadem repetamus, ad ibi dicta tyronem remittimus. In præsens ergo solùm examinabimus, quanti pro argumento Theologico ratio naturalis facienda sit.

Suppono ut certum, naturæ argumentationes alias esse certas, incertas alias. Certæ sunt, quas dialectici *demonstrationes* vocant, hoc est, quæ ex perspicuis, & exploratis principiis aliquid certo, ac evidenter conficiunt. Incertæ verò, quæ licèt probabiles sint, nullam tamen habent suadendi necessitatem.

II. Dico. Estò aliquando ex ratione naturali conjunctâ cum fide certum Theologus sumere possit argumentum, plerumque tamen argumentum ex ratione naturali desumtum, Theologo infirmum est. Hic tamen non inficior, rationem naturalem

nalem firmum posse præbere argumentum ad probandum de Deo aliqua, naturali lumine cognoscibilia; ut enim optimè observat Magister Canus *lib. 9. c.* 8. firmum argumentum est illud, quod *act.* 17. inducitur à Divo Paulo: In Deo vivimus, movemur, & sumus: ergo Deus non longè est ab unoquoque nostrum. Firmum etiam est illud, quo ad probandam in Deo scientiam, & providentiam *Psalm.* 93. dixit David: *Qui plantavit aurem, non audiet? aut qui finxit oculum, non considerat?* ac si dicat; Deus plantavit aurem: ergo audit; finxit oculum: ergo considerat. Et Apostolus *Roman.* 1. cùm rationes à naturâ profectas manifestas esse dixisset, tunc demùm ad Deum Auctorem eas revocavit. *Quod notum est Dei* (inquit) *manifestum est illis*, idest Deus illis manifestavit. At quomodo? Num per Angelos? Num per Prophetas? Num per Apostolos? Minimè id quidem. Sed *invisibilia ipsius* (ait) *à creatura mundi: per ea, quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur, sempiterna quoque ejus virtus, & divinitas, ità, ut sint inexcusabiles, quia cùm cognovissent Deum, non sicut Deum glorificaverunt, aut gratias egerunt.* Ex creaturis ergo naturaliter cognitis certum sumitur argumentum ad probandum Deum esse, ac sempiternam habere virtutem, nec non divinitatem, ità, ut inexcusabilis sit, qui eum cùm sic cognoverit, ut Deum non glorificat. Hinc si Philosophi gentiles circa ea, quæ de Deo ratione naturali investigabilia sunt, erraverunt, id non insufficientiæ rationis naturalis, sed eorum vitio, ac menti depravatæ tribuendum est. His pro declaratione suppositis.

Prima pars conclusionis probatur in discursu, cujus altera præmissa est revelata, altera naturaliter evidens. Talis enim discursus verè, & propriè est demonstratio Theologica: id enim docet D. Thom. 1. p. *quæst.* 1. *art.* 8. *ad* 2. dicens: *Utitur tamen S. Doctrina etiam ratione humanâ, non quidem ad probandum fidem (quia per hoc tolleretur meritum fidei) sed ad manifestandum aliqua alia, quæ traduntur in hâc doctrinâ.* Et 2. contragent. c. 4. dicit, quòd Theologiæ *quasi principali Philosophia humana deservit: & ideò interdum ex principiis Philosophia humana sapientia divina procedit.* Rursùs: quia talis discursus, & illata per illum conclusio ad nullam aliam pertinet disciplinam. Tertiò, quia conclusio deducta ex unâ præmissâ de fide, & alterâ naturaliter evidente semper est virtualiter revelata; ergo semper est verè, & propriè Conclusio Theologica. Antecedens probatur in hoc discursu: omnis homo est redemtus à Christo: Petrus est homo: ergo Petrus est redemtus à Christo: in quo hæc conclusio, cùm virtualiter contineatur in ista revelata, *omnis homo est redemtus à Christo*, dicitur virtualiter revelata.

Secunda verò pars probatur. Nam, exceptis paucis principiis evidentibus, scientiæ naturales probabilia tantùm docent; sed propositiones probabiles, etiamsi conjungantur cum propositione divinitùs revelata, non possunt assensum certum parere (qui solus Theologicus est) sed tantùm probabilem; ergo &c. Min. videtur certa: talis enim est assensus conclusionis, qualis est connexio medii termini cum extremis propositionum; sed in discursu habente unam aliquam præmissam probabilem tantùm, & alteram revelatam, earum extrema solùm probabiliter, & opinativè conjunguntur cum medio termino; ergo non potest concludi, nisi conclusio probabiliter certa: quia conclusio sequitur debiliorem partem, & bonum ex integrâ causâ, malum verò ex quocumque defectu.

Major verò principalis suadetur ex tantâ in Philosophicis opinionum, imò & systematum varietate, quâ fit, ut scientiarum naturalium effata, pro majori parte, sint tantùm probabilia, & opinabilia; quod discurrendo per singulas scientias naturales ostendit Dominicus à SS. Trinitate *Biblioth. Theologica lib.* 2. *sect.* 5. *cap.* 9. Inter Philosophos enim modò sunt, qui Platonis placita sequuntur, alii, qui adhærent Democrito circa atomorum positionem, & Aristotelem à scholis exulare totis nisibus conantur. Horum alii Cartesium laudant, alii Gassendum ad sydera extollunt, glorientes, se suis atomis de rebus natralibus meliùs phi-

philosophari. Alii sunt adhærentes Chymicis, qui se solos veros Philosophos venditant, veraque rerum principia ex rerum dissolutione se invenisse existimant. Inter Peripateticos etiam quanta scholarum, ac placitorum diversitas! adeò, ut verum esse experimento comprobemus dictum *Ecclesiastis cap. 3. vers. 11. Deus mundum tradidit disputationi eorum, ut non inveniat homo opus, quod operatus est Deus ab initio usque ad finem.* Hinc discursus iste *omnis homo habet tantùm unam formam substantialem; Christus est homo; ergo Christus habet tantùm unam formam substantialem* est merè opinativus, nec verè Theologicus: quia prima præmissa naturalis est merè probabilis, cùm Scotus opinetur oppositum.

Objectiones, quæ contra hunc locum facere possent, ex parte à nobis propositæ sunt, & solutæ *supra qu. 1. dubio 2. & 3.*, ex parte videri possunt expugnatæ à Magist. Cano *lib. 9. c. 9.*

§. II.

Locus ab auctoritate Philosophorum.

III. QUanti auctoritas Philosophorum à Theologo facienda sit, ex dictis §. præcedenti apparet. Si namque naturalis ratio, & scientiæ naturales locus Theologiæ extraneus sunt, nec ipsi firmum per se præbere possunt argumentum; multò magis hanc sortientur conditionem talium scientiarum Professores. Quare ad rem hanc D. Thom. opusc. 10. *mihi* (inquit) *videtur tutius esse, ut hæc, quæ Philosophi communes senserunt, & nostræ fidei non repugnant, neque sic esse asserenda, ut dogmata fidei ... neque sic esse neganda, tanquam fidei contraria.*

Quomodo autem in rebus fidei Philosophis fidere possemus, quos gravissimis erroribus scimus fuisse implicatos, ut ostendit S. Augustinus *epistol. 56.* modò *118. ad Dioscorum*; qui insuper ingenuè confessi sunt, se probabiliter tantùm fuisse philosophatos? Democritus, & Empedocles nihil verè à nobis sciri, testati sunt. Socrates, se tantùm ajebat scire, quod nihil sciret. Imò ne id quidem sciri posse, docuit Arcesilaus. Anaxagoras cum suis putat, omnem, quam vocamus scientiam, puram esse opinionem. Et Plato sub nomine Socratis determinatum, ac certum circa Philosophica effata suspendi assensum, jubebat. Qua in re licèt modum excesserint, omnem prorsùs scientiam de medio tollentes, nos tamen docuerunt, quantam eorum dictis tribuere debeamus auctoritatem. Imò ipsemet Aristoteles, cæteroquin contra præfatos Philosophos acerrimus scientiarum defensor, sæpè etiam fatetur, se probabiliter dumtaxat philosophari, *ut 5. Phis. text. 52., 8. Physic. text. 70., lib. 2. de Cœlo text. 17. & 60.* Et nullam, quæ sit vera, & rigorosa demonstratio, in omnibus libris ejus reperiri, scribit Possevinus *lib. 13. Bibliotheca selecta cap. 20.* Et licèt aliquæ afferentur, non concluderent, doctrinam Aristotelis simpliciter esse scientificam. Dari ergo scientiam, certum esse debet; at dari scientem, rarissimum.

IV. Neque tamen quis putet, hoc discursu me tendere ad omnem Philosophis auctoritatem eripiendam. Fallitur enim. Imò si quid habent boni, ac veri, ab illis ut injustis possessoribus tanquàm nostrum repetendum est, & in usum nostrum vindicandum. Hoc enim monet nos Augustinus *lib. 2. de Doctr. Christ.* cap. 40. *Philosophi autem* (inquit) *qui vocantur, si qua fortè vera, & fidei nostræ accommodata dixerunt, maximè Platonici, non solùm formidanda non sunt, sed ab eis etiam tanquàm injustis possessoribus in usum nostrum vindicanda. Sicut enim Ægyptii non solùm Idola habebant, & onera gravia, quæ populus Israel detestaretur, & fugeret; sed etiam vasa, atque ornamenta de auro, & argento, & vestem, quæ ille populus exiens de Ægypto, sibi potiùs tanquàm ad usum meliorem clanculo vindicavit, non auctoritate propriâ, sed præcepto Dei .... sic doctrinæ omnes gentilium, non solùm simulata, & superstitiosa figmenta, gravesque sarcinas supervacanei laboris habent, quæ unusquisque nostrum duce Christo de societate gentilium exiens debet abominari, atque devitare: sed etiam liberales disciplinas usui veritatis aptiores, & quædam morum*

præ-

praecepta utilissima continent, deque ipso uno Deo colendo nonnulla vera inveniuntur apud eos: quod eorum tanquam aurum, & argentum, quod non ipsi instituerunt, sed de quibusdam quasi metallis divinae providentiae, quae ubique infusa est, eruerunt, & quo perversè, atque injuriosè ad obsequia daemonum abutuntur, cùm ab eorum misera societate sese animo separat, debet ab eis acceptare Christianus ad usum justum praedicandi Evangelii. Vestem quoque illorum, idest hominum quadam instituta, sed tamen accommodata humanae societati, quâ in hâc vitâ carere non possumus, accipere, atque habere licuerit, in usum convertenda Christianum: Nam quid aliud fecerunt multi boni fideles nostri? Nonne adspicimus, quanto auro, & argento, & veste suffarcinatus exierit de Aegypto Cyprianus doctor suavissimus, & martyr beatissimus? Quanto Lactantius, quanto Victorinus, Optatus, Hilarius, ut de divis taceam; quanto innumerabiles Graeci? Quod prior ipse fidelissimus Dei famulus Moyses fecerat, de quo scriptum est, quòd eruditus fuerit omni sapientiâ Aegyptiorum. Hucusque acutè, & eleganter S. Augustinus.

Insuper Philosophi graeciae, si quid rectè scripserunt, hoc à Moyse, & Prophetis hauserunt, ideòque dùm ea, quae nostra sunt, venditabant tamquàm sua, vocantur fures à Clemente Alexandrino *lib. 6. stromat. pag. 530.* Pytagoram non solùm fuisse discipulum cujusdam Nazarati, quem aliqui putant fuisse Exechielem, scribit idem Clemens *lib. 1. stromat. pag. 304.* Sed ex Moyse ipsum, & qui ab eo sunt cognominati, multa suffuratos esse, testatur *lib. 5. pag. 560.* Imò Divus Ambrosius, Pytagoram censet genere fuisse Hebraeum. Certè fuisse circumcisum tradit Clemens *lib. 1. pag. 302.* De Aristotele Clearcus peripateticus testatur, se nosse quemdam Judaeum, cum quo versatus est Aristoteles. Ità Clemens *lib. 1. pag. 304.*, & Josephus *lib. 1. contr. Appionem.* Platonem verò non solùm à Pytagora, sed à nostris etiam doctrinam accepisse, afferunt Clemens *Admonit ad gentes pag. 46.*, ex Moyse *lib. 5. strom. pag. 560.*, August. *lib. 2. de Doctr. Christ. cap. 28.*, & *lib. 8. de Civit. Dei cap. 11.*, quamvis concludat, Platonem nec Jeremiam audire, nec libros sacros legere potuisse; contendit tamen multa ab hebraeis hausisse, quod Ambrosius multis argumentis suadet; & Plato ipse in Timaeo ingenuè fatetur. Cùm ergo, inquit Canus *lib. 10. cap. 6.*, ea, quae à Philosophis rectè, & sapienter dicta sunt, nostris nos disputationibus inseruerimus, repetimus nostra, non aliena mutuabimur.

V. Sobriè tamen Philosophorum dicta in quaestiones Theologicas sunt transferenda, & ex necessitate potiùs, quàm voluntate, ut si nobis opponantur, possimus de iis judicare, & eos convincere; quâ ratione dicit Hieronymus *in cap. 1. Daniel.* relatus *dist. 37. c. Qui de mensâ*, tres Pueros sapientiam Babyloniorum discere: *non ut sequantur, sed ut convincant: quomodo, si quispiam adversùs Mathematicos velit scribere imperitus mathematis, risui pateat: & adversùs Philosophos disputans, si ignoret dogmata Philosophorum.*

Eorum etiam auctoritatibus uti possumus, ut eos (ut ajunt) *ad hominem* convincamus, & eorum principia in causam nostram vertamus. Sic Divus Paulus *act. 17. v. 28.* Arati Poetae dicto usus est ad probandum, Deum, nedùm nobis esse intimè conjunctum tanquàm omnium opificem, sed insuper tanquàm nostrum parentem: & hoc, quia Apostolus non fidelibus loquebatur, sed Ethnicis, & quidem litteratis, apud quos suorum auctorum testimonia valere debebant. Quod exemplum non favet Concionatori, aut Theologo, si fideles alloquens prophanum dictum usurparet.

Dicta etiam Philosophorum usurpanda sunt, ut veritas Christiana etiam testimoniis adversariorum congruere appareat. Sic Magos syderum adoratores per sydus ad sui adorationem Christus traxit. Hoc enim ait Chrysostomus homil. 6. in Matth. *Ad majorem Dei gloriam pertinebat, si virtus ejus, etiam inimicorum testimonio panderetur: & si ipsi quoque gentilitatis magistri consonam proferrent de veri Dei potestate sententiam.* Gentilium tamen testimonium servit quidem ad

ad eorum falsitates evidentiùs improbandas, cùm non solùm à nobis, sed ab ipsismet, velint, nolint, ut mendacia improbentur, non tamen ad auctoritatem eorum amplectendam, ut ait D. Augustinus *lib. 13. contra Faustum cap. 15. Sybilla porrò, vel Sybilla, & Orpheus, & nescio quis Hermes, & si qui alii vates, vel Theologi, vel Sapientes, vel Philosophi gentium de Filio Dei, aut de Patre Deo vera prædixisse, seu dixisse perhibentur: valet quidem aliquid ad paganorum veritatem revincendam, non tamen ad illorum auctoritatem amplectendam, cùm illum Deum nos colere ostendimus, de quo nec illi tacere potuerunt.* Cæterum si dicta Philosophorum nullo modo juvent Catholicam Veritatem, nec revincant paganorum falsitatem, nec fidem impugnent, eorum studio vacare vero Theologo supervacaneum est; illudque reprehendit D. Augustinus *epist. 56.* nunc 118. in Dioscoro, qui, obstrepentibus undique Arianis; Eunomianis, Macedonianis Cataphrygibus, Donatistis, Manichæis, Anaximenis, Anaxagoræ, aliorumque Philosophorum studio vacabat. *Vide*, inquit, *atque ausculta, utrum aliquis adversùs nos de Anaximene, & Anaxagora proferat aliquid: quando jam ne ipsorum quidem multò recentiorum, multùmque loquacium Stoicorum, aut Epicureorum cineres caleant, unde aliqua contra fidem Christianam scintilla excitetur; sed circuli, atque conventicula partim fugacia, partim etiam audacter prompta, vel Donatistarum, vel Maximianensium, vel Manichæorum, vel etiam ad quorum greges, turbamque venturus es, Arianorum, Eunomianorum, Macedonianorum, Cataphygarum, cæterarumque pestium innumerabiliter perstrepant: quorum omnium errores, si cognoscere piget, quid nobis est propter defensionem Christianæ Religionis quærere, quid senserit Anaximenes, & olim sopitas lites inani curiositate recoquere, cum quorumdam etiam hæreticorum, qui nomine Christiano gloriari voluerunt, ut Marcionistarum, & Sabellianorum, multorumque præterea jam dissensiones, quæstionesque sileantur?* Num hujusmodi increpatio aptari possit nostri ævi Theologis non paucis, qui unicè intenti quid senserit Aristoteles, quid Scotus, quid D. Thomas, in rebus merè opinabilibus, ac nullius ponderis, impunè perstrepere sinunt, & Christi Ecclesiam lacerare Lutheranos, Calvinistas, Anabaptistas, judica prudens lector. Cum Augustino istis dicam. *Tamen si opus est veritati adversantes pranoscere aliquas, & pertractatas habere sententias, de hæreticis potiùs, qui se Christianos vocant, quàm de Anaxagora, & Democrito, nobis cogitandum fuit.* Utinam hoc Augustini monitum studiosæ juventutis animis altè infigatur! Ad rem ergo veniens.

VI. Dico. Philosophorum omnium una eademque consensio certam fidem facit philosophici dogmatis. Quod enim in aliis artibus valet, ut auctores probati tantum apud eos, qui eam artem sequuntur, auctoritatis habeant, ut inde nisi temerè discedi queat, id cur in Philosophiâ non valebit, ne habentes quos sequantur in rerum naturalium cognitione, vario Discipuli versentur errore? Si in omni disciplinâ, & arte oportet addiscentem credere, ut & Aristoteles idem prudenter admonuit, & Theodoretus *lib. 1. de curand. Græc. affectionibus* magnâ exemplorum vi patefecit: in philosophicâ certè scientiâ perdiscendâ, scientiæ ejusdem Professoribus, in eandem præsertim sententiam conspirantibus, fidem habeamus oportet. Deus ergo in quocumque rerum ordine, ut summus Provisor, dedit leges, & qui leges interpretarentur. Apud Judæos, ubi erexit quasi divinæ scientiæ gymnasium, dedit Rabbinos, qui legem interpretarentur; apud Christianos Evangelicæ Doctrinæ Academias esse voluit, ideòque dedit Apostolos, Evangelistas, Pastores, Doctores; ergo, cùm universis gentibus edocendis naturæ leges, ac disciplinas ediderit, ejusmodi legum, ac disciplinarum Magistros instituit: quare Clemens Alexandr. *lib. 6. strom.* ait, Græcis à Deo Philosophiam velut proprium testamentum esse datam. Si ergo ad ejus summam providentiam pertinuit, non permittere, ut omnes in Lege sive Mosaicâ, sive Evangelicâ interpretandâ errarent; ità verosimile est, eum non permittere, ut in exponendis naturæ legibus, aut in Dei cognitione, aut in vitæ, ac mo-

morum regulâ, omnes Magistri, idest Philosophi hallucinarentur; quæ res effecit, ut juxta Pauli sententiam *Roman.* 1. Greci fuerint inexcusabiles: excusabiles autem fuissent, si eorum Præceptores omnes à veritate deviassent.

VII. Dico secundò. Si de unius, vel alterius Philosophi sectâ sermo sit, quò quisque doctior, & gravior est, eò illius est probabilior auctoritas, & fide dignius testimonium: Nulli tamen Theologos ità se se adjudicare debet, ut ab eo ne latum quidem unquam putet discedendum. Non enim æquum est, ut apud Christi discipulos tantùm unius Ethnici auctoritas possit, ut etiam sine ratione vincat. Refert certè in quâcumque arte plurimum, unum in illâ excellentem auctorem legere, quem sequaris; nullus tamen quamvis eruditus, ut olim Pytagoras suis discipulis, sentiendi sibi, aut dissentiendi auctor futurus est. Nemo illorum fuit, qui non ut homo hallucinaretur. In multis erravit Plato, erravit Aristoteles, erravit eorum quilibet. Preterea quis primatum inter Philosophos habere debeat, quisve proinde ille sit, cui tutiùs adherere debeas, adhuc incertum est. Augustinus, ceterique veteres Platoni detulere multum. D. Thomas summum, & cum eo universa Theologorum schola, putat Aristotelem. Nullos esse Christianæ Theologiæ magis concordes, quàm Platonicos, putat Augustinus. Plato siquidem fuit ex Hebræis Philosophus ut supra dictum est. Imò verò, inquit D. Thom., Peripateticorum doctrina Christiano dogmati consentit plurimùm. Clemens enim Alexandr. *lib. 5. stromat. pag.* 595. refert, Aristobulum multis libris probasse *Philosophiam Peripateticam ex lege Mosaicâ, & aliis dependisse Propheticis.*

Verùm D. Thomæ sententia (esto à recentioribus quibusdam impetita) omnium penè gentium multorum sæculorum usu probata est. Platonem enim jam à multis annis vix in angulis homines otiosi legunt. Aristotelem verò magno consensu Orbis Academiæ resonant per antonomasiam Philosophum, hoc est inter Philosophos Principem. Jure igitur illum amplectimur, cujus de laude omnium est fama consentiens, Divo etiam Thomæ in hoc cum omnibus ferè scholasticis adhæremus: in illis tamen, in quibus non discordat à Religione Christianâ: sicut nec improbabimus Platonis Philosophiam, quando fidei dissonantia non docet; magis tamen Aristotelem sequimur, tùm quia de naturalibus meliùs differit, tùm quia modus ejus philosophandi meliùs servit explicandis Fidei nostræ Mysteriis.

VIII. At dices, Aristotelem his solis novissimis, ac miseris seculis Theologos adoptasse; Platonem verò melioribus seculis principem locum obtinuisse, cùm Patres priorum seculorum Platonici fuerint, non Peripatetici.

Respondeo, falli sic opponentem. Refert enim Eusebius *lib. 7. hist. cap.* 32., Diocletiano imperante, rogantibus Alexandrinis, ab Anatolio egregio Philosopho institutam fuisse in eâ urbe celeberrimam Peripateticam Academiam ad normam Platonicæ, quæ Athenis florebat. Tunc autem ibi, ac eo seculo viri Apostolici vigebant plurimum; non ergo omnes erant Platonici, sed alii Peripatetici. Sed ut ut res sit, certum est, ex quo Theologi etiam philosophari cœperunt, atque Philosophiam in famulatum Theologiæ advocare, meliorem, & aptiorem, fideique obedientiorem invenerunt Peripateticum philosophandi modum, quàm Platonicum, aliosve, ut Cartesianum, & similes.

§. III.

Locus à Juris Civilis auctoritate.

IX. Juris Civilis facultatem in multis viro Theologo commodam esse, certum judico. Ei enim, ut vidimus, Canonica scientia est necessaria; sed huic peritia legum etiam Civilium adeò conjuncta, & colligata est, ut vix altera possit separari; ergo à Theologo, cui Jus Pontificium familiare esse debet, non erit Juris Civilis cognitio aliena. Hinc S. Augustinus non improbat, si terreni Imperii leges in suum adjutorium hæretici assumant. Multò ergo magis probandus erit Theologus, si ad hæreticos undequa-

dequaque vincendos, adversùs eos legum etiam Civilium auctoritatem adsciscit. Quare S. Augustinus contra Donatistas, qui nolebant legibus imperialibus corrigi, scripsit inter alia librum ad Bonifacium, seu *epist.* 185., ubi *cap.* 7. exemplo Pauli ostendit, ad tuendam Ecclesiam, bonum esse auxilium petere ab Imperatore; & priùs laudaverat Theodosii legem hæreticis mulctam decem librarum auri statuentem.

Nedùm autem ad hæreticos revincendos, sed & ad fidelium animas dirigendas Juris Civilis cognitio necessaria est. Quomodo enim Theologus sive confessiones excipiens, sive aliunde consultus satisfacere poterit casibus, & quæstionibus de Justitiâ & Jure, de pactis, de stipulationibus, cæterisque contractibus, de rerum dominio, de præscriptione, donationibus, testibus, aliisque similibus, nisi ea, quæ in talibus rebus à viris in utroque Jure clarissimis dicta sunt, aliqualiter noverit? esto enim justum inter & injustum dignoscere, Philosophorum, ac D. Thomæ libris Theologus adjutus possit: at id solùm faciet in genere, in specie autem, & in praxi sine juris aliquâ peritiâ non faciet.

X. Dico ergo. Argumentum, quod à jure Civili ducitur quamvis nec certum, nec exploratum sit, probabilissimum tamen est, maximè illud, quod à legibus Christianæ Reipublicę usu probatis Theologus accipit. Ità Canus *lib.* 10. *cap.* 9. dicens, non enim sine divino nutu hujusmodi leges Romanis esse datas, credendum est. Quin divinitùs per ora Principum promulgatas fuisse Joann. VIII. prædicat: & Augustinus inquit, humana jura per Imperatores, ac Rectores seculi Deum humano generi distribuisse. Hæc Canus. Hinc Salomon Prov. 16. v. 10. *divinatio*, inquit, *in labiis Regis*, *in judicio non errabit os ejus*. Ad Dei ergo procurationem pertinuit, ut numine quodam Legum latores afflarentur, & quoad reipublicæ moderationem ea scita præscriberent, quæ essent justa, atque legitima. Quamobrem si Theologus ex illis argumentum sumat, nihil abhorrebit à professionis suæ instituto, & si non certò, probabiliter argumentabitur.

Hìc tamen de Jure Civili loquor, non de in tali jure peritis, & interpretibus, maximè recentioribus, qui ad lites non finiendas, sed protrahendas in immensum creverunt. Jus Civile, ac leges sub eo contentas, quas in republicâ benè institutâ longus usus probatas reddidit, scitu utiles Theologo judico. Jus enim Civile à pluribus Philosophis graviter, prudenterque editum fuit, illud etiam non nisi graves, prudentesque Philosophi olim interpretabantur. Postea verò quàm facultas hæc in eorum manu esse cœpit, qui nullâ Philosophiâ, nullâ gravi disciplinâ præviè instructi, & ornati ad eam accesserunt, soli captando lucro intenti, illius potiùs splendorem obscurarunt, ac fidei detraxerunt. Novitios ergo Jure Consultos in usum Theologiæ non vendico. Sed id dico, civiles leges, eas maximè, quæ Christiani populi usu, & more consecratæ sunt, Theologo ad argumentandum esse utiles.

DUBIUM XI.

Locus ab Historiæ humanæ auctoritate.

§. I.

Historia humana Theologo utilitas.

I. TAnta est viro Theologo Historiæ percurrendæ utilitas, imò dixerim necessitas, ut rudes omnino Theologos esse, in quorum lucubrationibus historia muta est, omnes verè docti consentiant; & insuper neminem in quâcumque materiâ verè eruditum fore, cui res olim gestæ, notæ non sint. Multa enim nobis è thesauris suis historia suppeditat, quibus si careamus, & in Theologia, & in quâlibet aliâ fermè facultate, inopes sæpe numero, & indocti reperiemur; quod sanè indicant hi, qui ex ejus ignoratione in turpes errores, lapsi fuerunt.

Nec Sacræ solùm, aut Chistianæ cognitio, verùm & prophanę, & ethnicę, Theologo utilis est. S. Augustinus *lib.* 2. *de Doctr. Christianâ cap.* 28. Ethnicorum etiam historias ad intelligentiam Scri-

Scripturæ Sacræ plurimùm conferre tradit; ostenditque, ex earum variâ intelligentiâ quosdam circa Scripturas de ætate Christi variè opinatos fuisse, ut Irenæum, qui Christum passum fuisse asserit quadragenario majorem, & propè quinquagenarium *lib. 2. advers. hæres. 39. & 40.* nunc *cap. 22.*, Tertulianum, qui *lib. advers. Judæos cap. 8.* scribit, Christum habuisse annum quasi 30., cùm pateretur, secutus Clement. Alexandr. *lib. 1. Strom. pag. 340.*, cui adhæsit Lactantius *lib. 4. divin. Instit. cap. 10.*, cuique favit Augustinus ipse *lib. 18. de Civit. Dei cap. ultimo*, omnesque alii, qui Christum passum fuisse volunt, duobus Geminis Consulibus. Ex ignoratione historiæ ethnicæ Erasmus tenebras, quas Evangelista scribit in morte Christi effusas super universam terram, eas super Judæam tantùm fusas intelligit, eò quòd nullus Latinus, aut Græcus Scriptor ejus meminerit: Si namque Historiam Ethnicam legisset, aliter tenebras illas interpretatus fuisset; Phlegon enim Olympiadum supputator egregius, *in tertiodecimo libro* ità scribit: *Quarto autem anno 202. Olympiadis magna, & excellens inter omnes, quæ ante eam acciderant, defectio solis facta est. Dies horâ sextâ ità in tenebrosam noctem versus, ut stella in Cœlo visa sint, terraque motus in Bithinia Nicæas urbis multas ædes subverterit.* Quod referunt Chronicon Alexandrinum *ad ann. Tiberii 19.*, S. Hieronymus *in Chronico*, & ante omnes Eusebius *in Cronico*, ubi annum illum cum Passione Dominicâ concurrisse ostendit. Quod præstitit Origines *lib. 2. contr. Celsum*, dicens *de defectu solis sub Tiberio Cæsare, quo imperante Jesum constat Crucifixum, deque magnis ejus temporis motibus Terra scripsit, etiam Phlegon in 13., ut opinor, Cronicor.* Hoc argumento Lucianus Presbyter Antiochenus, vir moribus, & eruditione præcipuus, cum gentibus de Fide Christianâ disputans usus est, ut refert Baron. *ad ann. 34. num. 110. Requirite* (inquit) *in annalibus vestris, & invenietis, temporibus Pilati, Christo patiente, fugato sole, interruptum tenebris diem.* Et Tertullianus in apologet. cap. 21. *eodem* (inquit) *momento dies, medium Orbem signante Sole, subducta est. Deliquium utique putaverunt, qui id quoque super Christo prædicatum non sciverunt: & tamen eum mundi casum relatum in archiviis vestris habetis.* Quod etiam fuisse à Sybillâ prædictum, testis est Lactantius *lib. 4. Divin. Instit. cap. 19.* Quomodo ergo negasset Erasmus, nullum latinum, aut græcum Scriptorem hujus rei meminisse, si hæc legisset.

Sapienter ergo S. Augustinus lib. 2. de Doctrinâ Christianâ cap. 28. laudatq; *Quidquid igitur* (inquit) *de ordine temporum transactorum indicat ea, quæ appellatur historia, plurimum nos adjuvat ad sanctos libros intelligendos, etiamsi præter Ecclesiam puerilè eruditione discatur. Nam & per Olympiadas, & Consulum nomine multa sæpè quæruntur à nobis, & ignorantiâ Consultatus, quo natus est Dominus, & quo passus est, nonnullos coegit errare, ut putarent quadraginta sex annorum ætate passum esse Dominum &c.*, & infra *de utilitate autem historiæ, ut omittam Græcos, quantam noster Ambrosius quæstionem solvit calumniantibus Platonis lectoribus, & dilectoribus, qui dicere ausi sunt, omnes Domini nostri Jesu Christi sententias, quas mirari, & prædicare coguntur, de Platonis libris eum didicisse, quoniam longè ante humanum adventum Dominì Platonem fuisse, negarì non potest. Nonne memoratus Episcopus consideratâ historiâ gentium, cùm reperisset, Platonem Jeremiæ temporibus profectum fuisse in Ægyptum, ubi Propheta ille tunc erat, probabilius esse ostendit, quòd Plato potiùs nostris litteris per Jeremiam fuerit imbutus, ut illa posset docere, vel scribere, quæ jure laudantur? ... Ità consideratis temporibus, fit multò credibilius, istos potiùs de litteris nostris habuisse quæcumque bona, & vera dixerunt, quàm de Platonis Dominum nostrum Jesum Christum, quod dementissimum est, credere.*

II. Utilis etiam valdè est ad disputandum contra inimicos Fidei rerum gestarum historia. Tertullianus *in apologetico capite 5.* ex ipsis Romanorum historiis probat, persecutores Christianorum sævos,

vos, crudeles, pessimos fuisse: *consulite* (inquit) *commentarios vestros. Illic reperietis primum Neronem in hanc sectam, maximè Romæ orientem, Cæsariano gladio ferocisse, sed tali dedicatore, damnationis nostræ etiam gloriamur. Qui enim scit illum, intelligere potest, nonnisi grande aliquod bonum à Nerone damnatum.* Quasi diceret; hoc ipsum, quòd primus Christianæ Religionis damnator fuit Nero, probat, eam esse bonam, ac sanctam; homo impius, ac in solâ scelerâ pronus, nec nisi malum approbans, non damnasset eam, nisi esset bona.

Pergit Tertullianus, ex eâdem historiâ probando, è contra Principes, qui apud Romanos fuere sapientes, Christianis pepercisse, imò verò eis patrocinium dedisse: *Cæterum de tot exinde Principibus usque ad hodiernum, divinum, humanumque sapientibus edite aliquem debellatorem Christianorum. At nos è contrario edimus protectorem.* Ponitque exemplum in M. Aurelio, qui ob acceptum precibus Christianorum beneficium, eos omni metu liberavit, eorum delatores damnavit, voluitque, ut omnes palam, liberèque ferrentur, ac disseminarentur ubique, ac si diceret: Viri apud vos sapientes Religionem Christianam probant; ergo bona est: id enim ut bonum probandum est, quod viri sapientes probant.

Tertiò exinde probat, leges, quas contra Christianos Imperatores tulere, esse impias, quia à viris impiis latas. *Quales ergo leges istæ, quas adversùs nos soli exercent impii, injusti, turpes, truces, vani, dementes? Quas Trajanus ex parte frustratus est, vetando inquiri Christianos &c.*, ac si diceret, si virtus vitio contraria est, boni Imperatores, quales Vespasianus, Pius, Ælius verus sustinere placita Christianorum nequivissent, si quid in eis turpe, ac noxium comperissent. En quomodo ex ipsis Ethnichorum factis probat Tertullianus veritatem Religionis Christianæ. Quo argumento etiam uti possumus ad probandam contra hæreticos veritatem Religionis Catholicæ, quam soli viri impii, & in moribus pravi persecuti sunt.

Quartò *in lib. ad Scapulam cap. 3.* multarum rerum gestarum exemplis utitur, ut persuadeat, ob vexatos Christianos, multos Gentilium Præsides tristes exitus habuisse. Quo argumento Tertullianus intendit, Scapulam Africanæ Provinciæ Præsidem à persequendis Christianis deterrere, & sic agere potiùs causam Etnichorum, qui persequentes destruebantur, quàm Christianorum, qui in persecutione ædificabantur: *Parce ergo* (inquit) *tibi, si non nobis. Parce Carthagini, si non tibi .... nec tamen deficiet hæc secta; quam tunc magis ædificari scias, cùm cadi videtur.*

Nec Tertullianus solus. Cyprianus *libro de Idolorum vanitate* Idolorum omnium vanitatem historiarum commemoratione coarguit. Hieronymus *lib. 1. adverſ. Jovinianum* quot, quàmque varias etiam prophanas, historias in commendationem virginitatis, & castitatis commemorat? Eusebius *lib. 1. hist. cap. 6., lib. 2. cap. 2., lib. 3. cap. 7.*, & alibi ex historiis humanis Judæos, Paganosque confutat. Ergo historia nedùm Ecclesiastica, sed Ethnica etiam ad fidei hostes revincendos utilissima est.

§. II.

Historia humana in Theologicis auctoritas.

III. Ut historiæ humanæ auctoritatem conciliemus, illud à principio statuendum est, necessarium esse, homines hominibus credere, nisi vita pecudum more degenda sit. Hanc rem (ait Canus *lib. 11. cap. 4.*) Theodoretus *lib. 1. de curandis græc. affect.*, & Augustinus *lib. de fide rerum, quæ non videntur*, & *lib. de utilitate credendi* latè prosequuti sunt, ubi *cap. 12.* S. Augustinus sic arguit. *Quæro enim, si quod nescitur, credendum non est, quomodo serviant parentibus liberi, eosque mutuâ pietate diligant, quos parentes suos esse non credant: non enim ratione ullo pacto sciri potest: sed interpositâ matris auctoritate de parte creditur, de ipsâ verò matre plerumque nec matri, sed obstetricibus, nutricibus, famulis*; & concludit, *nihil omnino humanæ societatis incolume remanere, si nihil credere statuamus*

tuamus. Pergit verò ostendens, si credendum est, magis credendum esse sapientibus, & qui sapientiâ caret, non quærere sapientem, nisi sapientem esse credat; quæ consonant cum vulgari Aristotelis effato: in omni facultate, & doctrinâ oportere addiscentes credere; fides enim præcedit scientiam, scientia autem fidem subsequitur. Unde qui fidem ex humanis animis evellere conaretur, nedùm stultus esset, sed omni intelligentiæ clauderet viam; quid enim cognoscere possemus, si ea, quæ viderunt alii, negaremus esse, quia ipsi non videmus? Videndum est, quomodo sit credendum maximè à Theologo Historicis referentibus, & quantæ auctoritatis sit eorum dictum.

IV. Dico primò. Nullus Historicus, præter Auctores sacros, idoneus est per se ad faciendam certam in Theologicis fidem. Assertio hæc cuique est manifesta, omnis enim historicus, præter Auctores sacros, homo est, loquitur ut homo, & spiritu proprio, seu humano; ergo potest falli, & fallere. Insuper nec omnia, quæ scribit, propriis oculis vidit, sed ex aliorum dicto, à quibus facilè poterat decipi, multa accepit. Quare non procul à vero Flavius Vopiscus *Aureliano* ait, *neminem scriptorum, quantùm ad historiam pertinet, non aliquid esse mentitum*; eique à Julio Tiberiano porrectâ manu responsum fuit, *scribe ut libet, securus quod velis dicas, habiturus mendaciorum comites*.

V. Dico secundò. Historici graves, & fide digni, quales nonnulli sine dubio, & in Ecclesiasticis, & in secularibus fuere, probabile argumentum suppeditant Theologo, cùm ad ea, quæ sua sunt corroboranda, tùm ad falsas adversariorum opiniones revincendas. Hæc assertio non minùs est explorata. Non enim est hominis benè instituti, & ad vitam humanam rectè compositi, viro gravi rem credibilem afferenti non credere. *Rem credibilem* dixi, quoniam quædam inter dum ab Historicis, cæteroquin gravissimis (ut fortè à Plinio) referuntur, quæ, cùm vix credibilia sint, si ea fuisse negemus, non ideò historiæ auctoritatem lædimus. Uterque igitur, & *qui credit citò, levis corde est* Ecclesiastici 19. v. 4., & qui nimiùm tardus est ad credendum, jure reprehenditur. Nam *& est qui emittit verbum certum enarrans veritatem: est qui nequiter humiliat se, & interiora ejus plena sunt dolo* Ecclesiastici c. 19. v. 23. Multò verò magis reprehensione dignus est eo, qui citò credit, ille, qui pertinaciâ quâdam refugit credere, maximè Auctoribus probatis, & gravibus. Si namque in *ore duorum, vel trium testium stat omne verbum* Matth. 18. v. 16., & hoc sufficit ad convincendum in judicio reum; cur adversùs rem, pluribus testibus, ut olim gestam, comprobatam contestantibus, Theologus, vel quivis alius consurget? Eò vel maximè, quòd testimonia ex vetustate sumta potentiora ad probandum sunt, quia ea sola, ut ait Fabius, criminibus odii, gratiæque vacant. Quare Innocent. I. 20. dictu Ʈ. c. *de quibus* statuit, quòd si neque in libris canonicis invenias veritatem, *Canones Apostolicæ Sedis intuere. Si nec in illis, ad Catholicæ Ecclesiæ historias Catholicas à Doctoribus Catholicis scriptas manum mitte*.

Hinc non possum non improbare quorumdam audaciam, ne dicam impudentiam, qui criticam, plusquàm par est, profitentes hâc nostrâ ætate, res, quas esse gestas gravissimi auctores testati sunt in dubium vocant, & etiam negant. Quòd si idoneas causas, probabilesque redderent, audiendi fortasse essent. Cùm verò aut reddant nullas, aut nullius, vel parvi momenti, contemnendi sunt, ut qui communem omnium sensum exuerint, humanorum judiciorum potissima instrumenta, hoc est, hominum gravium testimonia rejecerint, & historiam, lucem veritatis, neglexerint.

VI. Dico Tertiò. Si omnes probati, & graves Historici in eandem rem gestam concurrant; tunc ex horum auctoritate certum ducitur argumentum, ut Theologica dogmata firmâ ratione constituantur. Sic Petrum Romæ & fuisse, & collocasse Sedem, & pro Christo martyrio coronatum fuisse, omnes graves historici tradunt, tota credidit antiquitas, & ex hoc certò probamus, Romanum Episcopum Petro in Episcopatu, & in Supremi totius Eccle-

fiæ Pastoris dignitate succedere. Sic Concilium Nicænum tempore Constantini coactum, & à Silvestro I. Ecclesiæ Pontifice comprobatum, historici quique gravissimi prodidere. Ex hoc arguimus certò, Concilii Nicæni statuta certa esse, quia certum est, Synodum Ecclesiæ Generalem, Romano Pontifice probante, errare non posse. Generalem verò fuisse, nos docet historia, quâ habemus, ei universitatem Pastorum non defuisse. Plurima ejusmodi sunt, quæ communi historicorum consensione firmata, certa nobis dant argumenta ad Theologicos discursus.

Quis enim, nisi stultus, non modò negare, sed etiam in dubium vertere, quę omnes afferunt contigisse, audebit? Quid enim stultius, quàm si crocodilos, qui in Nilo sunt, aut alia genera monstruosa belluarum, quæ in mari gignuntur, quęque esse omnes testantur, nulla esse dicamus, quia nuuquam vidimus? Si de medio tollimus id, quod nobis historiæ omnes, & testes graves afferunt, negabimus etiam Indias esse; & qui Mediterranei sunt, nec unquam mare, aut naves viderunt, mare, & naves esse, negare poterunt; dari Leones, Phantheras, Elephantes, ut fabulas deridere. Ità planè hæc omnia sequentur, si quod omnes historici afferunt, ad nos revincendos non sufficiat. Benè ergo scripsit Josephus lib. 1. contra Appionem: *Veræ historiæ indicium est, si de eisdem rebus omnes eadem dicant, atque conscribant*. Et Sanctus Augustinus *lib. 1. de moribus Ecclesiæ Catholicæ c. 29.* Si falsum dicatur, quod omnes narrant historiæ, *consequetur*, inquit, *omnium litterarum summa perversio, & omnium, qui memoriæ mandati sunt, librorum abolitio, si quod tantâ populorum religione roboratum est, tantâ hominum, & temporum consensione firmatum, in hanc dubitationem adducitur, ut ne historia quidem vulgaris fidem possit, gravitatemque obtinere*.

§. III.

Regula discernendi inter Historicos.

VII. Prima regula sumitur ex hominum honestate, atque integritate, quæ omnino locum habet, cùm quæ narrant historici, ea, vel ipsi viderunt, & se vidisse testantur, vel ab his, qui viderunt, accepisse. Pleraque hujusmodi invenies *in epistolis* Cypriani, Ambrosii, Hieronymi, Augustini, *in libris* quoque hujus *de Civit. Dei*, *in Dialogis* Gregorii, & in omnibus ferè *Doctorum Ecclesiæ scriptis*: in iis enim, quæ isti aut ex visu proprio, aut ex dicto eorum, qui viderunt, viri alioquin integerrimi, & sancti, mendacium aliquod suspicari, grande piaculum est. Quâ in re Erasmus, & Heterodoxi recentiores sæpe errarunt; quid enim licentiùs, ac immoderatiùs dici potuit, quàm Hieronymum asserentem Matthæi Evangelium Hæbraicum se vidisse, imò illud describendi copiam habuisse, in hoc virum sanctissimum, ac doctissimum mentiri?

Regula hæc in prophanis quoque historicis locum habet. Quædam enim Julius Cęsar, quædam Svetonius, quædam Cornelius Tacitus, quædam Plutarchus narrant, quæ auctores ipsi partim oculis conspexerunt, partim acceperunt ab his, qui ea præsentes adspexerant. In hisce verò auctoribus, tametsi pietatem, veraque virtutum officia spectare non licet, licet tamen probitatem quandam, bonitatemque naturæ conjicere. Quidam enim aut veritatis amore inducti, aut ingenui pudoris verecundiâ, usque adeò à mendacio abhorruerunt, ut jam pudendum fortasse sit, historicos gentium quosdam veraciores fuisse, quàm nostros; qui sæpe studio partium nimiùm addicti, aut vera ex odio tacuerunt, & tacent, aut ex nimio amore aliqua non vera, & aliquando inepta, & puerilia iis, de quibus scribunt, affingunt. Et hoc, non de prophanis solùm, sed etiam de aliquibus sacris historicis dico. *Dolenter* (inquit Canus lib. 11. c. 5. non longè à fine) *hoc dico potiùs, quam contumeliosè, multò à Laertio securiùs vitas Philosophorum scriptas, quàm à Christianis vitas Sanctorum; longèque incorruptiùs, & integriùs Svetonium res Cęsarum exposuisse, quàm exposuerint Catholici, non res dico Imperatorum, sed Martyrum, Virginum, & Confessorum*. Quò factum est, ut dùm falsis, mendacibus,

cibus, & plerumque vanis, ac ineptis præsertim revelationibus, & miraculis, mentes mortalium ad Sanctorum cultum accendere voluere, nil aliud egerint, quàm ut veris propter falsa adimatur fides, vera æquè, ac falsa ab hæreticis rideantur, & quæ severè ab auctoribus planè veracibus edita sunt, ea etiam revocentur in dubium.

Nec novum est, nostrisque solis temporibus cæptum est, veras Sanctorum narrationes fabulis intermixtis contaminari; multa Sanctorum acta ità interpolata reperit Gelasius I., quæ proinde in Concilio septuaginta Episcoporum reprobavit, atque spuria, vel suspecta à legitimis, & genuinis separavit. Hoc ideò monitum volui Lectorem, ut à quorumdam falsâ imaginatione caveat, qui res Sanctorum præclarè gestas non se putant egregiè expositūros, nisi eas fictis revelationibus, ac miraculis adornarint: dumque studio erga sanctum plus æquo abrepti, illum extollere supra ceteros putant, Ecclesiæ Christi vehementer incommodant, impiis non levem subsannandi occasionem præbent, piis verò lacrymandi.

Hinc secunda regula pro historiæ judicio erit, ut eos historicos reliquis anteferamus, quos ingenii severitati quandam prudentiam adjunxisse, & ad eligendum, & ad judicandum cognoverimus; quos insuper ad scribendum excitatos fuisse amore veritatis, non complacendi, aut adulandi genio. Et hoc locum habet nedùm in rebus, quas nec Scriptores viderunt, nec ab iis qui viderant accepere; sed etiam in iis, quas ipsi videre potuerunt, vel dùm viverent, contingerunt.

Unde colliges primò, minorem fidem per se sibi meritò conciliare historicos illos, qui stipendia à Principibus; vel aliis accipiunt, ut eorum facta enarrent, vel in eorum obsequio commorantur. Dixi *per se*, nam esto illa, que pertinent ad talem Principem possint esse illis magis nota; prudenter timere possumus, ne potiùs adulationis, quàm veritatis amore conscripserint. Cautè ergo legendi sunt: & observandum, quomodo se gerant in scribendo. Si enim, quę aliquis minùs rectè gessit, recenseat latè historicus, omissis, vel leviter pertractatis illis, quę honorificè gessit, ac laudabiliter, licèt hęc fuerint multa, & insignia, illa verò pauca, & lęvia: vel viceversâ narret solùm laudabilia, quamvis pauca, eaque extollat ut magna, prætermissis minùs laudabilibus, quamvis hęc nec pauca fuerint, nec occulta; Hic meritò in suspicionem venit, ne simulatè, & passione odii, aut amoris aut adulandi animo potiùs, quam amore veritatis conscripserit. Cautè propterea legendi sunt, qui de aliquo errore, vel hæresi suspecti, illius hæresis, vel illius auctorum historias narrant, diminuti enim esse solent in iis, quæ contra se militant, effusi autem in iis, quæ sibi favent: & plerumque sibi solùm favorabilia plus nimio extollunt, & aliqua falsa comminiscuntur.

Secundò. Minor quoque fides habenda est illis historicis, qui quæcumque à quolibet fermè ad se delata, nullo habitu delectu, in annales suos congerere soliti sunt.

Tertiò. Tandem minorem certitudinem, ac probabilitatem per se habent scribentes illa, quę suo non contingerunt tempore, nam sic ex famâ, auditaque multa necesse est ut proferant. Hæc indicavit Card. Baronius ad an. 34. num. 177. his verbis. *Non parum certè interest in veritate historica disquirenda, auctorum, qui res gestas scripserunt, quo vixerint tempore, cujusque fuerint eruditionis, atque existimationis, habere rationem: potissimumque, si hujusmodi scriptores rerum perspectarum, ac eorum ætate editarum, pietatem, ac virtutem cum doctrinâ, & veritate conjunxerint, ut planè digni sint, quibus fides integra adhibeatur: soli sint, quibus cæteri assentiantur: soli denique sint, quibus reliqui qua sciverint, vel scripserint, tanquam ab iis accepta referant.* Licèt autem historici, qui scripserunt ea, quæ suo contigerunt tempore, regulariter majorem fidem mereantur; Interdum tamen potest esse veracior historia scripta ab illis, qui postea scripserunt, eò, quòd cogi aliquando possunt historici ad reticenda multa, licèt publica, vel semipublica, viventibus Prinipibus, ac aliis, quorum facta præsentia scribuntur. Insuper

dùm scribunt ea, quæ suo quidem tempore contigerunt, in remotissimis tamen locis acciderunt, ideòque fieri potuit, ut mendacissima ad eos delata fuerint, quę detecta, à posterioribus fuerint scriptoribus emendata. Vel tandem quòd qui res præsentes scripserunt, eas, ut supra dicebamus, non ex veritatis amore, sed prout eos animi affectio ferebat, exaraverint.

Tertia regula est. Si cui historico auctoritatem Ecclesia tribuit, hic procul dubio dignus est, cui nos etiam auctoritatem adjungamus. Contra verò, cui Ecclesia derogavit fidem, ei quoque nos meritò fidem derogabimus. Porrò, cùm Gelasius Papa historiam de vitis Antonii, Pauli, Hilarionis, à S. Hieronymo conscriptis, cum omni honore susceperit, & collaudaverit Orosium, & Silvestri Acta, sicut & Eusebii Chronicon non repudiaverit, ea & nos suscipere, nec repudiare debemus; & si quis alias historias reperimus, ab Ecclesiâ vel collaudatas, vel non repudiatas. E contra verò cùm idem Gelasius inter Apocrypha amandaverit Clementis libros octo, Acta Andreæ, Philippi, Petri, Thomę nominibus falsò edita, librum de infantiâ Salvatoris, alterum de ejus Nativitate, librum Pastoris, Acta Theclæ, & Pauli, aliaque ejusmodi, ideò hæc omnia tanquam nullius auctoritatis à Theologo habenda sunt.

VIII. Dices. Gelasius inter Apocrypha rejecit etiam Eusebii historiam, & tamen ex eâ Theologus sæpe sumit argumenta.

Respondeo, Eusebii historiam à Gelasio partim approbari, partim improbari; approbatur ob rerum notitiam singularem; improbatur ob Jesu ad Abgarum epistolam ab eo relatam, quam ibi Gelasius rejicit, ut Apocrypham; ob nimias Origenis laudes; & ob Ariani dogmatis fuliginem, quâ aliquando historiam suam maculat, & Arianorum patrocinium. Unde Sanctus Hieronymus ep. ad Pammachium, & Oceanum: *Ecclesiasticam* (inquit) *pulchrè Eusebius historiam texuit, sed impietatis Arii apertissimus propugnator est*, & epist. *ad Ctesiphontem* de Eusebio, *quem* (inquit) *fuisse Arianum nemo est, qui nesciat*. Quare cum Synodo VII. actione 6. testimonium Eusebii esset prolatum, Epiphanius respondens, *Eusebius* (inquit) *Pamphili in testimonium ducitur, qui ab omni Ecclesia Catholica noscitur Patronus esse Arii hæreseos, quemadmodum in omnibus conscriptis suis, expositionibusque continetur &c.* Ex hâc ergo parte Eusebius jure, ejusque historia improbatur, dùm ait, *Historia Eusebii Pamphili Apocrypha*. Ex alia verò eam probaverat dicens, *Chronicum Eusebii Cæsariensis, atque ejusdem Historiæ Ecclesiasticæ libros, quamvis in primo narrationis suæ libro tepuerit* (errorem Arianum scilicet ferendo) *& postea in laudibus, & excusatione Origenis unum composuerit librum: propter rerum tamen notitiam singularem, quæ ad instructionem pertinent, usquequaque non dicimus renuendos*. Ejus propierea usus est testimonio Vigilius in constituto. Et Pelagius II. *epist.* 3. *ad Eliam Aquilejensem, & alios Episcopos Istræ* Eusebii historiam impensè commendavit his verbis: *Quid namque in Hæresiarchis Origene deterius, & quid in Historiographis inveniri Eusebio honorabilius potest? Et quis nostrum nescit, in libris suis quantùm Origenem præconiis Eusebius attollat? sed quia Sancta Ecclesia suorum fidelium corda benigniùs, quàm verba districtiùs pensat, nec in hæreticis sensum proprium testatio Eusebii absolvere potuit: nec rursùm Eusebium laudati Origenis culpa damnavit.* Ecce quomodo absque ullâ contrarietate unus Pontificum Eusebii historiam laudat, quam alter condemnarat. Imò uterque, quæ sana sunt laudat, quæ verò suspecta uterque damnat. Plura hìc laudatus Canus de historiâ, ac historicis congerit, Criterium eorum faciens, & semper eruditè. Nos in locis his Theologicis satis, superque Studiosum detinuimus. Qui plura optarit, Canum adeat: Nos interim è vestibulo ad interiora Theologiæ transibimus.

Tomi Primi I. Partis finis.

INDEX

Eorum, quæ in hoc Primo Tomo I. Partis visa sunt notatu digna.

La-